EX MUNIFICENTIA

FERDINANDI III. M. E. D.

DIE 3. IUNII 1791.

4. 3. 213

I.1.3


Casura nisi coheream

JOANNIS NICOLAI HERTII, JCti,

ELEMENTA PRUDENTIÆ CIVILIS,

Ad Fundamenta ſolidioris Doctrinæ jacienda;

Magnâ cum accuratione adornata.

Et nunc Editione tertiâ innumeris locis aucta.

Francofurti ad Mœnum,
Sumptibus FRIDERICI KNOCHII,
ET FILII.

ANNO MDCCXII.

BIBLIOTHECA

Præfatio prior.

Benevolo Lectori.

JOH. NICOLAUS HERTIUS. S. D.

PRudentiæ civilis, quæ heic edo, elementa non ſcribendi aliquis pruritus, ſed neceſſitas officii, quod in Alma hac Ludoviciana ſuſtineo Academia, invito propè mihi expreſſit. Etenim cum ex illius regulis inſtitutoque proponenda Studioſæ juventuti argumenta eſſent, in quibus pro more oppugnandis defendendisque ingenium exerceret ſuum ac induſtriam; exiſtimabam id officii cum primis eſſe mei, ut quod eadem Academiæ inſtituta injungunt, Ariſtotelis πολιτικῶν libros curatè explicarem. Enim verò cum ad operis illius conſpectum plurimi tantum non cohorreſcant, *ſive quia ignorant rationem quam inſiſtit in philoſophando Stagirita; uti quod prius aliorum opiniones refutare ſoleat, quàm propriam exponere; quod prius φαινόμενα atque hiſtorias referat, quam cauſas

*Vid. Gerard. Joann. Voſſius de philoſoph. c. 3. §. 13.

inquirat: quod propoſita quæſtione, antequam eam ſolvat, aliam inducat, atque ex ejus ſolutione etiam ſolvat priorem: imo gaudeat afferre multas dubitationes, quas uno & eodem ſolvat reſponſo, & id genus alia; ſive quia turbatus librorum ordo, paſſimque hiatus & lacunæ attentionem legentium non parum remorantur. Has, inquam, ob cauſas non ejus nunc inambulare veſtigiis, ſed quod alias in privatis ſcholis feceram, ordinem ſectari meum libuit, ita tamen ut quicquid boni vel eximii eſſet in Ariſtoteleo de civitate volumine ſuis commodè locis inſererem atque intextis recentiorum doctrinis ad ſeculi genium, quoad fieri liceret, accommodarem. Uti enim negari nequit, à tanto temporum decurſu Ariſtoteli anteferri poſſe neminem, qui majoribus ingenii doctrinæque auxiliis, majore animo civilem hanc philoſophiam ſit aggreſſus, eundem etiam quicquid in omnium fere civitatum non Græciæ ſolum ſed & Barbariæ moribus, inſtitutis atque diſciplinis præclarum ac notatu dignum obſervaverat, incredibili diligentia huc transtuliſſe, atque acerrima ingenii ſui, qua pollebat, vi ſingula civitatum genera pervaſiſſe: ita in juniorum quoque ſcriptis ſubinde inveniri, quæ ad ipſa ſcientiæ hujus cubilia ducunt, & veteribus fuere ignorata, imperitus ſit, qui non intelligat; invidus ſimul & ingratus qui

diffi-

diffiteatur. Hoc igitur propoſito quæ in politicis & ſuperioris & ævi hujus ſyſtematibus deſiderari vel deeſſe animadvertebam, ea emendare vel ſupplere pro virili ſum conatus. Etenim quando plerique de civitate ſermonem ingreſſi ordiri ſolent à familia ſive domo, eoque convehunt quicquid vel ex jure inprimis Romano, vel ſecundum prudentiæ etiam domeſticæ regulas, de ſocietatibus nuptialibus, paternis & herilibus dici poterat. Ego è diverſo & aliam civitatum ſtatuo originem & ad primam usque materiam (ut verbo Phyſicorum utar) revolutus, ſtatum ἀπολιτικὸν ſive civilis gubernationis omnis expertem, quem naturalem nunc vocari invaluit, mente concipio figuroque, ut ejus contemplationis beneficio non tantum veri civilium cœtuum natales, & quibus vinculis cum cives inter ſe, tum ſubditi cum imperantibus connectantur, rectius intelligerentur, ſed & varia civitatum genera, quæ multos eosque doctos viros fugerunt in hunc usque diem, facilius aſſequeremur. Lucem ſanè hinc inſignem accipit partitio civitatum Ariſtotelea, totam fere hanc diſciplinam permeans, in primæ & ſecundæ claſſis, ſive, uti primus extulit Vir de literis hiſce optimè meritus D. Samuel Pufendorfius, in regulares & irregulares. Nam quod novè adverſus eam obtendi cœpit, certam regulam, ad quam reſp. exi-

gantur, deſignatu fore difficilem, in re præſertim à libero voluntatis humanæ arbitrio dependente; id quidem conſideratione ſtatus naturalis, ad eum modum, quem in elementis hiſce expoſui, non difficulter diluitur: & quæ cauſa movit Romani juris vel auctores vel interpretes,ut contractus alios veros, aſios quaſi, uſumfructum verum & quaſi, feuda propria & impropria ſtatuerent; eadem valere poteſt, ut civitates aliæ regulares,aliæ irregulares nuncupentur. Ceterum quando Bodinus libris ſuis de Republica varias inprimis publici juris quæſtiones infarſit,idque noſtrates,cum in eo alioquin plurima carperent, certatim ſecuti ſunt; alii autem, cum differre iſta viderent, prudentiam civilem de civitate in communi ſeu generatim tractare, jus publicum de ſpeciali republica præcipere docuerunt, ab utrisque diverſam heic inivi viam. Solam enim civitatis anatomen, hoc eſt partium illius omnium deſcriptionem, degiſſe contentus, juris quæſtiones, velut ab hoc loco alienas, ſepoſui, aut nonniſi obiter attigi, neque temere exiſtimavi peculiarem eſſe publici juris diſciplinam,quæ ad civitates omnes in univerſum pertineat. Vidit hoc primus Thomas Hobbeſius, cujus proinde non vana eſſet gloriatio: **Phiſicam rem novitiam eſſe, ſed philoſophiam civilem multo adhuc magis,* ut

**Præfat. libr. de corpore.*

ut quæ antiquior non ſit libro, quem de cive ipſe ſcripſerit: modò ſolidis,ac firmis,nec inſignem humano generi labem adferre idoneis inædificaſſet fundamentis. Verum ab hoc rem felicius ſunt executi laudatus ante D.Pufendorfius nobiliſſimi de jure naturali & gentium operis libro ſeptimo & octavo, & Ulricus Huberus, non Jurisprudentiæ modò noſtræ, ſed & Friſiæ ſuæ decus,tribus de civitate libris, quibus abhinc annos aliquot acceſſit Hadrianus Houtuynus, JCtus Batavus. Poſt quorum lucubratiſſimos labores mihi quoque conſilium fuit ſpicilegium facere, exaratumque ſyntagma jurispublici univerſalis propediem, ſi Deus volet, edendum, ad quod non ſemel in Elementis hiſce rejicioLectores. Methodum quod attinet quando alii arbitratu ſuo eam ſibi ferme deligunt, nec rarò alii ſumma imis permiſcent, neſcii in tanta rerum multitudine quò pedem figerent: ego paucis, iisque indubitatis innixus regulis, in prima parte ducto altius à civitatis origine initio, per ſingulas ejus partes & varia genera ivi, plane ut medici corporis ſtructuram ſive compagem contemplari ſolent. In parte altera modum adminiſtrandi in malis & remediis, primum univerſe, dein ſingulatim, eo ordine, quo in priore parte fuere explicata, conſideravi. Dixi autem, non quæ poterant, id enim magni

operis fuiſſet res, ſed cum elementa edere eſſet animus, fundamenta ponere ſatis fuit viſum ad uſum fructuoſiſſimæ mediationis, ut puto, valitura, ſi quis memoriæ penitus impreſſerit, præſertim pronunciata Ariſtotelis, quæ ipſius verbis pleraque integrè ac bona fide excerpſi digeſſique, ut ſi qui deinceps fontem ipſum adire vellent, faciliore longe opera & majore uſu judicioque lectione ejus defungantur. Fateor nonnulla prolixius diffundi potuiſſe, atque inter relegendum (*nam biennium & amplius effluxit, cum hæc in palæſtram diſputatoriam deduci primùm cœpiſſent*) *aliqua occurrerunt, quæ in calce adjicienda putavi. Fortaſſe autem curis ſecundis, Deo vitam ac ſanitatem largiente, plura atque luculentiora dabuntur, expolienturque, quæ limam adhuc aliquam deſiderare videbuntur. Nunc tuum erit, amice lector, erratis ignoſcere, atque in examinandis meis eam animi æquitatem adferre, qua uſus ſum in recenſendis & ſubinde refellendis aliorum ſententiis. Vale!*

Scribebam Giſſæ 6. Sept.
MDCLXXXIX.

JOH.

JOH. NICOLAUS

Hertius, Juris in Academia Giſſena Profeſſor Primarius.

L. B. S. D.

CONſtitueram elementa hæc, ut ante hos duodecim annos edita erant, à prioribus ſaltem mendis repurgata, recudenda tradere, & novæ editioni parare, quos dudum meditatus ſum, libros octo univerſam prudentiam civilem complexos. Sed vicit apud me amicorum ſententia, exiſtimantium, bonum fore, ſi interea libellus hic cum augmento aliquo, præſertim in illa parte, quæ ſubinde nonniſi titulos ſive rubricas exhibebat, locupletior denuo prodiret. Præſtiti igi-

tur, quantum per alios labores licuit, non hoc tantum, ut loca vacua ſupplerem, ſed & inter relegendum notas paſſim interſerui, ut editio hæc priore alterô tantô auctior dici jure queat. An operæ pretium fecerim, non iniquis rerum alienarum æſtimatoribus judicandum relinquo. Scribebam Giſſæ pridie Calend. Decembr. M DCC II.

LECTORI BENEVOLO BIBLIOPOLA

Salutem & Officia.

PRodeunt jam tertia vice conſummatiſſimi, dum in vivis erat, JCti elementa prudentiæ civilis, ob elegantiam pariter doctrinæ, quam continent, ac profunditatem magnopere commendanda. Quæ etiam cauſa fuit, ut exemplaria, jam ante decennium à beato Autore denuò typis publicata, eò avidius expeterentur; quorum proinde penuriæ ſimul & publicæ utilitati conſulturus tertiam hanc editionem adornavi, quæ prioribus quidem duabus præſtantior exhibetur, quod huic innumeris locis inſertæ ſunt exquiſitiſſimæ obſervationes, quas hactenus ipſemet Autor manuali ſuo exemplari adſcripſerat, procul dubiò auctius hiſce opus hoc publicæ luci olim expoſiturus, niſi fato præventus fuiſſet. Ne autem perpetua oblivione occultarentur, quæ potiori jure Themidi dicatæ juventuti perquam utilia eſſe poſſunt, hoc egi, ut elementa hæcce prudentiæ civilis, ſupramemoratis equidem obſervationibus, quas fideliter mihi communicatas, ſingulas ſua in loca rite diſponi curavi, locupletata in publicum prodirent. Quo etiam commodius evolverentur res toto hoc opere comprehenſæ, quartus in indice tertiæ hujus editionis numerus acceſſit, paginam ubique deſignans. Utere hiſce H. L. ſummo cum emolumento & operam hanc æque bonique conſule. Vale. CON-

CONSPECTUS
ELEMENTORUM
PRUDENTIÆ CIVILIS.

Pædia.

Pars I.

Sect. I. De statu hominum ante constitutas civitates.
Sect. II. De nomine & definitione civitatis.
Sect. III. De origine & generatione civitatum.
Sect. IV. De fine seu scopo civitatum.
Sect. V. De subjecto, hoc est, civibus eorumque rebus.
Sect. VI. De summa potestate & subjectione.
Sect. VII. De consulatione, imperiis, & judiciis.
Sect. VIII. De forma accidentali, hoc est, bello, pace, fœderibus.
Sect. IX. De causa effectrice civitatis.
Sect. X. De civitatum regulariium differentiis.
Sect. XI. De secundi ordinis sive irregularibus civitatibus.
Sect. XII. De mutationibus, & quæ post eas oriuntur differentiis civitatum.

Pars

Pars II.

Prologus.

Sect. I. De malis ſive morbis vel omnium vel præcipuarum civitatum, & de modis eas conſervandi.

Sect. II. De civitate ex voto optima.

Sect. III. De civitatibus maritimis.

Sect. IV. De regnis in genere.

Sect. V. De regnis ſucceſſivis & electivis, tutoriis & quæ à potiſſimo aulæ adminiſtrantur.

Sect. VI. De ariſtocratia in genere.

Sect. VII. De ſpeciebus ariſtocratiæ.

Sect. VIII. De politia in genere.

Sect. IX. De ſpeciebus politiæ.

Sect. X. De civitatibus quæ latam dominationem appetunt.

Sect. XI. De civitatibus quæ divitias aut luxum pro ſcopo habent.

Sect. XII. De rebusp. herilibus.

Sect. XIII. De dyarchiis & condominatibus.

Sect. XIV. De rebuspubl. mixtis.

Sect. XV. De rebuspublicis patrimonialibus.

Sect. XVI. De civitatibus coalitis ſimilaribus & diſſimilaribus.

Sect. XVII. De civitatibus ſub uno capite junctis.

Sect.

Sect. XVIII. De civitatibus Achaicis sive systematis.
Sect. XIX. De civitatibus inter dissimulares & Achaicas civitates interjectis.
Sect. XX. rebusp. clientelaribus, feudalibus, & vectigalibus.
Sect. XXI. De civitatibus novis.
Sect. XXII. De interregnis.
Sect. XXIII. De tyrannide, dynastia, ochlocratia.
Sect. XXIV. De tyrannide titulo.
Sect. XXV. De civitate, factionibus, seditionibus; aut bellis civilibus distracta.

ANACEPHALÆOSIS

ELEMENTORUM POLITICORUM,

PRÆSIDE

JOH. NICOLAO HERTIO,

J. U. D. ejusdemque Profess. Extraord. Pol. Ord. celeberr. h. t. PRORECTORE MAGNIFICO,

Proposita

à

JOH. PHILIPPO SCHLEIERMACHERO,

Alsfeldiâ Hasso,

horâ locoque consuetis.

Die 15. Mart. Anno MDCLXXXIX.

Q. D. B. V.

§. 1.

PLatonis, qui ὅρους scripsit, exemplum sequentes, brevibus & accuratis, quoad fieri poterit, definitionibus *Politica architectonicam* partem exponemus.

§. 2. *Politica* hic non notat *complexum disciplinarum activarum seu moralium*, puta Civilis prudentiæ, Ethices, atque Oeconomices; quâ laxâ significatione usi deprehenduntur Plato & Aristoteles.

§. 3. Non *peritiam cultioris vitæ atque elegantiorum morum*: Non *calliditatem, quæ est sine ulla religione & fide*.

§. 4. Sed Politica hoc loco nobis est *prudentia, quæ constituendæ ac conservandæ civitatis curam & rationem tradit*: Platoni ἐν ὅροις, *rerum honestarum atque utilium scientia*; item *scientia justitiam in civitate constituens*.

§. 5. Vocatur etiam *civilis prudentia* sive *scientia*. Quidam *rationem status* idem significare docent. Quanquam in nativâ notione, adeoque propriè Ratio statûs potius significet *modum, quo utilitas seu finis Reipubl. præsertim qualis in præsenti est, obtinetur*.

§. 6. Politica *non est pars Rhetorices*, quippè quæ tractat τὸ ἔνδοξον quà πιθανὸν, h. e. persuasorium, ut Suet. *in Domit.* loquitur; *neque jurisprudentia*, ceu quæ potissimum circa leges latas occupatur, negotiis sive litibus eas applicando.

§. 7. *Objectum* Politicæ *est civitas* in propriâ notione, (de qua posteà) & *quæ civitati primò & per se insunt, quatenus quid prosit, quid noxium ei sit, quæri-*

tur. Dixi *quæ civitati primò & per se insunt* ut prudentia civilis distincta intelligatur ab Oeconomicâ, Ethicâ, arte militari. Nam hæ etiam usum habere possunt extra civitatem. Dixi porro : *quatenus quid prosit quid noxium ei sit quæritur* : ut distinguatur à jurisprudentia ceu quæ justum in actionibus humanis potissimum considerat. Cæterum cum diversæ sint species civitatis, intelligitur heic *etiam ex votô optima, etiam vitiosa*, v. g. Tyrannis.

§. 8. Politica *remotè* constituitur *inductione ex rebus singularibus seu experientiâ* : hinc Polybius eleganter vocat Politicam φιλοσοφίαν ἐκ ὑποδειγμάτων *Philosophiam sub exemplis* : Est autem Experientia *unius ejusdemque rei iterata sæpius memoria.*

§. 9. *Proximè* constituitur per *demonstrationem*, quæ est *rei cognitio per causas* : nam nulla res civilis est, quæ suas *quatuor causas* non habeat, *finem* sc. *materiam, formam, & efficientem*, sola quæstione, *an res sit ?* (quo pertinet etiam origo rei & progressus) *exceptâ.*

§. 10. Unde sequitur Politicam *non esse disciplinam merè* μαθηματὴν *s. experimentalem*, quoniam demonstratio operâ intellectus fit, & in rebus universalibus præcipuè occupatur. Eôdem argumento Galenus *libr. de theriac.* disputat contra Empiricos, qui ad artem medicam solâ experientia perveniri posse putabant, conf. de Rhetoricâ & de arte militari Gerh. Joann. Voss. *de Rhet. nat. & const. c.* 8. & *de Philosophia c.* 19. §. 34.

§. 11. Consequitur porrò disciplinam hanc certis & rarò fallentibus niti principiis : Nam in causis multiplex est necessitas.

§. 12. Demonstrationi proxima est *methodus*, quæ demonstrata sic disponit, ut alia ex aliis perpetuâ serie dependeant. Methodus autem illa in *his* fere

regulis

regulis consistit. *Præcognoscantur illa, sine quibus cætera intelligi nequeunt: Communia primò tradantur, post specialia: Inter illa quæ diversi sunt gradus, præponatur perfectius.*

§. 13. Hinc Politicæ *duæ* sunt *partes*, una *architectonica*, quæ naturam atque Constitutionem civitatis explicat, & quidem primùm in genere per definitiones & causas, deinde in speciebus. Altera *rectoria*, quæ modum regendæ civitatis docet.

§. 14. Accedit huic *usus* seu *exercitatio*. Et discas oporteat, & quod didicisti agendo confirmes.

§. 15. *Causa Efficiens* est is, qui scientiam hanc sibi comparat, unde fit Politicus, *Reipubl. constituendæ peritus*, ut definit Plato ἐνθρόνους.

§. 16. *Adjutores* sunt *Doctores*, qui hanc artem profitentur.

§. 17. *Instrumenta* sunt *libri politici, & historiarum.*

§. 18. Historia (1) est vel *contexta*, quæ certo ordine justâque rerum & consiliorum serie res civiles enarrat, vel *commentarii* seu *acta*, ut vocantur *publica*. Illa his longè præferenda. Ad Commentarios etiam referri possunt *memoriæ*, quas initia legitimæ historiæ rectè appellat Voss. *de philolog. c.* 14. §. 5. Ad contextam historiam pertinent *annales.*

§. 19. (2) *Universalis*, quæ multarum civitatum res gestas complectitur, e. g. Trogi, Diodori Siculi, & Thuani, *vel particularis*, quæ unius vel alterius populi. Utraque insignem usum præstat, sed illa majorem.

§. 20. (3) *Domestica*, vel *peregrina*. Illa præcipuè excoli, hæc non negligi debet.

§. 21. (4) Alia est *historia Reipubl.* quæ faciem & formam singularis Reipubl. depingit, e. g. Aristotelis, omnium civitatum non Græciæ solùm, sed & Barbariæ mores, instituta, disciplinas tradentis, teste

Ciceron. 5. *definib.* alia *rei geſtæ*, ſeu relatio illuſtris alicujus actionis; alia *vitæ*, quæ perſonam aliquam deſcribit. Ex quibus illa & iſta Politicæ ſtudioſo eximiè commendantur.

§. 22. Ad Civitatem autem, quod objectum politicæ antea diximus, tranſituris, qualis *ſtatus* ſit *extra civitatem*, prius conſiderandum.

§. 23. Hoc vix fieri melius videtur, quàm ſi homines ut ſinguli, ſaltem animo concipiantur (quid enim obſtat, comminiſci nos quæ factu non ſunt impoſſibilia?) quemadmodum in horologio, automato, aliave machinâ paullò implicatiore, quod ſit cujusque partis rotæve officium, niſi diſſolvantur, partiumque materia, figura, motus ſeorſim inſpiciatur, ſciri non poteſt.

§. 24. *Status* talis à Recentioribus nuncupatur *naturalis*: ab Hobbeſio etiam *libertatis* & *hoſtilis*, definirique poteſt: *Conditio hominum inter ſe æqualium, nemini ſque alterius, præterquam Dei atque divinarum legum, arbitrio ſubjectorum.*

§ 25. Divinis ergo legibus & juri naturali utique ſubeſt. Hujus autem *tria* ſunt *præcepta univerſalia*: *Deum colere & venerari, amare ſeipſum & tueri, denique ſocialem eſſe: Duo propria, ex hoc ſtatu* reſultantia: *Pares tractandos ut pares*, & *licere quod non eſt vetitum.* Hinc falſus eſt Hobbeſius, qui in ſtatu hocce quidvis licere in quemvis putat, cædes, rapinas, & quid non?

§. 26. Quanquam ob perverſam hominum indolem, proclivem imprimis ad ambitionem, avaritiam & diſſenſiones, iſtiuſmodi ſæpenumerò uſu veniant. Unde *ſtatus ille vel bellum eſt*, *vel belli præparatio, vel infida pax.* In ſummâ *turbidus*, *miſer* & *infelix.*

§. 27. Ejus igitur pertæſi mortales in *ſocietates* coëunt.

coëunt. *Societas eſt multitudo hominum certa ratione inter ſe ordinatorum, ad commune aliquod bonum aſſequendum.*

§. 28. Eſtque vel *æquatoria* vel *rectoria*. Æquatoria eſt, *in qua ſinguli ſocii æqualem dignitatem & poteſtatem obtinent.* Verum hæc ſocietas naturalem ſtatum temperat, non tollit, propter fœderum fragilitatem.

§. 29. Societas rectoria eſt, *ubi unus alteri ſubjicitur.* Ejus ſpecies ſunt *domus* & *civitas.* Per utramque tollitur ſtatus naturalis in tantum, non omninò, nam ſi plures ſint ejusmodi ſocietates, ſingulæ invicem conſideratæ permanent in ſtatu naturali, juxta illud Virgilii:

Omnem equidem ſceptris, terram, quæ libera noſtris
Diſſidet, externam reor.

§. 30. Domus quidem extra civitatem eſſe poteſt, ut plurimùm tamen eſt pars ejus. Proinde *civitas*, inprimis ſi ſpectetur ad naturalem ſtatum, meritò *ſocietatum Princeps* audit.

§. 31. Civitatis vocabulum varia ſignificat, (1) *urbis incolas.*

§. 32. (2) *Municipia*, quæ notatio frequens eſt Romani Juris auctoribus.

§. 33. (3) *Locum* aut oppidum.

§. 34. (4) *Integrum ſocietatis civilis corpus*, ſive id unius urbis finibus contineatur, ſive plures urbes, provincias aut gentes etiam complectatur, idque iterum vel *materialiter*, ut in illâ ſocietate ſola multitudo ſpectetur, qua notione recentiorum plurimi utuntur, ſed veteribus ignoratâ, vel *ſimul formaliter*, quemadmodum homo ſignificat integram ſubſtantiam animatam: quo ſignificatu veteres ſunt uſi.

§. 35. Hoc ſenſu etiam *populus* vocatur à JCtis, &

ab hodiernis Scriptoribus ſæpiſſimè *Reſpublica*: prorſus ut Plato ἐν ὄρεσι vocem πολιτείας accipit, eam definiens, *multorum hominum communitatem ſeipsâ ad bene vivendum contentam.*

§. 36. Cæterum *Reipublicæ* vocabulum præterea ſignificat (1) *Municipia* apud Romanos Juris auctores; hinc abſentes Reipublicæ cauſa.

§. 37. (2) *Statum Reipublicæ popularem* κατ' ἐξοχήν.

§. 38. (3) Apud Italicum vulgus *omnem civitatis ſtatum, qui à pluribus regitur.*

§. 39. (4) *Ordinem parendi & imperandi*, velut animam civitatis, de quo infra.

§. 40. Civitas heic optimè, niſi fallor, definitur, *Societas multorum hominum, mutuis eorundem pactis conflata, & poteſtate inſtructa, quâ ſingulorum viribus ad vitam beatam & ſecuram uti poſſit.*

§. 41. Civitatis ſumma eſt partitio in *regularem* ſive primæ claſſis ordinisve, & *irregularem* ſive ſecundæ claſſis ordinisve. Regularem jam definivimus, nam civitatis nomen eſt πρὸς ἓν, & huic πρώτως competit, irregularis infra definietur.

§. 42. De civitate prima eſt inſpectio, *an ſit?* quo pertinet etiam *origo, cauſa impulſiva & modus conſtituendi.* Eſſe civitates quotidianus docet uſus.

§. 43. Ante diluvium eas fuiſſe non ineptè probat Auguſtinus *lib.* 15. *de Civ. Dei cap.* 8.

§. 44. *Cauſa* earum *impulſiva* & quidem *primaria* veriſſimè ſtatuitur, *conſideratio malorum, quæ naturalem ſtatum comitantur*, & nullâ aliâ ratione, quam junctis invicem viribus, mutuoque implicitâ ſalute propulſari poſſunt. Alii *metum* ſtatuunt, non malè, ſi per metum intelligatur *animi in mali expectatione conturbatio*, ut Plato definit ἐν ὄρεσι, ſive conſideratio mali, quod infinitè poteſt accidere.

§. 45.

§. 45. Præter hanc fuerunt *aliæ* ſed *ſecundariæ* cauſſæ, nimirum *appetitus ſocietatis, indigentia*, atque aliquando *latrociniorum opportunitas*.

§. 46. Conſtituitur Civitas per *pacta* ſeu *conventiones*, ceu abs quibus ſocietas non fit.

§. 47. *Pactum* regulariter eſt *duplex, unum ſingulorum cum ſingulis*, de mutuâ conjunctione cùm voluntatum, tùm virium.

§. 48. *Alterum de Imperio*, ſeu vi interius continente, pacti ſuperioris vindice.

§. 49. Huic interdum accedit *juris jurandi religio*, quod homagium vocatur.

§. 50. Quandoque etiam eidem pacto interponitur *alia pactio*, de modo habendi ſummam poteſtatem. Cujusmodi pactiones *fundamentales leges* vocitari conſueverunt, ſed *improprie*, & civitatem faciunt ut plurimùm irregularem.

§. 51. Ad *cauſas* civitatis nunc accedentibus primùm ſe offert *finis*, à cujus tractatione activæ diſciplinæ ordiendæ ſunt.

§. 52. *Finis* autem haut dubiè fuit, *ut ita ſociati viverent*, & propterea injurias nec facerent, nec paterentur.

§. 53. Deinde, ut *vitam viverent beatam*, ſecundum virtutes ſc. & cum ſufficientiâ rerum.

§. 54. *Subjectum civitatis* aliud *primarium* eſt, aliud *ſecundarium*: Primarium ſunt *cives*, quibus opponuntur *externi*.

§. 55. Quid cives ſint, diſceptant variè Doctores, quod mirum non eſt, quia vel ambiguitatem vocis non evolvunt, vel ad inſtituta ſuæ civitatis potiſſimum reſpiciunt.

§. 56. Uſu vulgi *cives* dicuntur, *qui urbes incolunt & in album ſive matriculam ſunt relati*, & apud Ro-

manos *Municipes* vocabantur, ſuæ cujusque civitatis cives.

§. 57. Bodinus ejusque ſectatores civem definientes, *liberum hominem, ſub eadem ſummâ poteſtate ſociatum*, civem cum ſubdito perperam commiſcent: nam ſummus Imperans, quà pars communitatis, & ex pacto primo ſocius, numero civium excludendus non eſt, & ſervi externique apud nos commorantes ſubditi ſunt, non cives.

§. 58. Ariſtoteles civem circumſcribit, *participem conſiliorum, imperiorum & judiciorum.* Quæ definitio plerisque civitatibus civili imperio utentibus aptari poteſt, modo *participatio* illorum jurium *non* ſemper *conjunctim*, nec de *actu ipſo*, ſed de *potentiâ* intelligatur.

§. 59. Accuratiſſimè, uti nos exiſtimamus, definiuntur cives, *qui mutuis pactis initio in civitatem coaluerunt, aut in horum locum deinceps ſucceſſerunt.*

§. 60. Unde ſequitur, *in civitatibus diſſimilaribus* (de quibus infra) partes corporis, in quo fons imperii eſt, *propriè & κατ' ἐξοχὴν cenſeri cives*, reliquos membra minus digna eſſe magnæ civitatis, quomodo ſervi membra ſunt familiæ. Exemplo ſit civitas Romanorum.

§. 61. Civium *prima* eſt *diviſio*, quod alii *fiant*, alii *naſcantur. Fiunt pactô aut liberâ cooptatione*, unde *adſcripti* dicuntur. Et ex his interdum tota civitas conſtat, ut hierarchia Pontificis Romani ex cælibibus, Reſpublica Algirienſis ex Chriſtianis, qui Mahumedanam Religionem ſunt amplexi.

§. 62. *Naſcuntur ex matrimonio.*

§. 63. Eſt autem Matrimonium *ſocietas inter maritum & uxorem, ad mutuum adjutorium, & ſobolis procreationem.*

§. 64.

§. 64. Hujus consequens est *societas inter parentes & liberos.*

§. 65. Si deficiat Pater succedit interdum *tutela*, quæ est *potestas in illos competens, qui propter ætatem aut aliquod vitium se defendere non possunt.*

§. 66. Utriusque societatis appendix est *societas herilis* inter dominum sc. & servum. *Dominus est persona d gnior potentiorve, sui commodi causa aliorum utens ministerio. Servus est organum animatum, rationis particeps, alterius homo existens.*

§. 67. Ex his componitur *domus* ad usum vitæ quotidianum, v.g. victum & habitationem communem. Hinc Charondas apud Aristotelem *domesticos* eleganter vocavit *penus socios.*

§. 68. *Altera* civium *divisio* est à *bonis animi, corporis & fortunæ.*

§. 69. Ad bona animi pertinet *religio*, cui opponitur *impietas* (vulgò Atheismus) *& superstitio*; hinc *cives* alii sunt *religiosi*, alii *impii*, alii *superstitiosi.*

§. 70. Eodem pertinent scientiæ & artes; hinc cives alii sunt *periti*, aut *artifices*, alii *rudes, aut servi natura*, δοῦλοι φύσει Aristoteli, quos in numerum pecudum redegit hebes natura & ignoratio sui.

§. 71. A *bonis corporis* alii sunt *pueri*, alii *viri*, alii *senes*, deinde *masculi & fœminæ.* Pueri sunt imperfecti & actu primo cives. Fœminæ verò civium numero simpliciter non sunt excludendæ.

§. 72. Ad *bona fortunæ* pertinent *existimatio* & res cæteræ: Existimatio est *valor personarum in vita civili, secundum quem aptæ sunt aliis personis exæquari aut comparari, iisque vel antehaberi vel postponi.* Estque vel *simplex*, vel *intensiva.*

§. 73. Ab existimatione simplici cives sunt *honesta & integræ famæ*, quibus opponuntur *infames.*

§. 74.

§. 74. Ab existimatione intensiva cives sunt vel *nobiles*, vel *ignobiles*.

§. 75. Nobiles, præter eos qui philosophicè sunt tales, à virtutum sc. abundantia, vix definiri possunt, propter diversitatem morum. In Europa à multis seculis obtinuit, ut nobilis habeatur, *cui præcellentia à summo imperante est tributa, quam in sobolem transfundere possit.*

§. 76. Hinc nobilis vel *factus* est s. novus, vel *natus*.

§. 77. A cæteris rebus distinguuntur cives in *divites, pauperes & medios*.

§. 78. Tertia civium divisio est *à quantitate*; hinc cives sunt vel *pauci* vel *numerosi*.

§. 79. Præterea vel *singuli sunt*, vel *in universitates collecti*.

§. 80. Est autem *universitas cœtus civium in civitate, usus non quotidiani gratia, de rebus, ad summam imperii non pertinentibus, initus*.

§. 81. Ejus species sunt variæ, præcipuæ autem (1.) *Vicinitas* (2.) *Civitas* (3.) *Tribus* in civitate (4.) *Provincia* (5.) *Colonia* (6.) *Schola, Monasteria, Academia, & Ecclesia*.

§. 82. Vicinitas *pastus & arationis causa potissimum coit*. Germanicè **Dorffschafft** vel **Gemeinde**.

§. 83. Civitas in speciali significatu, de quo §. 31. *est cœtus incolarum urbis, propter commodiorem elegantioremque vitam*. Germ. **eine Burgerschafft**.

§. 84. Tribus *est sodalitas in civitate opificiorum & mercaturæ causa*. Germ. **eine Zunfft**/ quasi **Zusammenkunfft**.

§. 85. Provincia *est pars universæ civium multitudinis locis disgregata, & certis limitibus circumscripta*. Latinis etiam dicitur *Pagus*.

§. 86.

§. 86. Coloniæ ſunt *cœtus civium è matrice in vacua inprimis aut inculta civitatis loca deductorum.*

§. 87. Scholæ *erudiendæ pueritiæ aut juventutis cauſa inſtituuntur.*

§. 88. Eundem ſcopum olim habuerunt monaſteria.

§. 89. Academiæ ſunt *congregationes profitentium doctrinam & ſtudium optimarum diſciplinarum & artium.*

§. 90. Eccleſiæ *ſunt cœtus hominum, docentium diſcentiumque verbum Dei, certo in loco, urbe aut provincia conſiſtentes.*

§. 91. *Subjectum ſecundarium* civitatis (1.) *Regio eſt*, quo pertinet illud Baldi: *Juriſdictio incumbit ſuper terram, ſicut nebula ſuper paludem.*

§. 92. Regionis accidentia ſunt *quantitas & qualitas.* Quantitas variat. Ad eam etiam referuntur *fines*, qui ſunt vel *naturales* e. g. flumina, vel *artificiales.*

§. 93. In Regione præterea ſpectantur *domicilia* ſ. *habitationes, & reliqua vitæ humanæ adminicula.*

§. 94. *Domicilia* ſunt vel *mobilia*, qualia olim habuere Nomades, hodie Tatari, vel *fixa.*

§. 95. Fixa diſtinguuntur in *villas, vicos, caſtella, arces, urbes.*

§. 96. Villa eſt *domus fundi agreſtis.*

§. 97. Vicus eſt *villarum congeries ſine mœnibus.*

§. 98. Caſtellum eſt *vicus foſſa murisque cinctus.*

§. 99. Arx eſt *locus, qui arcere hoſtilem exercitum ad tempus poſſit.*

§. 100. Urbs (dicta ab Urbo ſive curvatura aratri,) apud Romanos erat, *tectorum conjunctio, locis mœnique ſepta, delubris diſtincta, ſpatiisque communibus*

munibus. Hodie eſt *civitatis domicilium, tametſi muris aut foſſis cinctum non ſit.*

§. 101. Reliqua vitæ humanæ adminicula *res* vel *bona* appellantur. Sunt autem bona propriè, *quorum æſtimationem nummus metitur.*

§. 102. Numus eſt *corpus ex inſtituto valens omnia*, ſive *communis rerum utilium menſura.*

§. 103. Res in latâ ſignificatione ſunt *vel nullius*, quæ non habent dominum, & *negativè* etiam dicuntur *communes*, vel *alicujus.*

§. 104. *Res* quæ *alicujus* ſunt, diſtinguuntur & à *ſubjecto*, unde ſunt vel *ſacræ*, vel *publicæ*, vel *univerſitatis* vel *ſingulorum*, & à *modo habendi.*

§. 105. *Res ſacræ* ſunt *quæ Deo dicatæ*, his affines ſunt *eccleſiaſticæ, quæ non niſi mediate cultui divino inſerviunt.*

§. 106. *Publicæ* vel *uſui omnium*, qui ſunt de civitate, *patent*, ut flumen apud multos populos ad piſcandum, vel *capiti civitatis attributæ, ab hoc in communes populi uſus derivantur*, ut *ærarium.*

§. 107. Ærarium eſt *pecunia ad uſus Reipublicæ deſtinata.* Quorſum apud plerosque populos *vectigalia* & *tributa* pertinent.

§. 108. Vectigal eſt *pecunia, quæ pro rebus importandis vel exportandis ſolvitur.*

§. 109. Tributum eſt *pecunia, quæ à ſingulis proportione cenſus penditur.*

§. 110. Res univerſitatis *vel uſum præbent omnibus illis qui in univerſitate vivunt*, ut platea, & ſecundum Chriſtianorum mores cæmiteria, *vel ad univerſitatem quà univerſitatem pertinent.*

§. 111. Res ſingulorum ſunt, *quæ ſingulis competunt.*

§. 112. A modo habendi *jura* ſunt *vel in re*, vel *ad rem* vel *mixta.*

§. 113.

§. 113. Jus in re *eſt facultas homini competens, ſine reſpectu ad certam perſonam* : Hujus præcipua ſpecies eſt *proprietas, cujus alienandi penes eum qui poſſidet, eſt poteſtas.*

§. 114. Proprietas *acquiritur* vel *originariè*, puta occupatione, vel *derivativè* ſc. acceſſione & traditione, ad quam etiam referenda uſucapio.

§. 115. Jus ad rem *eſt facultas competens in hominem, ut nobis aliquid det vel faciat.* Dicitur etiam *obligatio.*

§. 116. Obligatio oritur vel *ex pollicitatione*, vel *ex pacto*, vel *ex contractu*, vel denique *ex delicto.*

§. 117. Pollicitatio *eſt ſpontaneum offerentis promiſſum*, ejusque ſpecies eſt votum, quod Deo fit.

§. 118. Pactum *eſt duorum vel plurium in idem placitum conſenſus.*

§. 119. Contractus *eſt conventio cum causâ.* Cauſa autem ſunt res & actiones in commercium venientes, quæ dominia & pretia rerum præſupponunt.

§. 120. Jus in re & ad rem mixtum eſt, *quod ex utrisque conſtat.* Ut *hæreditas*, quatenus *eſt univerſitas rerum à defuncto relictarum*, & communio.

§. 121. Hæreditas acquiritur vel *teſtamento*, vel *ab inteſtato.*

§. 122. *Forma Civitatis* eſt vel *eſſentialis*, vel *accidentalis.* Illa vel *univerſalis*, vel *particularis.*

§. 123. Eſſentialis univerſalis conſiſtit in *concordiâ & Republicâ.*

§. 124. Concordia Platoni ἐν ἥρως *eſt ſententiarum & opinionum qs. concentus.*

§. 125. Reſpublica *eſt ordo civitatem inhabitantium, & conſtat ex ſummo Imperio & ſubjectione.*

§. 126. Summum Imperium, ſumma poteſtas, ſeu ſumma rerum, interdum hodiè appellatur *jurisdictio, merum*

merum imperium & *magiſtratus*, prorſus aliter atque apud Romanos, qui etiam *Majeſtatis* vocabulô, hodiè frequentiſſimò, parcè in hac ſignificatione fuere uſi.

§. 127. Summa Poteſtas eſt *facultas eminens ordinandi civitatem, cum omnibus ſuis partibus ad ſuum finem.*

§. 128. Eſtque (1) vel *regularis*, vel *irregularis*, de qua infra.

§. 129. (2) *Perſonalis*, vel *realis*, juxta multorum ſententiam. Verùm rectius non niſi una Majeſtas in una civitate intelligitur. Quanquam in civitatibus mixtis, Achaicis, & ſimilibus imago duplicis Majeſtatis appareat.

§. 130. (3) *Ordinaria* vel *extraordinaria*, quæ ſc. *ob imperioſas neceſſitatis rationes exercetur, boni publici cauſa*, & vocatur ab H. Grotio *dominium eminens* ſeu ſuper eminens.

§. 131. (4) *Uſufructuaria*, quæ alienari nequit, & *patrimonialis*, quæ alienabiliter habetur.

§. 132. (5) *Temporaria* vel *perpetua*. Illa ad tempus habetur ex lege: ut Dictatura apud Romanos (de quo exemplo tamen alii dubitant) & tutela ita conſtituta, ut populo non ſubſit.

§. 133. Cæterùm eſſe ſummas poteſtates experientia abunde firmat, & ratio ipſa evincit.

§. 134. *Modus* autem *conſtituendi* ex ſupradictis patet. Nimirum *pacto ſecundo* transfertur ſumma poteſtas (v. §. 48.) & *ex eo præcipuè debet æſtimari ſumma poteſtas.*

§. 135. *Non* verò *ex quotidianâ & in oculos incurrente adminiſtratione*, quæ ſæpe numero differt ab interiore poteſtatis conſtitutione. Nam *aliud eſt Status, aliud eſt adminiſtratio Reipubl.*

§. 136.

§. 136. *Non* ex *legibus*, quas frequens eſt mutari.

§. 137. *Non* denique ex *vocabulis*, *inſignibus*, aliiſque poteſtatis ſummæ *ſymbolis*.

§. 138. *Finis* ſummæ poteſtatis eſt promiſcua ſummi imperantis & eorum qui reguntur utilitas, in Repl. ſc. regulari.

§. 139. *Subjectum*, *unus*, *pauci* vel *omnes*, collectivè ſc. conſiderati.

§. 140. *Objectum* ſunt *jura Majeſtatis* ſive *Imperii*, quæ hodiè à multis, Italorum imitatione, *Regalia* dicuntur, & *dijudicantur ex fine*, qui pro menſura eſt in moralibus. *Nimirum ſine quibus ſalva civitas eſſe non poteſt, ad ſummam poteſtatem ſpectant omnia.*

§. 141. Unde liquet, *Regalia minora quæ* dicuntur, & *emolumenta tantum quædam ſummo Imperanti adjiciunt*, naturaliter & ſecluſis pactis à ſumme poteſtate abeſſe poſſe.

§. 142. *Regalia* verò *majora diſtinguuntur* vel *à quantitate*, vel *à qualitate*.

§. 143. A quantitate ſunt *vel univerſalia*, v. g. jus circa conſultationes, imperia, ſub quibus continentur leges, & judicia; vel *particularia*.

§. 144. Hæc occupantur *vel circa ſubjectum*, v. g. jus circa religionem ſive circa ſacra, & exiſtimationem, *vel objectum*, ut jus circa munimenta regionis, importanda & exportanda, nummos & ſimilia; *vel formam accidentalem*, v. g. jus circa bellum, inducias, pacem & fœdera; vel *efficientem cauſam*, ut jus circa miniſtros Reipubl. & inſtrumenta cœtera, ærarium, pœnas & præmia.

§. 145. A qualitate ſunt, *vel ordinaria*, *vel extraordinaria*, quæ ſc. ex certo civitatis ſtatu habituque pullulant. v. §. 130.

§. 146. *Forma eſſentialis* poteſtatis hujus eſt *ſummitas*.

§. 147. Hinc ſequitur eam (1) eſſe *liberam* ab externis.

§. 148. (2) *Sanctam* & inviolabilem.

§. 149. (3) *Solutam legibus*, poſitivis ſc. non naturæ, non fundamentalibus, §. 50.

§. 150. (4) *Indiviſam*, ſi Majeſtas ſc. eſt regularis.

§. 151. *Forma accidentalis* ſummæ poteſtatis ſunt *ſymbola* ſive *inſignia*, *exiſtimatio* apud externos, & ſimilia. Inſignibus annumerantur *ſigilla*, quorum uſus eſt antiquiſſimus.

§. 152. *Cauſa* ejus *efficiens* ſunt *cives* pactô primô ſociati.

§. 153. Summæ poteſtati reſpondet *ſubjectio*, quæ *eſt qualitas ſubditis inhærens, obligans ad fidem, obſequium & reverentiam.*

§. 154. *Forma* civitatis *eſſentialis particularis* conſiſtit *in Conſultationibus, imperiis & judiciis.*

§. 155. Conſultationes *proſpiciunt, ut recte aliquid conſtituatur.*

§. 156. Interdum eæ inſtituuntur, *ut futuræ deliberationi viam pandant*, & vocantur προβουλίαι ſ. *præconſultationes.*

§. 157. *Subjectum* ſunt *conſultatores*, & quidem, ſi omnes promiſcuè è populo, vel ſaltem qui populum referunt, ineant conſilia, vocantur *comitia* ſc. *conventus populi*; ſin pauci vel ſelecti è populo Senatus dicuntur.

§. 158. *Objectum* eſt omne ſingulare utile, quod in utrumvis duci poteſt. e. g. pax, bellum, & innumera alia.

§. 159. *Forma* eſt vel *generalis*, vel *ſpecialis*.

§. 160. Ad generalem pertinent *locus & tempus*: hinc

hinc *concilia* vel *ſtata & ordinaria ſunt*, vel *extraordinaria*.

§. 161. *Specialis forma* comitiorum imprimis & Senatus, *ſunt varii actus*, puta convocatio, compariticio, ſtatio vel ſeſſio, propoſitio conſultandorum, ſuffragia, quæ variè fiunt, decretum, executio, & tandem eventus.

§. 162. *Imperium* eſt vel *animatum*, vel *inanimatum*. Illud iterum eſt vel *ſummum*, quod ſumma poteſtas vocatur, de quâ jam egimus, vel *dependens* quod vocatur *Magiſtratus ſ. Magiſterium*.

§. 163. Magiſtratus (1) alii ſunt *neceſſarii*, alii *utiles*, alii *ad ornatum facientes* ſ. elegantiam.

§. 164. (2) Alii *uni negocio*, alii *pluribus etiam diverſi generis rebus præponuntur*.

§. 165. Imperium inanimatum eſt *lex ſ. regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum eſt*.

§. 166. Lex alia eſt *naturalis*, alia *poſitiva* ſ. voluntaria.

§. 167. Lex naturalis *eſt regula hominum animis à Deo indita, honeſtum faciendum & turpe omittendum dictans*. De ejus principiis jam diximus §. 25.

§. 168. Voluntaria eſt vel *ſcripta*, vel *non ſcripta*. Illa *fit voluntate legislatoris expreſsâ*. Hæc *tacita*, & dicitur *conſuetudo*.

§. 169. A ſubjecto Leges aliæ ſunt *generales*, aliæ *ſpeciales, quæ ſingulis perſonis certove perſonarum ordini aut cauſæ ultra jus commune aliquid tribuunt*, dicuntur hodiè *privilegia*, varieque differunt.

§. 170. Ab objecto Leges aliæ ſunt *publicæ*, aliæ *privatæ*, Publicæ *feruntur à ſumma poteſtate, & reſpiciunt ordinem atque decus rerum eidem ſubjectarum*. Earum ſpecies ſunt leges Cenſoriæ & ſumtuariæ.

§. 171. *Origo* legum poſitivarum eſt ſerior quam civitatum; nam primis temporibus arbitria Rectorum pro legibus fuere.

§. 172. *Finis* legum eſt, ut imperium ad earum normam conſtanter adminiſtretur. Hinc eruditè Pindarus legis ſorores vocat jūſtitiam, fundamentum urbium, & pacem, cuſtodes opum, atque injuriam arcentes, matrem faſtus.

§. 173. *Objectum* ſunt *negocia* civium quæcunque.

§. 174. *Forma* conſiſtit in juſſione & promulgatione.

§. 175. Judicium eſt *legitima cauſæ diſceptatio, quæ fit apud judicem, à parte actoris & rei, litis finiendæ gratiâ.*

§. 176. Judicium ab objecto dividitur in *civile*, quod diſtrahit controverſias de lucro aut damno certantium; & *criminale*, quod punit maleficos.

§. 177. A formâ *in ſumma*, in quibus quæ judicantur vim habent poſtremæ ſententiæ; & *inferiora*.

§. 178. Judicia cum ipſis civitatibus cœpere. Nam metus ab injuriis inter præcipuas fuit cauſas conſtituendarum civitatum.

§. 179. *Finis* judiciorum eſt, ut controverſiæ dirimantur & cuique jus reddatur.

§. 180. *Subjectum* ſunt *judex* & *litigantes, actor* ſc. *& reus*. Litigantium locum ſubeunt interdum *Procuratores*; adhiberi etiam ſolent *Advocati*.

§. 181. *Forma* eſt vel *generalis*, conſiſtens in ordine, loco & tempore; *& ſpecialis*.

§. 182. Ad *formam ſpecialem pertinent diverſi actus* (1) expoſitio cauſæ (2) in jus vocatio (3) Litis conteſtatio (4) Probatio (5) Sententia (6) in judiciis inferioribus interdum Appellatio (7) executio.

§. 183. Forma accidentalis Civitatis ſunt *Pax* & *bellum*

bellum: Sub pace *fœdus & neutralitas*, ſub bello *inducia & repreſſalia* continentur.

§. 184. Pax Platoni ἐν ὄρεσι *eſt hoſtilium contentionum quies*: vel *eſt perpetua & deſtinata quies ab armis actibusque hoſtilibus.*

§. 185. Fœderis vocabulum à Romanis porrectum fuit *ad pacta, quæ imminutionem imperii continent, & civitates faciunt irregulares* (v.g. feudales, clientelares.) *vel unam paciſcentium in conditionem ſubditorum redigunt.*

§. 186. Fœdus h.l. *eſt ſtatus duarum vel pluriumcivitatum ſub pacto de amicitia, auxiliis, commerciis aliisvè præſtandis ſociatarum, ſine imminutione imperii.*

§. 187. Dividuntur (1) à Subjecto in *perſonalia, & realia.*

§. 188. (2) Ab objecto, quod *alia ad pacem*, v. g. commercia, *alia ad bellum* pertineant. Hæc iterum vel *ad inferendum*, vel *ad defendendum bellum.*

§. 189. (3) à forma ſunt vel *æqualia*, cum utrinque paria præſtantur; vel *inæqualia*, cum quis auxilia promittit, nec reſtipulatur.

§. 190. Neutralitas *eſt pax inter duos belligerantes.*

§. 191. Hujus ſpecies eſt *arbitrium ſ. mediatio*, ut vocant, *quando civitas aliis diſſidentibus mediam ſe interponit.*

§. 192. Bellum eſt *ſtatus civitatum per vim certantium, quà tales ſunt.*

§. 193. Induciæ ſunt *ſtatus hoſtium, à vi ad certum tempus abſtinentium, manente belli cauſa.*

§. 194. Repreſſaliæ ſunt *executiones violentæ civitatis, ob jus in cauſa liquidâ civibus ſuis negatum ab externa civitate, contra hujus ſubditos quoſcunque.*

§. 195. *Cauſa effectrix* civitatis *univerſalis* eſt *di-*

vina providentia, quæ eximiè conſpicitur in gubernatione civitatum.

§. 196. *Particularis* eſt vel *princeps*, quo pertinent perſonæ ſummorum imperantium, vel *minus principalis*. Hæc iterum *vel animata* vel *inanimis eſt*.

§. 197. Animata ſunt *ſummorum imperantium adminiſtri & inſtrumenta cætera*, puta *Conſiliarii, Magiſtratus, judices, legati, milites*.

§. 198. Conſiliarii ſunt *Miniſtri Reipl. prudentia & conſiliis Rempl. juvare idonei*, & ad danda conſilia auctorati.

§. 199. Magiſtratus ſunt *miniſtri Reipl. quibus facultas eſt attributa*.

§. 200. Judices *ſunt miniſtri civitatis, ſtatuentes de eo quod juſtum eſt inter litigantes*.

§. 201. Legati vox apud Romanos extenſa fuit *ad miſſos à municipiis* ad expedienda eorum negotia. Dicebantur etiam abſentes Reipubl. cauſa.

§. 202. Legatus propriè h. l. eſt, *mandatarius, miſſus ab eo, qui ſummam habet poteſtatem, ad externum, ſummæ poteſtatis æque compotem, ob publicum aliquod negocium expediendum*.

§. 203. Diſtinguuntur (2) in *plenipotentiarios* Græcè αὐτοκράτορας, *qui liberam, ut facto opus eſt, negotia tractandi poteſtatem habent, & reliquos*, quibus circumſcripta ſunt mandata.

§. 204. Diſtinguuntur (2) in *Ambaſſadores*, qui *faciem Reipl.* ut Cicero loquitur, *ſecum adferunt, ac proinde eodem quo mittens honore ſunt colendi, quà mos & ratio non refragatur*; & *legatos inferioris conditionis, qui circumpoſitô illo ſplendore deſtituuntur*.

§. 205. Diſtinguuntur (3) in *perpetuos* ſ. *aſſiduos, quinon certi alicujus negotii cauſa moram in externâ civi-*

civitate trahunt, & vulgo residentes dicuntur; & *extraordinarios.*

§. 206. *Finis* mittendorum legatorum est, ut Reipl. negocia expediant. Unde liquet *legatos honorarios*, qui honoris tantum & ornamenti causa illum titulum apud exteros gerunt, à legatis, quos h. l. intelligimus, distingui.

§. 207. *Subjectum ad quod*, sunt externi summæ compotes potestatis.

§. 208. *Objectum* sunt negocia cum exteris quæcunque, publica sc. Hinc *Agentes*, quos vocant, à legatis propriè dictis distinguuntur:

§. 209. *Forma* consistit in *literis fidei*, vulgo Credentz-Brieffe. Quibus hodie, ubi de certo negocio tractandum, addi solet *diploma facultatis* seu instrumentum procuratorium, *per quod mittens externo, ad quem mittitur legatus, obligatur.*

§. 210. Ab utroque differt *libellus commonitorius*, vulgo instructio, *qui plerunque arcana continet mandata, & legatum mittenti obstringit.*

§. 211. Milites sunt *homines*, *ad usum armorum idonei, qui bello gerendo adhibentur.*

§. 212. Suntque (1) *lecti* seu evocati, *conductitii* seu mercenarii, aut *socii* sive auxilia. Conducuntur autem vel *domi*, vel *foris.*

§. 213. (2) A genere armorum, quidam *hastati* sive sarissophori (vulgò Piquenirer) quidam *gladiati*, quidam *sagittarii* aut *sclopetarii*, quidam *cataphracti.*

§. 214. (3) *Equites* vel *Pedites*, quibus recentior ætas addidit *Dragonarios*, quos imitatione antiquitatis Dimachas appellare possumus.

§. 215. (4) *Præsidiarii*, ad corporis aut locorum custodiam destinati, vel *in expediti ne versantes.*

§. 216. *Cauſa Efficiens minus principalis inanima*ta ſunt *pœnæ, præmia, & ærarium*, de quo ſupra in §. 107.

§. 217. Pœna eſt *malum paſſionis propter malum actionis*. Sub actione continetur etiam omiſſio.

§. 218. *Fines* pœnarum tres ſunt, ut emendetur is qui peccavit, ut patienti injuriam ſatisfiat, ut exemplum edatur & alii deterreantur.

§. 219. *Objectum* eſt *delictum* ſ. *factum ſponte admiſſum honeſtati & juri contrarium, eoque animadverſione dignum.*

§. 220. *Forma* conſiſtit in *quantitate* ſ. æſtimatione, & *qualitate*. Unde pœnæ aliæ ſunt *capitales*, aliæ *non capitales*.

§. 221. *Præmia* alia ex mera gratia conferuntur, alia ob merita. Deinde alia rem, alia honorem tribuunt.

§. 222. Hucusque de civitate in genere egimus, ſequitur ut de *ſpeciebus civitatum regularium* & deinceps *irregularium* videamus.

§. 223. *Summa* civitatum regularium *diviſio* eſt *in optimas, & non optimas*.

§. 224. Optima rurſus vel *ex voto*, vel *plerumque* vel *ex hypotheſi*, ſeu pro ſtatu rei præſentis eſt.

§. 225. Optima civitas ex voto *eſt ſimulacrum civitatis, quæ nuſquam reperitur, quippe humani ingenii commento in id evecta ſupra quod aſcendi non poteſt, & optanda omnia complectens.* Quidam Utopiam, alii à primo auctore Platonis Rempl. vocant.

§. 226. Optima Civitas plerumque eſt, *quæ virtutem vulgi captum exſuperantem non quærit, & proinde civitatibus pleriſque eſt conveniens.*

§. 227. Optima pro ſtatu rei præſentis ab hoc loco eſt aliena, quoniam & irregulares ita optimas eſſe nihil vetat.

§. 228.

§. 228. *Altera civitatum partitio* est in *mediterraneas & maritimas*, quæ *mare sc. adjacent*, ut olim pleræque Græciæ civitates.

§. 229. *Tertia civitatum partitio* est, in *Regnum, Aristocratiam*, & *Politiam*.

§. 230. Regnum est antiquissima Rerumpl. species, & plerisque populis usitata.

§. 231. Regnum interdum idem notat quod *Principatus* apud Latinos. Est autem *Principatus eminens unius auctoritas, aliorum potestate at legibus circumscripta*.

§. 232. *Interdum malam aque ac bonam gubernationem significatu suo complectitur*, v. g. tyrannidem.

§. 233. Hoc loco est *summum persona unius imperium ad communem civitatis salutem*.

§. 234. Regna à modo constituendi distinguuntur in *successiva*, & *electiva*.

§. 235. Successiva *sanguinis jure deferuntur, & quidem* vel *maribus tantum*, e. g. in Gallia, *vel simul fœminis*, e. g. in Britannia. Porro quædam *dividua* sunt. e. g. olim Francorum regnum, quædam *individua*, ubi fermè ad jus primorum natalium solet respici. E. g. pleraque Europæ regna.

§. 236. Electiva sunt, *cum non nascendi sorte, sed cooptandi judicio Reges constituuntur*.

§. 237. Heic notandum (1) electitium regnum haut fieri, cum ex necessitate & in subsidium ad electionem descenditur. e. g. in Germania, postquam Francorum Carolingica familia fuit extincta.

§. 238. (2) Necsuccessivum desinere, licet solennes quædam inaugurationes obsequii ergo novum Regem contestandi causa adhibeantur. e. g. in Galliâ.

§. 239. (3) Electiva esse vel *pure talia*; vel *temperate, cum* sc. *suffragandi arbitrium in certa stirpis, de*

publico bene meritæ, vel regno cognatæ, personas integrâ libertate transfertur & dispensatur, ut in Germanico Imperio, & per aliquot centum annos Poloniæ regno. Interdum etiam sunt mixtæ ex successivis & electivis regna.

§. 240. A modô administrandi, regna alia sunt *tutoria*, alia *in specie sic dicta*.

§. 241. Tutoria sunt, *quando unus vel plures regnum administrant eorum vice, qui ætatis vel alio defectu laborant*.

§. 242. Aliquando regnum *à potissimo aulæ* (ministrissimum hodie vocant) administratur. Exemplum est in Sejano sub Tiberii Principatu.

§. 243. Aristocratia est, *quam Optimates sive pauci regunt ad communem utilitatem*.

§. 244. A modo constituendi rectè aristocratiam dividas in *successivam & electitiam*.

§. 245. Successiva est, *ubi ex certis gentibus prognati solo sanguinis sive natalium titulo summi imperii sunt compotes*. e. g. Venetiis.

§. 246. Electitia est *voti* vel *liberi* vel *restricti*. Illa est, *quando ex universâ populi multitudine, cujuscunque sint generis, conditionis aut fortunæ meliores summæ rei præponuntur*: Hæc, *quando bona fortunæ*, v. g. census aut natales, *spectantur in electione*.

§. 247. A modo administrandi alia est pura, alia *temperata*, idque vel *regiè*, *ubi unus aliquis cæteris dignitate est potior*, vel *populari modo*.

§. 248. *Politia est universi populi imperium ad communem utilitatem*.

§. 249. Hæc etiam *vel pura est*, vel *temperata*.

§. 250. Pura est, *ubi potentia vulgi promiscua est, & fortuita dignatio*.

§. 251. Temperata est vel *regiè*, *ubi unus aliquis* auctо-

auctoritate eminet, ſed ſuadendi magis quam jubendi poteſtate; vel ariſtocraticè, *ubi, ut exemplo frequentiore utar, univerſa multitudini ſenatus quidam isque perpetuus, velut anchora concionis popularis, præſidet, nec ſenatores mutantur, niſi morte aut turpi facto quod remotionem mereatur.*

§. 252. Politia porro vel *urbica* eſt, *ubi penes illos, qui in urbibus habitant, eſt ſumma rerum, ut* Athenis; vel *per vicos ſparſa.* e. g. Pagis quibusdam Helvetiæ.

§. 253. Irregulares Civitates ſunt *cœtus ſecuritatis causa conflati, ſed forma illa, quam è ſtatu naturali migraturis communis ſenſus quaſi præmonſtrabat, carentes.*

§. 254. *A fine civitatis* irregulares ſunt, *quæ latam dominationem appetunt, & fines nullâ juris ratione habitâ proferre ſemper ſatagunt.* Exemplum talis imperii primus invexit Ninus apud Aſſyrios, teſte Juſtino.

§. 255. (2) *Quæ felicitatem collocant in magnis divitiis.* e. g. olim Tyriorum civitas.

§. 256. (3) *Quæ luxum & voluptatem numen ſuum faciunt*, e. g. Aſſyrii ſub Sardanapalo.

§. 257. *A fine ſummæ poteſtatis* irregulares ſunt *heriles*, cum *imperantes proſcopo primario habent ſua commoda, populi utilitates per accidens curant.*

§. 258. Hæ, ubi ab uno reguntur, vocantur *Dominatus*; ubi à paucis, *obligarchia* καὶ ἐξοχὴν ſ. *oligarchiæ heriles.*

§. 259. A *ſubjecto ſummæ poteſtatis* irregularis eſt *dyarchia, ubi duo ſummam poteſtatem tenent.* e. g. hodiè in Moſcovia.

§. 260. Huc pertinet etiam illa Reipl. ſpecies, cum duo pluresve Principes, *quorum unus alterve externo ſimul potentatu ſunt ſubnixi, in una regione com-*

communè regimen exercent. Exemplo ſunt in Germania Condominatus **zwey oder drey Herriſche Regierungen.**

§. 261. *A forma* irregulares ſunt Reſpubl. quæ vulgo *mixtæ* dicuntur, *quando inter Regem, Optimates vel univerſum populum partitio ſummæ poteſtatis facta eſt.* e.g. in Angliâ, Poloniâ.

§. 262. Ab his diverſæ ſunt Reſpl. *temperatæ*, quippe *quæ natura ſua ſimplices ſunt & regulares, ſed modum adminiſtrandi ex alia Repl. mutuantur.* vid. §. 247.

§. 263. A modo habendi irregulares ſunt civitates, quæ in patrimonio ſunt ſummi imperantis, & alienabiliter habentur.

§. 264. Reſtat, ut poſt *conſtitutionem* civitatum de earundem *mutatione* videamus.

§. 265. Mutatio fit vel per *everſionem*, cum aut corpus civitatis interit, aut juris communitas tollitur, quod plerumque contingit per externos; vel per *converſionem*, quæ mutatio in ſpecie dicitur.

§. 266. Hæc vel *ſubitò* fit, vel *lentè* & per intervalla.

§. 267. Utraque contingit *in pactis*, quibus civitatem conſtitutam ſupra docuimus: unde diverſa civitatum genera enaſcuntur, quarum aliquæ *regulares ſunt*, aliquæ *irregulares.*

§. 268. Et quidem *pactum primum ac ſecundum communicantur, ubi diverſæ civitates inter ſe, vel pars unius civitatis cum alia coaleſcunt.*

§. 296. Hæc coalitio fit vel *homogeneo modo*, vel *heterogeneo.*

§. 270. Homogeneo modo coaleſcunt, *quando novus ex coalitis civitatibus fit contextus, ut unius ejuſdemque juris ac nominis civitas impoſterum cenſeatur.*

ſcatur, e. g. Conjunctio Suetorum & Gothorum facta ſub Ingello II. Huc ſpectat etiam Virgilianum illud: *Faciam omnes unô ore Latinos.*

§. 271. Hererogeneo modo coaleſcunt, *cum diverſo modo miſcentur*, unde *diſſimilares* appellari poſſunt. E. g. conjunctio Italiæ cum Imperio Germanico ſub Ottone M. Quò pertinet etiam, quando partes quædam inſtar appendicum habentur. e. g. Provinciæ in vetere Imperio Romano.

§. 272. Pactum ſecundum communicatur, *ubi duo pluresve populi, in idſtinctas ſegregati civitates, ſub uno capite ſ. Rege coëunt, nulla cæteroquin communicatione facta.* e. g. Imperium Romano-Germanicum regno Hungarico & Bohemico ſub Seren. Auſtriacâ domo copulatum.

§. 273. Pacto ſecundo ſuperadditur aliud, *cum civitates, quæ juris ante ſui erant, ſponte coëunt, & eximia ſummi imperii jura contribuunt, quorum exercitium deinceps ſingulis ſit ademtum.* e. g. Fœderatum Belgium, & Helvetici Cantones. Græci talia corpora συσήματα dixerunt. Poſſent etiam Reſpl. Achaicæ nuncupari, à notiſſimo Achæorum fœdere.

§. 274. Syſtemata hæc vel *Principem habent*, vel *non habent*, deinde *quibusdam ſunt ſtata & ordinaria concilia; quibusdam non.*

§. 275. Inter ſyſtemata hæc & diſſimilares civitates, eſt *interjecta ſpecies*, ſed ἀνώνυμος, *cum latenter & quaſi fortuitò adeoque vel majore vel minore jurium communicatione civitas in eum ſtatum delabitur, ut ſeriem quandam poteſtatum contineat, quarum uni ſuperiori & velut præſidi alia locis juribus & adminiſtratione diſgregata ſubſint.* e. g. Imperium Romano-Germanicum, quatenus pars ſummæ poteſtatis à Cæſare & Statibus exercetur, pars alia ad certas regiones contrahitur. Aliud exemplum eſt in Hierarchia

chia Papali, si spectetur ad regna vel Respl. eidem subjecta.

§. 276. *Pacto secundo superadditur aliud*, sed cum imminutione Majestatis, quam dignitatem dicimus, *fide clientelari, feudali*, aut *præstandi vectigalis*. Hinc civitates *clientelares, feudales, vectigales*.

§. 277. Clientelaris est, *cum populus alterius populi majestatem comiter observare tenetur*.

§. 278. His similes sunt *coloniæ antiquitus missæ*. Nam hodiè qui in colonias proficiscuntur subjectionem non mutant.

§. 279. Feudales civitates *fidem & operas debent*. Quod plerunque fit ex spontanea obligatione. Ita Neapolitanum regnum feudum est Pontificis Romani.

§. 280. Vectigales sunt, *quæ pacem aut tutelam annuâ quadam pensitatione redimunt*. .e. g. hodiè Transylvania Regi Hungariæ.

§. 281. *Pactum secundum mutatur prorsus, quando civitatis forma ex unâ in aliam migrat*. e. g. regnum in aristocratiam. Hæ novæ vocantur.

§. 282. *Pactum secundum suspenditur per interregnum*, quod est *status civitatis, cum manente pactô primô alterum vel lege vel arbitriô vel casu aliquandiu suspenditur*.

§. 283. *Pactum secundum tollitur* imperio injustô & violentô. Hujus species sunt *Tyrannis, dynastia, & ochlocratia*.

§. 284. Tyrannis est, *ubi unus per injuriam, meliore populi parte ægrè ferente & offensâ, dominationem exercet*.

§. 285. Dynastia, *ubi pauci pro libidine, nihil secundum leges agunt*.

§. 286. Ochlocratia, *cum multitudo affectu potius & impetu quam ratione ducitur, neque ad decus & com-*

commodum publicum respicit, sed prout libido & propria utilitas auspicium facit, Rempl. exercet.

§. 287. *Species tenus tollitur pactum secundum, cum alius sine jure invadit dominatum.* Hoc Reipl. genus nonnulli *tyrannidem titulo* vocant; quanquam & in paucorum & multitudinis imperio habere locum possit.

§. 288. Hujusmodi invasio est vel *sophistica*, vel *merè violenta*, vel *mixta.*

§. 289. Ad sophisticam etiam referri potest *personatorum Regum fallacia.*

§. 290. *Pactum primum & secundum* vel *tollitur*, vel *rumpitur*, vel certè *debilitatur factionibus* & *bellis civilibus.*

§. 291. Factio, est *societas occulta*, Meuterey/ Rotte/ *in exitium aliquod conflata, erumpendi occasionem in tempore expectans.* Huic affinis est conjuratio.

§. 292. Bellum civile *est status civium, vi & armis concertantium, quatenus tales sunt.*

§. 293. Affinia his sunt *tumultus, & seditiones.*

§. 294. Tumultus est *motus quidam repentinus, à terrore vel simili causâ ortum habens.*

§. 295. Seditio Auffruhr est *motus civium inter se discordantium, bello proximus.*

§. 296. *Omninò solvitur pactum primum & secundum anarchiâ*, quæ est *confusa sine ordine æqualitas.* Funus & Cadaver ipsum civitatis. Etenim ex sententia Sophoclis: Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν.

FINIS.

ELEMENTORUM PRUDENTIÆ CIVILIS PÆDIA.

I. NEceſſitas pædiæ politicæ, & qui de ea ſcripſerunt. Hoîc traditur

II. SYNONYMIA Prudentiæ civilis, & num Ratio ſtatus idem ſignificet?

III. HOMONYMIA. Politica olim diſciplinas omnes activas notavit.

IV. Poſtea peritiam viræ elegantioris, fallendi artes, factionis genus in Galliâ, & alia.

V. DEFINITIO politicæ, ut heic accipitur.

VI. Præſtruitur dari civilem ſcientiam.

VII. Eamque ſub Rhetoricâ vel Jurisprudentiâ non contineri.

IIX. FINIS.

IX. OBJECTUM, *Civitas.*

X. A ſingularum civitatum conditione mentis agitatione abſtracta.

XI. Etiam optima ex voto.

XII. Etiam aberrantes à rectis ſive vitioſæ civitates.

XIII. *Et qua civitati πρώτως & per ſe inſunt.* Hinc partes politicæ non ſunt Ethica, Oeconomica, aut militaris diſciplina &c.

XIV. *Quatenus, quid bono quid malo civitati ſit, quæritur.*

XV. FORMA *conſtituendæ hujus ſcientiæ* conſiſtit (1) *in inductione ex exemplis.*

XVI. (2) *Demonſtratione.*

XVII. (3) *Ordine ſive diſpoſitione.*

XIIX. (4) *Uſu & exercitatione.*

XIX. Ex quibus ſequitur, cognitionem hanc eſſe (1) *Intellectualem*, ſive mentis agitatione comparandam, non merè *ἐμπειρικὴν.*

XX. (2) *Certam*, & quatenus.

XXI. CAUSA EFFICIENS *principalis.*

XXII. *Adjuvans & minus principalis*, ductores idonei.

XXIII. Libri politici.

XXIV. Atque hiſtorici, quorum multiplex eſt diverſitas.

§. I.

Quemadmodum in alio omni disciplinarum genere summè est necessarium, ut cui earum studium cum fructu ingredi est animus, secum adferat tum magistrorum, qui scientiam illam excoluerunt, tum & cumprimis quidem ipsiusmet artis omniumque eorum, quæ quovis modo ad eam spectant, περὶ παιδείας justam accuratamque cognitionem; hoc est, quod objectum habeat, qualis sit cognitio, quibus è fontibus haurienda, quâ methodo atque instructu utatur, & hujus generis alia: ita multò minus in civili prudentiâ id omitti potest, quò major rerum harum ἀπαιδευσία (quæ secundum Aristotelem IV. *metaph. 4.* est τὸ μὴ γινώσκειν, τίνων δεῖ ζητεῖν ἀπόδειξιν, καὶ τίνων ὰ δεῖ, *nescire, quorum oportet quærere demonstrationem, & quorum non*) in plerisque ejus scriptoribus deprehenditur; * *eoque redacta est hodie civilis scientia, ut vix pauci faciem ejus amplius noscant, plerique nescio quid non ejus loco venerentur.* Verba sunt Herman. Conringii *ad Guilelm. Ducem Brunsv. & Lüneburgic. in dedicatione Aristot. Politic.* Quamobrem idem ille Conringius libris duobus, unô fusiore & acroamatico *de prudentia civili*, alterô in usum juventutis contractiore & magis populari, cui titulum *propolitica* indidit, veram hujus scientiæ conditionem ejusque fontes & itinera ipsa putavit esse commonstranda. Quo labore eo successu est defunctus, ut nihil hac in parte desiderari possit amplius. Nisi forsan addere libeat ejusdem argumenti auctores, quos ipse *in præfatione ad lectorem pædiæ politices Caspari Sciopii* laudavit, necnon H. Bœcleri *Dissertationem de Politicâ Lipsianâ*, & Andreæ Bosii *dissertationem*

tionem posthumam de comparandâ prudentiâ civili. Nos heic strictim prosequemur, quæ instituto nostro conducere videbuntur.

* Jacob. Bornitius, discursu de prudentia politica comparanda. *Innumeri*, inquit, *sunt scriptores politici veteres ac recentiores, quorum opera si quis censura artis politicæ subjecerit, maximam varietatem & imperfectionem deprehendet.* Addit post multa, quæ desiderari possent, in medium adducta, *hucusque disciplinam hanc cultam ex parte videri, sed nullatenus excultam.* Conferantur quæ disseruit Bœclerus *in Musæo p.* 49 53.

II. Prudentiam civilem, quæ gerendæ reipublicæ ratio atque prudentia à Cicerone *l. 1. de inventione l. 2. de officiis & in partition. orat.* ab aliis prudentia rectoria vocatur, Græcos πολιτικὴν appellasse tralatitium est. (1) Quanquam apud eosdem vocabulum hoc interdum singularis reip. notitiam significaverit, & prudentia civilis, de quâ heic agimus, νομοθετικὴ audierit, forte propterea, quia, dum in genere docet quid agendum omittendumvè in omni republicâ, eô ipsô quasi leges præscribat omnibus rerump. actibus. Stoici sub morali philosophiâ comprehendebant. Ita enim Zeno: Εἶναι γὰρ Φιλοσοφίας τὸ μὲν τι Φυσικόν· τὸ δὲ ἠθικόν· τὸ δὲ λογικόν. *Philosophiæ enim partem unam esse de naturâ; de moribus alteram; tertiam de differendi ratione.* ut auctor Laertius *l. 7. in ejus vitâ* & reliquos Stoicos eandem divisionem retinuisse memorat. Cleanthes autem à morali politicam distinxit, ut idem Laertius testatur: ἠθικὴν Φιλοσοφίαν ἢ πολιτικὴν distinguit Strabo *l. 1. Geogr.* Salomon Rex *sapientiæ* vocabulo Politicam extulit. *Proverb. IIX, 6. 15. sequ. Salomonis Ecclesiastes IX, 13. sequ. 1. Reg. III, 9. 11.* Hodie eandem vocabulo rationis status quammulti insigniverunt; ut vel libri Italorum, Germanorum, Gallorum, istum titulum præferentes, docent: idemque sentire

videntur, qui rationem ſtatus per habitum, prudentiam, verbi gratiâ, vel ſagacitatem definiunt. Tamen Scipio Claromontius *lib. 3. de rat. ſtat. cap. 35.* contendit; rationem ſtatus latius patere politicâ, cum prava ſcil. eſt illa, adeoque non prudentiæ, ſed aſtutiæ, vel calliditatis vel quovis potius nomine digna. Contra Septalius *l. 1. de Rat. ſtat. c. 3.* & Zuccolus *de ratione ſtatus p. 34. & ſequ.* civilem ſcientiam ratione ſtatus ſemper ampliorem eſſe aſſerunt: quoniam illa quaſi genus ſit conſultatoriæ, legislatoriæ & judicialis prudentiæ; hæc tantum ſub conſultatoria contineatur. Enimverò, ut hoc eorum libri, qui de ratione ſtatus ſcripsêre, Septaliique ipſius refellunt; ita vitioſa quoque eſt Claromontii hypotheſis: minus rectarum civitatum inſtitutionem à politicâ doctrinâ abeſſe oportere. Uti mox docebitur. Adeoque in notione hac, (quæ prima eſt) quâ pro habitu mentis capitur ratio ſtatus; vix differt à politicâ, aut certè illius præcipua pars exiſtit, quemadmodum gubernandæ civitates ſint præcipiens. (2) Planè (quæ altera eſt ſignificatio) alii vocabulo rationis ſtatus malunt intelligere dominium civitatis, quod vocatur eminens, ſive jus extraordinarium ſummarum poteſtatum. (3) Alii (quæ tertia eſt ſignificatio) artes reip. arcanas, easque ut plurimum ſubdolas aut inhoneſtas. Genuina autem haud dubiè & propria ejus (eaque quarta) eſt ſignificatio, quando definitur per *modum, quo utilitas ſeu finis reipublicæ, præſertim qualis in præſenti eſt, obtinetur.* Quæcunque vero harum trium notionum recipiatur, rationem ſtatus non ipſam civilem eſſe ſcientiam, ſed ad ejus objectum pertinere facile liquet.

(1) Ariſtoteles VI. *Nicomach.* 8. Η' μὲν, οἷς δεχιτεκτονικὴ φρόνησις, τοιαύτη μία· Η' δὲ, οἷς τὰ καθ' ἕκαστα· τὸ πολιτικὸν ἔχει ὄνομα,

ὄνομα, πολιτικὴ. Ejus ſcientia, quæ ad civitatem pertinet, una eſt, velut princeps prudentia, nomothetice: altera, velut circa ſingularia occupata, communi nomine politice appellatur. Addatur Paraphraſt. Ariſtotel. *ad d. l. cap.* 8. *&* 9.

(2) Ita Scipio Ammiratus *l.* 12. *Diſcurſ. ad Tacit.* 1. definit, *derogationem juris ordinarii ad majorem magnique univerſalem rationem directam, ut publicum bonum ſit in ſalvo.* conf. Frantzkium *ad* §. 1. *J. de jure nat. & gent. n.* 36. *ſequ.* Iſaac Caſaubon. *ad l* 12. *Polyb.* 39. *in fine.* Bœcler. *ad prolegom. Hippolithi à Lapide.*

(3) Quæ Tacito dominationis flagitia, Politicis noſtris rationis ſtatus dici, auctor eſt Forſtnerus *ad* 3. *Annal. Tacit. p.* 423. Add. Reinking. *l.* 1. *Bibl. Policey c.* 7. *&* *l.* 2. *c.* 37. 38. 39.

III. Politicæ vocabulum varia ſignificat, certè ad varia refertur. Apud veteres aliquando accipiebatur generaliter pro illâ diſciplinâ, quæ reliquas activas, Oeconomicam, Ethicam, Rhetoricam, ſub ſe complectitur. Ita Plato *Theage, Phædro, Gorgiâ, libris de rep. & LL.* Ariſtoteles *paſſim.* Qui ea quoque notione uſurpaſſe videtur; quando πολιτικὴν vocat ἀρχιτεκτονικὴν, καὶ κυριωτάτην, καὶ τὰς ἄλλας ὑπερέχουσαν. Quod quemadmodum in politicâ ſpecialiter dictâ verum ſit, v. Conring. *c.* 9. *de prud. Civil p.* 180. *& ſeqq.* Forte etiam inde eſt, quod Peripatetici Philoſophi aut Academici, propter eximiam maximarum rerum ſcientiam, à Græcis Politici Philoſophi appellati, auctore Cicerone, *l.* 3. *de oratore.* Et Strabo *l.* 1. *Geograph.* Πολιτικὸν dicit, τὸν μετέχοντα τῆς δὲ ἐγκυκλίου καὶ συνήθους ἀγωγῆς τοῖς ἐλευθέροις καὶ τοῖς Φιλοσόφοις. *Qui diſciplinâ circulari & liberalibus ac philoſophantibus uſitatâ ſit inſtitutus.*

IV. Hodie non rarò apud vulgus notat peritiam cultioris vitæ morumque omnium elegantiorum, qualem habuit Alcibiades apud Nepotem, Epaminondas & Ageſilaus apud Plutarchum *de adulatione,*

latione, Mutianus *apud ſubjectos, apud proximos, apud collegas variis illecebris potens, omniumque quæ diceret atque ageret arte quadam oſtentator.* Ut eum deſcribit Tacitus *2. Hiſt. 10. & 80.* Ariſtippus apud Laertium l. 2. in ejus vita, *qui omni & loco & tempori & perſonæ ſervire, quique omnem ipſe perſonam aptè ſuſtinere poſſet.* De eodem Horatius:

Omnis Ariſtippum decuit color, & ſtatus, & res.

(1) Interdum peritiam ſignificat, qualem calluit Callicrates apud Nepot. in Dione *c. 8. homo callidus & ad fraudem acutus; ſine ulla religione ac fide.* Chorus apud Euripid. in Bacchis verſ. 393.

Τὸ σοφὸν δὲ σοφία.

Nimis *autem eſſe callidum non eſt ſapientia.* Egnatius apud Tacitum XVI. Annal. 33. *Habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, ceterum animo perfidioſus & ſubdolus, avaritiam ac libidinem occultans.* Apud Græcos poſteriores Πολιτικὴ mulierem, per urbem corpore ſuo quæſtum facientem, notavit, de quo videatur Joannes Meurſius *Lexico Græco-Barbaro voce* Πολιτικὴ. Et ut quidam *Politici* genus hæreticorum, quos alii etiam Arnaldiſtas vocabant, fuere, in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. damnatum. v. Carolus Cangius *gloſſar. voce Politici:* Ita ſuperiori ſeculo in Galliâ factionis fuit nomen, dictique ibi *Politici*, qui de quietis publicæ perturbationibus, edictorum violationibus, & pravâ reip. adminiſtratione palam ac vulgò querebantur, eamque convocatis tegni comitiis corrigi ac emendari petebant. vid. Thuanum paſſim, imprimis *l. 44. ad An. 1568. lib. 57. ad An. 1574. lib. 52. ad An. 1572.* (2) Mitto alias ſignificationes.

(1) *Vulgò Politicos vocari*, ait H. Grotius annot. ad Joannem XI, 50. *qui honeſto atque juſto inſuper habitô nihil præ-*

ter

ter utilitatem ſpectant, nec aliud in ore habent: utilitatem, inquam, quam publicam vocant, cum revera plerumque merè privata ſit.

(2) Quò inprimis pertinet, quando apud Germanos *inſignes in aulis potatores* eô vocabulo inſigniuntur. Carpzov. *quæſt. criminal.* 146. *n.* 9.

V. Hoc loco ſignificat ἐπιστήμην τῶν καλῶν καὶ συμφερόντων, ut definit Plato *Clitophone.* ſive ut Cicero: *prudentiam, quæ verſatur in perſpiciendis rationibus conſtituendarum & gubernandarum rerumpublicarum.* Livius: *artem, quâ civitas regitur.* Poſſes etiam deſcribere *prudentiam, quæ conſtituendæ ac conſervandæ civitatis curam ac rationem tradit.* (1) Prudentiam dixi. Quanquam nihil vetet (2) ſcientiam quoque inſigniri, quatenus ſcil. occupata eſt in cognitione æternæ veritatis cum aliorum, tum eorum, quæ agi aut effici poſſunt, ut egregiè adſtruxit H. Conring. *de pr. civ. c.* 9. D. Becmannus dicit eſſe *habitum bene vivendi in vita ſociali; ſive prudentiam ſocialiter vivendi, cap.* 1. *Med. Pol.* §. 2. Nimirum ſupponit vir doctiſſimus, in Ethicâ & Oeconomicâ homines velut ſingulos, & extra omnem ſocietatem conſtitutos conſiderari; quod nobis ſecus videtur. Multarum enim virtutum, v. g. amicitiæ, comitatis, affabilitatis, nullus uſus niſi apud alios eſſe homines poteſt. Et annon domus, hoc eſt ſocietas viri & uxoris aliarumque perſonarum ad eam pertinentium, Oeconomicæ eſt objectum? annon fœdera fieri poſſunt, etiamſi nondum conſtitutas eſſe civitates fingas?

(1) Prudentia Ariſtotelis VI. Nicom. cap. 5. eſt *habitus cum ratione verâ conjunctus, ad agendum idoneus, in iis occupatus, quæ homini bona vel mala ſunt.* Poteſt etiam definiri, *vis animi, ex præteriti memoria inſtantia ordinantis, futura providentis, ex manifeſtis conjicientis arcana.*

(2) Dari etiam ſcientias mathematicis imperfectiores, Ariſtoteles paſſim inculcat, & 1. *prior.* 12. & 2. *poſter.* 10.

& 25. etiam contingentium ut plurimum dari ſcientiam docet.

VI. An detur talis, qualem definivimus, prudentia? prius explicari neceſſe eſt, quàm ad alia veniamus. Vetus eſt ſententia, cujus ipſe Theophraſtus, longo rerum uſu edoctus vir, auctor habetur: τύχη τὰ θνητῶν πράγματα, οὐκ εὐβουλία. Unde expreſſum illud latinum proverbium: *Vitam regit fortuna, non ſapientia.* Jocaſta apud Sophoclem *in Oedipo Tyranno.*

Προύοια δ' ἐστὶν οὐδενὸς σαφὴς·
Εἰκῇ κρέπτιστον ζῆν ὅπως δύναιτο τις.

Providentia nulla in re certa eſt:
Temerè vivere optimum eſt, ut quisque poſſit.

Salluſtius epiſt. 2. ad Cæſarem de ordinand. rep: *Sæpe prava magis quàm bona conſilia proſperè eveniunt: quia plerasque res fortuna ex libidine ſuâ agitat.* Cicero de ſe l. 10. ep. ad Atticum 14. *Quid agam nunc, tui nihil procedit, caduntque ea, quæ diligentiſſimè excogitata ſunt, deterrimè.* & IV. hiſtor. pag. 213. H. Grotius 2. Ann. Belgic. ad A. 1571. obſervavit, *ſuprema providentia ferè placuiſſe Belgicis in rebus ita humanam fiduciam & conſilia illudere, ut nunquam ſimul eſſent ſpes magna & bonus eventus.* conf. Salomonis Eccleſiaſt. IX, 11. Quæ ſi admittimus, nulla erit civilium rerum ſcientia. Verùm tantum abeſt, dictum illud Theophraſti & natum inde proverbium probatum fuiſſe omnibus, ut in contrarium potius invaluerit: *Fabrum eſſe quemque fortunæ ſuæ.* Sive ut Nepos *in vita Attici* extulit: *ſuos cuique mores fingere vel conciliare fortunam.* Freinsh. l. 1. Suppl. Curt. c. 1. 8. Quò & Heracliti celebrata vox pertinet: Ηθος ἀνθρώπῳ δαίμων. Id quod etiam innumera exempla confirmant virorum à

pruden-

prudentiâ civili eximiè laudatorum. Sacerdos apud eundem Sophoclem *in Oedipo Tyranno.*

Ὡς τοῖσιν ἐμπείροισι κἀ τὰς ξυμφορὰς
Ζώσας ὁρῶ μάλιστα τῶν βουλευμάτων.
Video enim ſapientibus viris etiam eventus
Conſiliorum quàm maximè reſpondere.

Sophocles idem apud Stobæum *tit. de prudentiâ.*

Προνοίας οὐδὲν ἀνθρώπῳ ἔφυ
Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νῆ σοφῆ.
Quæſtus non poteſt major dari,
Quam mens ſubacta regulis prudentiæ.

Menander apud Stobæum *d. l.*

Οὐκ ἔστιν οὐδέν, πάτερ, ἐν ἀνθρώπῳ φύσει
Μεῖζον λογισμοῦ· τῷ διαθεσθαι πράγματα,
Ἕκαστός ἐστιν κἀ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,
Ἄρχων, στρατηγός, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος· ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει.
In ætate hominum nil, pater, præſtantius
Ratione eſt & conſilio: nam res qui ordinat
Viasque agendi rectè diſponit ſibi,
Eſt Princeps, Imperator, Conſiliarius,
Tribunus plebis: cuncta habet, cui mens adeſt.

Salom. Eccleſiaſt. VII, 29.

(1) Theophraſtus ſane videtur tantum notare voluiſſe dicto hoc ſuo imprudentiam plerorumque hominum, quâ fit, ut non tam ratione, quàm forte fortunâ id quod ſibi commodum eſt aſſequantur. Fortaſſis etiam reſpexit, quæ in republica ſingulari fatô fiunt; qualia ſæpenumero contingere, neminem poteſt latere, qui paulo accuratius in res civiles intuetur. Perperam verò illa Theophraſtus áliique nonnulli Ethnici cœcæ fortunæ tribuunt, cum potius oculatiſſimæ juſtiſſimæque Dei providentiæ eſſent adſcribenda. Hæc facit, ut optimè deliberata peſſimum aliquando ſortiantur exitum, ſive quia ex

nimiâ animi viriumque elatione profecta, ſive quia reapſe deliberantibus ipſis noxia, aut quæ aliæ inveſtigabilis divinæ providentiæ ſunt cauſæ: è contrario (z) non ita ingeniosè conſulta proſpero ſubinde donentur eventu. Euripides tragœdias quinque Medeam, Alceſtin, Andromachen, Bacchas & Helenam concluſit verſibus hiſce:

Πολλά δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον ηὗρεν θεός.

Multa Deus præter ſpem & expectationem facit mortalium;
Ideo accidit, ut quæ quis certò futura crediderit, ſæpe non eveniant:
Et contra earum rerum, quæ habita fuerunt inextricabiles, inopinatus divinæ providentiæ ductu inveniatur exitus. Conf. Pindarum *Olymp. oda XII.* Ammianus Marcellinus l. 14. rer. geſt. c. 11. de adraſtiâ. *Hæc ut regina cauſarum & arbitra rerum ac diſceptatrix urnam ſortium temperat, accidentium vices alternans: voluntatumque noſtrarum exorſa aliò, quam contendebant, exitu terminans, multiplices actus permutando convolvit.* Agathonis illud eſt apud Ariſtotelem l. 5. ad Eudem. c. 4.

Τέχνη τύχην ἔστερξε κὴ τύχη τέχνην,
Fortuna ut artem, ſic & ars fortunam amat.

& Æſchyli divinus verſus *in ſeptem contra Thebas.*

Θεῶ δὲ δῶρόν ἐστι εὐτυχεῖν βροτούς,
Donum Dei eſt mortalibus felicitas.

Adde Proverb. Salomon. XVI, 9. & XX, 24. Quanquam verò humanæ vires heic nihil valeant; tamen prudentia etiam heic vim ſuam aliquam retinet, cùm ut precibus flectas Numen ejusque iram depreceris; tum ut mala cœlitus immiſſa modereris nonnihil, perinde ut tempeſtatem prudens nauta.

Poly-

Polybius l. 5. hiſtor. cap. 88. *Adeo*, inquit, *cum in privatâ tum publicâ re multum inter homines differunt imprudentia ignaviaque ab diligentiâ & prudentiâ; ut ſi quis illis utatur, huic etiam res bene geſta malè vertat: has ſi quis adhibeat, etiam graviſſimi caſus utilitatem ipſi concilient.*

(1) Cicero V. Tuſculanarum: *Vexatur Theophraſtus & libris & ſcholis omnium Philoſophorum, quod in Calliſthene ſuo laudarit illam ſententiam: Vitam regit fortuna, non ſapientia.*

(2) Procopius I. hiſtor. Vandalic. de fortunâ Honorii: *Solet enim*, inquit, *iis, qui nec ingenioſi ſunt, nec adverſorum remedia per ſe reperire faciles, ſi improbi ſimul non ſint, favere & opitulari Deum in maximo rerum diſcrimine.* v. infra ſect. 9. §. 1. Grot. *ad Eccleſiaſtic* XXXVII, 19.

VII. Porrò & illud ante alia diſpiciendum, ſitne politica peculiaris & ab aliis diſtincta diſciplina? Etenim, ſi alterius ſcientiæ vel partem vel appendicem eſſe ſtatuerimus, eandem, cujus illa pars vel appendix eſt, indolem induere conſequetur. Socratis ætate & poſt Sophiſtæ Politicam ſub Rhetorica comprehendebant. Hinc Ariſtot. I. *Rhetor.* 2. ὡσπερεί τι εἶδος τῆς πολιτικῆς ἡ ῥητορική. *Rhetorica perſonam politices induit.* Cicero I. *Rhetor. ſive de inventione* Rhetoricen diſertè appellat ſcientiæ civilis partem: quia nempe ab eâ materiam mutuatur, eique tanquam dominæ ſubſervit. *Civilis*, inquit, *quædam ratio eſt, quæ multis ac magnis rebus conſtat: ejusdem quædam magna & ampla pars eſt artificioſa eloquentia.* Fabius in exordio operis. *Vir ille*, inquit, *vere civilis & publicarum privatarumque rerum adminiſtrationi accommodatus, qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis poſſit, non alius eſt profecto quam Orator.* Verum errori illi eripiendo, quem jam dudum Plato tum alibi tum præcipue *in Gorgia*, caſtigavit, vel ſolum

ſolum illud Ciceronis *l. 2. de Oratore* ſufficit. *Phyſica & Mathematica & caterarum artium propria, ſcientiæ ſunt illorum, qui ea profitentur. Illuſtrare autem oratione ſi quis artes illas velit, ad oratoris ei confugiendum eſt facultatem.* Nimirum circa eandem rem diverſæ artes occupari poſſunt, ſed diverſo conſiderandi modo. Ipſam orationem duo artifices, Dialecticus ſcilicet & Grammaticus, contemplantur, ſed diverſis rationibus. Circa regionem agunt & Geographus & Politicus. Igitur Rhetores tractant de rebus quibuslibet, tantùm ut perſuadeant, nihil penſi habentes, utrum vera an falſa, utilia an noxia dicant. Euripides in Hippolyto coronato:

Τυτ' ἔσθ' ὃ θνητῶν ἓυ πόλεις ἀνακμίνας
Δόμους τ' ἀπόλυσ', οἱ καλοὶ λίαν λόγοι.

Hoc eſt, quod benè conſtitutas hominum civitates
Et familias evertit, nimis ſplendidi ſermones,

Ovidius 2. Triſtium de facundiâ:

Protegit hæc ſontes immeritosque premit.

v. Gellium *1. N. A. 6.* Et Rhetorica tractat τὸ ἔκλογον quà πιθανὸν, hoc eſt, perſuaſorium, ut *in Domitiano* loquitur Tranquillus. Rhetori conceſſum eſt ſententiis uti falſis, audacibus, ſubdolis, captioſis, ſi modo veriſimiles ſunt & poſſunt ad movendos animos qualicumque aſtu irrepere. Gell. *1. N. A. c. 6.* Adde Conring. *de prud. civil. c. 4.* Exolevit nunc quidem hæc opinio, ſed alia in ejus locum ſucceſſit, dum ab aliquot ſeculis perſuaſum fuit vulgò, jurisprudentiâ involvi prudentiam civilem. Hinc Bodinus docet, Ictos in tractatu de republ. anteſignanos habendos, & P. Buſius *in præfatione ad pandectas* exclamat: *Quinam Principes orbis politiſſimi hujus (Chriſtiani inquam) non JCtos, hoc eſt Romanæ jurisprudentiæ peritos, in actionibus publicis, pacis, fœderum,*

fœderum, denique & decretis ſalutaribus ſanciendis, tanquam rerum earum ſolos magiſtros habent? adde Rittershuſ. *ad proœm. Inſtit.* Giphanium & Montecatinum *in præfat. comm. ad polit. Ariſtot.* Schilter. *c. 9. manuduct. ad philoſoph. moral.* §. *44. ſequ.* Zieglerum *ad prolegomena H. Grotii de jure belli & pacis.* Neque mirum eſt eam opinionem invaluiſſe, quoniam renaſcente Romanæ Jurisprudentiæ ſtudio JCti inter literatos ſoli in civilibus negotiis verſabantur, atque adeo vel uſu & tractatu vel hiſtoriarum lectione aut aliâ viâ condiſcebant, quæ revera ſunt civilis ſcientiæ. Quin laudandi Principes, qui utriusque diſciplinæ uſum in unâ perſona copularunt, ob magnam earundem viciniam & mutuam affinitatem: nam fruendæ juſtitiæ cauſa Reges conſtitutos, recte dixit Herodotus, & probat Cicero, ſed & jam ante Homerus; diſpenſandæ autem huic inſervit jurisprudentia. Quam in rem videantur, quæ pluribus differit Mevius *prodrom. jur. nat. inſpect. 5.* §. *21. ſequ. inſp. 9.* §. *24.* Bœclerus *præfat. ad H. Grot. de J. B. & P. p. 24.* Nihilominus eas inter ſe diſtingui, & reapſe diverſas eſſe diſciplinas, facile oſtendi poteſt, qualiscunque etiam intelligatur Jurisprudentia, univerſalis aut particularis: utraque vel publica vel privata, accurata vel proletaria; quarum illa rationes legum latarum norit, hæc eâ cognitione deſtituatur. Etenim civilis prudentiæ objectum ſunt civitates prudenter gubernandæ; jurisprudentiæ verò morales actiones, quatenus legibus conformari debent, ſive extra ſive intra civitatem. Et circa leges ſi verſatur civilis prudentia, id tantum fit, ubi eæ ferendæ aut mutandæ, renovandæve ſunt: quoniam τὸ βουλεύομενόν ἐστι συνέστως πολιτικῆς ἔργον, *conſultare civilis prudentiæ eſt officium.* Ariſtoteles IV. Pol. 4. At jurisprudentia circa leges latas

latas occupatur, eas interpretando atque actionibus obvenientibus applicando. Hinc non nisi ex Ethicâ & Politicâ bonas hauriri leges, tradunt multi JCti, quorum nomina congessit D. Eyben *in Diss. de Testam. Principum* §. *1.* neque jurisprudentia, quam accuratam diximus, aliunde majus lumen accipit. Adde, circa plurima versari politicas doctrinas, quæ legum vinculo non continentur. Et licet ex Jurisprudentiâ, cùm universali, tum particulari, multa in civilem prudentiam deriventur, tamen non ideò pro iisdem sunt habendæ: quoniam ex naturali quoque scientiâ aliisque disciplinis principia non pauca petuntur, & conditiones animæ perspectæ quoque debent esse politico, ut docet Paraphrastes Aristotelis I. *Nicomach. 20.* Adhæc sec. Aristot. I. Pol. 10. *aliquo modo est illius, qui civitati præest, etiam bona valetudinis suorum curam habere.* Non obstat quoque, nisi jurisprudentia integritate suâ civilem & consultatoriam prudentiam cum judiciariâ complectatur, non posse intelligi differentiam inter judicem & JCtum. Etenim JCti esse possumus, cum judices esse nequimus, ut in controversiis inter gentes: deinde secundum Ciceronem I. de oratore, *JCtus est, qui legum & consuetudinis ejus, quâ privati in civitate utuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus est.* Conf. Francisc. Hotomanni *libellum*, quem *JCtum* inscripsit. Ex dictis intelligitur, perperam D. Becmannum *c. 1. Medit. polit. §. 12.* doctrinam de jure gentium referre ad prudentiam civilem, *nec aliud inter ea discrimen esse, quam quod est inter rem cognitam atque ipsam hujus cognitionem, seu repræsentans & repræsentatum: quemadmodum nec aliâ ratione Theologia à S. Codice differat.* Quæ recitare profectò est refutare: cum certum utique sit, de gentium jure, si quod est, agi in jurisprudentiâ universali.

IIX. Ut

IIX. Ut ad cauſas progrediar, primum ſe offert finis. *Quia autem in cunctis ſcientiis & artibus finis eſt bonum: maximum erit & maximè in ea, quæ antecellit omnibus*, ut ait Ariſtoteles III. *Polit. 8.* Hinc finis utique prudentiæ civilis erit, fundare civitatem, fundatam conſervate ac tueri, labantem erigere, lapſam reſtituere, ſive, ut Ariſtoteles IV. *Polit. 1.* docet: quemadmodum civitas & ab initio conſtituatur, & conſtituta quam diutiſſimè conſervetur. Verbo dicam: ut civitas beata ſit & honeſta. Unde fluit, prudentiam civilem eſſe philoſophiæ partem,* quatenus philoſophiæ vox ſtrictius accipitur, illam notans cognitionem, quæ ad humani intellectus felicitatem per ſe confert. Etenim extra civiles cœtus miſera eſt vita, ac proinde intereſt humanæ felicitatis, tenere prudentiam rectè gerendæ civilis vitæ. v. Conring. *c. 9. de prud. civil. p. 183.* Cæterum Arniſæus *Relect. Pol. l. 1. præm. n. 5.* & alii nonnulli finem politicæ conſtituunt rempublicam. Quos errare non eſt dubium, niſi de fine ὦ, ut Dialectici loquuntur, illud intelligant.

* Ut apud veteres. v. H. Conringius *introduct. in natural. philoſoph. c. 1. §. ult.*

IX. De objecto magnæ ſunt diſſenſiones. Quandoquidem alii multitudinem civium citra imperium conſideratam, alii mores hominum civiliter informandos, alii aliud civili ſcientiæ ſupponunt. Quorum ſententias aliquot diſputationibus excuſſit Scheurlius. Verum haud dubiè veriſſima eſt ſententia, quæ objectum ponit *civitatem, & quæ civitati primò & per ſe inſunt, quatenus, quid proſit illi, quid noxium ſit, quæritur.* Ariſtotel. III. *Pol. 1.* Τῆ δὲ πολιτικῆ ἢ τῷ νομοθέτῃ πᾶσαν ὁρῶμεν τὴν πραγματείαν ἔσαν περὶ πόλιν, *Omnem operam politici & legislatoris videmus circa civitatem occupari.* Civitatis autem voca-

vocabulô heîc intelligimus non nudam multitudinem, ſed talem hominum ſocietatem, quæ incluſam habet rempublicam, de quô ſuô loco. v. Hornius *in proœm. polit. architect. cap. 3. §. 2.*

X. Cùm autem nulla ars, ſcientia nulla circa materiam ſingularem verſetur, ſed circa genera ac ſpecies rerum, ſive circa objectum univerſale, mentis agitatione à ſingularum rerum conditione abſtractum, ſtatim eluceſcit, quanto errore nonnulli in Germaniâ noſtra Πολιτικῶν ſcriptores Germanicas res civili prudentiæ operosè infarciant, perinde quaſi tota hæc notitiâ illarum rerum unâ abſolveretur.* Fatendum quidem eſt, notitiam ſingularum civitatum jam tum olim primum meruiſſe politicæ titulum, ut ſupra diximus, & eam actu exercentes etiamnum Politicos & audire præcipuè & æſtimari. Verùm ex hoc mendosè infertur, deſcriptionem hujus vel illius reip. prudentiæ civili univerſali inſerendam eſſe. v. Conring. *de prudent. civil. cap. 4.* conf. Ariſt. IV. *Pol. I.* qui alium notat errorem ſui temporis politicorum, Laconicam vel ſimilem remp. in exemplum proponentium, reliquas tollentium.

* Planè ut medicina quoque particularis eſt. v. Ariſtotel. X. *Ethic.* 10.

XI. Porrò cum civitatum, uti hoc loco conſiderantur, aliæ rectæ ſint, aliæ declinantes, & rectarum quidem alia optima (ſive ex votô, ſive plerumque, ſive denique ex hypotheſi talis) alia non optima; quænam ex his ad politicæ objectum pertineat, videndum eſt. Civitatem ex voto optimam (ens rationis politicum) veteres interdum *Platonis remp.* vocaverunt (v. Ciceron. *l. 2. ad Attic. ep. 1.* commentitiam Platonis Remp. idem 1. de oratore Plutarch. *in Phocione.* M. Antonin. *de rebus ſuis l. 9. §. 29.*)

§. 29.) quod ille *in libris de republicâ* politiæ ideam finxerat, quam nusquam reperimus, nec repertum iri ſpes eſt. Quamobrem reprehenſionem quorundam incurrit. vid. (1) Athenæum *dipnoſoph. l. XI. c. ult.* & Gregor. Nazianz. *invectiv. I. in Julian.* dicere optati opus eſt, contingere autem fortunæ, ait Ariſtot. *l. 7. Pol. c. 12. Infine.* Sed longe graviores ſunt cauſæ, quæ Platonis inſtitutum commendant. *Prima* eſt, ut intelligamus artes rivulos eſſe divinæ ſapientiæ, quæ eſt immenſa & infinita, nec unquam exhauriri poteſt. *Altera* eſt, ut flectamur ad modeſtiam, agnitâ noſtrâ imbecillitate, quæ longè abeſt à perfectione. *Tertia*, ut conatus magnorum ingeniorum aliquo modo dirigantur ad illas normas, & tantum quisque elaboret, quantum aſſequi poteſt: quia *magnæ rei*, ut ait Columella, *quantulumcunque poſſederis, aliquid tamen poſſediſſe non minima laus eſt.* Cicero de perfecto oratore: *Illud ipſum quod eſt optimum deſperandum non eſt: & in præſtantibus rebus magna ſunt ea, quæ optimis proxima. Primæ ſequentem honeſtum eſt in ſecundis tertiisque conſiſtere.* Quintilianus l. 3. J. O. c. 5. *Faſtigia rerum intentamus, quæ ſi non attingimus, multos tamen poſt nos relinquemus: quamvis optimos tranſeundi ſpes non ſit, magna tamen eſt dignitas ſubſequendi.* Ita Socrates interpellatus apud Platonem *l. 5. de repub.* difficilimum eſſe talem conſtituere rempublicam, reſpondit: *ut maximè fieri non poſſit, tamen præclaram fore civitatem, quæ ad eam formam, quam ipſe deſcribat, proximè acceſſerit* Neque verò dubitandum, (2) inter laudandas etiam civitates unam alteri præcellere. Ex quibus rectè inferimus, ad perfectionem hujus diſciplinæ tractationem de rep. ex voto optimâ omninò eſſe neceſſariam. *Etenim, qui omni ſolidaque ratione philoſophatur, & non meram intendit præin, convenit, ni-*

hil prætermittere, aut quicquam negligere, sed singularum rerum veritatem penetrare. ut optimè docet Aristoteles III. *Polit. 5.* Modo teneamus monitum ejusdem II. *Pol. 4.* Δεῖ ὑποτίθεσθαι καὶ εὐχήν, μηδὲν μᾶλλον τοῦ ἀδυνάτου, *supponendum est ex voto, nihil tamen quod fieri nequeat*; & aliud ejusdem valdè præclarum IV. *Pol. 1. Decere non solum optimam contemplari, sed eam etiam quæ constitui possit.* Quâ in re magnam partem politicorum scriptorum impegisse ait, eleganter & magnificè de optimâ rep. loquentium, à rebus verò, quæ usui esse possunt, aberrantium. Debet sanè vir prudens meminisse temporum ac reip. in quâ natus est, neque novarum rerum studio incitari: meliora tantum voto expetere atque cogitare, vix imperia & respublicas nisi in pejus mutari. Si tamen optio detur, si hominum & reip., in quâ vivit, conditio patiatur, præstantissimam reip. formam pro virili parte fundabit, modo sine motu tumultuque. Ipse Plato Dionem Syracusanum elegantissimâ voce hortatus est, ut Gratiis hostias immolaret, suasitque, ut aliquid etiam daret moribus suorum temporum, institutisque reliquorum mortalium. v. H. Grotium *ad l. 5. de P. R. Chr. §. 6. in not. n. 9.* Non quia id omnino verum esset, sed quia ad congressus hominum frequentandos benevolentiamque eorum retinendam obsequium sæpe necessarium foret. Secundum Aristot. II. *Pol. 7. à princ.* in ferendâ sententiâ de rebuspublicis spectari duo debent: utrum ea res, quæ in deliberationem venit, optimè institutæ reip. conveniat: deinde utrum ejus civitatis, de qua agitur, institutis congruat. Fit enim sæpe, ut multa per se mereantur improbari, quæ hujus aut illius civitatis institutis optimè quadrant, vel contra. Cicero d. l. *Cato*, inquit, *nocet interdum reip. dicit enim tanquam in Platonis* πολιτείᾳ, *non tan-*

tanquam in Romuli face, ſententiam. Adde Eccleſiaſten VII, 17.

(1) Verba Athenæi ſunt : *Ineptum Platonem inde fuiſſe patet, quod cum illuſtres apud Athenienſes tres Legislatores fuerint, Draco, Solon & ipſe Plato, illorum leges cives obſervaverint, Platonis verò nihili fecerint ac irriſerint. Ejus verò diſputatio de rep., etiamſi reliquis omnibus anteponenda foret, quandoquidem neminem commovit, quam utilitatem præſtat ? Videtur ſanè Plato non hominibus, qui ubivis ſunt, leges præſcribere, ſed iis, quos imaginatione finxit, ut, qui legibus iis pareant, perquirendi ſint. Debuit ergo quæ perſuadere poſſet ſcribere, nec id facere quod qui obnixè votis aliquid precantur ; verum potius id amplecti & retinere quod accidit, & fit quotidie.* Auguſtinus ep. 202, *Illi doctiſſimi viri, qui rempublicam civitatemque terrenam, qualis eis eſſe debere videbatur, magis domeſticis diſputationibus requirebant vel etiam deſcribebant, quàm publicis actionibus inſtituebant vel etiam formabant.* Polybius l. 6. hiſtor. *Si quis, quæ de republicâ ſcripta ſunt* (à Platone) *contendere inſtituerit cum Spartanorum, Romanorum & Carthaginenſium Rep., perinde fuerit, acſi quis ſtatuam aliquam deligat, & cum vivis ſpirantibusque hominibus eam comparet. Licet enim ad artem quod attinet, laudem omni ex parte ſtatuæ illa mereatur ; comparationem tamen inanimatarum cum animatis imperfectam ac prorſus non convenientem viſum iri ſpectantibus, probabile eſt.* Græci, cum inconcinnum quid ac frivolum ſignificare voluerunt, proverbii vice ψυχρότερον Πλάτωνος νόμων, *frigidius Platonis legibus* dixere. Add. Joſeph. II. adverſus Apionem, ubi ſcribit : *Platoni perpetuò pene illudi, cavillisque comicis eum traduci.*

(2) Ut vetera omittam, junior hiſtoria exempla duo ſuppeditat civitatum eximiè laudandarum, regni Peruani, ab Hiſpanis, cum in Americam venirent, deſtructi, & Sinenſis, adhuc hodie florentis. De illo dixi in *commentat. de notitia ſingular. reip.* §. 4. de utroque præclarè diſſeruit Eques Templeus, *libello de virtute heroicâ.* Autant que les Chinois ont ignoré la guerre autant ont-ils eſté habiles dans la ſcience du gouvernement. Leur bon eſprit naturel la leur à fait cultiver avec tout de ſoin dans le repos, dont leur pais à presque toujours joüi, qu'apres les Loix, que Dieu donna à Moïſe, il n'y en à peut-etre point, qui faſſent un corps de Politique

plus complet, n'y dont les parties concourent mieux à meme fin, que les Loix Chinoises. La Loubere *Tom. 2. du Royaume de Siam p. 560.*

XII. De declinantibus, minus rectis, sive vitiosis civitatibus doctrinam, quidam sunt qui à civili prudentiâ penitus abesse volunt. Aristoteles contra censuit, *libro politicorum quinto* vitiosas rerumpubl. formas magnâ curâ explicans. Advertendum autem diligenter, in declinantium sive irregularium (ut neoterici quidam appellant) civitatum ordinem non tantum injustas, v. g. Tyrannides & quæ latam dominationem appetunt, venire, sed & alias propterea, quia à scopo atque institutis è statu naturali in civilem concedentium deflectunt. Quales sunt heriles, mixtæ, aut hujusmodi. Ut suo loco docebitur. Et de his quidem quin tractandum sit in politicâ, nulla idonea afferri potest dubitatio. De illis justius poterat ambigi, quia ad sui conservationem injustis artibus opus habent. Verùm scire oportet, artes istas non in usum sed cautionem doceri, perinde ut de sophisticis elenchis agit Dialectica. Cicero III. de naturâ Deorum : *prudentiam constare*, ait, *ex scientiâ rerum bonarum & malarum.* Eaque propter, si primùm vitiositas talium civitatum vivis coloribus depingatur, (quod à politicâ scholâ alieniſſimum esse, perperàm tradit Scioppius *in pædiâ politicâ*, recte eô nomine castigatus à Conringio *in annotamentis,*) & dein artes earundem atque instituta, *quæ sæpius sunt fallacia tegmina & deceptoria dealbationes*, ut Augustinus vocat *3. de civit. Dei 14.* simulacra, fuci, colores, incrustamenta & involucra, subjungantur, simulque doceatur, qui fallendi artes instillant, id ipsum facere quod docent; nec posse diu prodesse doctrinam, quæ Deo invisum & hominem hominibus insociabilem facit; id quod

summâ

ſummâ ſive imprudentiâ ſive ſcelere neglexerunt Machiavellus, Cardanus, Naudæus, alii, nihil eſt profectò ab eâ doctrinâ periculi; è contrariò animis bene præparatis oculi aperientur (quòd in civili vitâ momenti eſt maximi) ad pervidendas nequitias, ut tamen clauſum pectus ad easdem imitandas habeant. Malitiam enim & fraudes hominum noſſe, eo fine, ut caveri & eludi poſſint, magna civilis prudentiæ pars eſt. v. Baco de Verulamio *l. 7. de augm. ſcient. c. 2.* Pufendorf. *l. 7. c. 1. §. 4.*

XIII. Cæterùm ex eo quod diximus, *politicæ & civitatem, & quæ civitati per ſe inſunt, ſubjici*, rectè concluditur, partes ejusdem non eſſe Ethicam, Oeconomicam, vel militarem artem, quoniam harum uſus etiam extra civitatem eſſe poteſt. Equidem Oeconomicen ſive diſciplinam de tuenda re familiari, ut eam Cicero inſignivit, Ariſtoteles partem videtur conſtituiſſe prudentiæ civilis, ut de eo etiam prodidit Laertius *in ejus vitâ* & Anatolius *in fragmentis mathematicis*, (quanquam ſubdubitet H. Couring. *de prudent. civil. c. 6.*) Nec negari poteſt, de familiâ ſive domo utique agendum eſſe in prudentiâ civili: *nam qualis privata cuique domus, talis eſt & univerſa civitas*, ut rectè obſervavit Ariſtoteles VII. *Pol. 2.* Verum inde non ſequitur, œconomicen prudentiæ civilis partem eſſe. Nimirum res eædem diverſimodè conſideratæ ad diverſas pertinent diſciplinas: quia artes & ſcientiæ non ſubjecto materiali, ſed formali, hoc eſt, modo conſiderandi diſtinguuntur. Sic de domo ſive familiâ agitur bifariam, abſolutè ſive quà totum, & relativè, quà pars eſt civitatis: priori modo conſideratur in œconomicis, ut per ſe diſciplinam conſtituit: poſteriori modo ſpectatur in politicis. Hinc non poſſunt non etiam inſtituta in utrisque diſcrepare: multa ſanè

circa matrimonium legibus vetari civitatis intereſt, neutiquam domus: nec parum variant inſtituta circa domos pro ratione civitatis ex voto optimæ, regni, ariſtocratiæ, democratiæ. Ut in parte rectoriâ ſæpius patebit. Cicero in partition. orator. *prudentia in ſuis rebus, domeſtica; in publicis, civilis appellari ſolet.* Videat interea, cui lubet, Hermann. Conringii *Diſſertat. de rectâ in optimâ rep. educatione.* Adde Ger. Joann. Voſſium *de philoſoph. c. 19. §. 7.* Cæterum ab eodem Ariſtotele Ethicen politicæ accenſitam, extra dubium omne collocat H. Conringius *de prudent. civil. cap. 6.* & eandem opinionem complures neoterici tuentur. Verùm & his confutandis ſatis eſt, objectum politicæ tantum eſſe civitatem, Ethices actionem moralem quamcunque cujuscunque hominis, etiam extra civitatem conſtituti. Ipſe Ariſtoteles VII. *Pol. 1.* de ſummo bono agere eſſe, ait rectè, ἑτέρας ἔργον σχολῆς.

XIV. Quod porrò diximus, *quatenus, quid bono quid malo illi ſit, quæritur*, indicat differentiam à jurisprudentiâ, (1) de qua jam ſupra actum. Quod non eò pertinet, quaſi reſpectus ad juſtum, ſeu honeſtorum ratio haberi non debeat, & cuncta ſuo ex uſu metiri licitum ſit, (2) qui error, profectò exitiabilis, multorum animos inſedit, ſed quia de juſto profeſsâ operâ agere, alterius eſt diſciplinæ. Modo ſimul teneamus, ſophiſmata politica, quæ ſine cujusquam injuria adhibentur, (3) & à fraudibus abſunt, in cenſum injuſtorum referenda haud eſſe. Habet enim prudentia quandoque vias à communi tritâque pauliſper declinantes, quibus utitur neceſſitatis tempore, ut conſequatur citius faciliusque, quod non poſſet, niſi multis cum periculis, ſi inſiſteret vulgari. Nempe tam interdum ſui quoque commodi periculosè ignara pertinaciterq; prodiga

eſt

eſt multitudo, ut eò nonniſi arte quadam circumventa trahi debeat. De quâ proinde ſolerter excogitandâ & cum ſucceſſu adhibendâ omni tempore ſolliciti fuêre viri publicorum negotiorum periti, ut amantes commodorum communium. Quorſum ſpectaſſe (4) videtur Plato *l. III. de Republ.* civitatum Rectoribus concedens falſum dicere, eademque in re iis Medicos æquans. Huc pertinet falſam famam ſpargere. v. Bunon. Verulam. *opuſcul. p. 539.*

(1) Conf. Comment. noſtram, ſi libet, *de Jurisprudent. univerſal. ſect.* 1. §. 12.

(2) Ludovicus Auberius in præfat. Commentar. rerum Holland. & provinciar. unitar. recitat dictum magni Ducis: *ſicut Principes imperant ſubditis ſuis, ita utilitatem imperare Principibus.* Quod adeo verum eſt, addit Auberius, *ut propter utilitatem ſæpe ſacrificent illud, quod inter homines eſt ſacratiſſimum, & maxima pars ſummorum imperantium non obſervent juſtitiæ aut religionis regulas, quàm quatenus eas utilitatibus ſuis congruentes inveniunt.* Summa apud Principes ſtatus ratio eſt, quam cuncta occaſio producit; abdicantur fœdera, rumpitur fides, diſſonantúr juramenta, non fas æquumque prævaler, ubi ſe exhibet proficendi imperii opportunitas. Ita à Suchan. l. 7. Ann. Pol. cl. 1. A. 1654. Amelotus præfat. ad Machiavelli Principem, Villaregium dixiſſe memorat: *Principes libentius vulnerare conſcientiam ſuam, quàm reip. ſuæ ſtatum.* Eodem pertinet Magni Coſmi Medicei dictum apud Machiavell l. 7 hiſtor. *Che gli ſtati non ſi tenevano con Pater-noſtri. Vetus eſt, nec documenti egens, prout arma partium & vires ſunt, ita jura temperari*, ait H. Grotius *l* 7. *Hiſtor. Belgic. ad An.* 1598. Adde Baylium lexic. tom. 1. p. 97. ſequ p. 342. 880. 895. & tom. 2. p. 1113. & de Pontifice Romano t. 1. p. 820. Not. B. & p. 1116. N. P. ed. novæ. v. Pufendorf. l. 2. c. 3. §. 10. 11. Add. Cardinal. Oſſatum *epiſtol* 87. *A.* 1597. *ad Villaregium.* Juſtiſſima hac in parte eſt querela Bœcleri *proœmio inſtitut. politicar. & l.* 1. *c.* 1. *in fine. Rectè Socrates* (ſunt verba Ciceronis I. de LL.) *execrari eum ſolebat, qui primus utilitatem à naturâ ſejunxiſſet. Id enim querebatur eſſe caput exitiorum omnium.*

Magnum ſanè juſtitia in civilibus rebus momentum habet. Quò reſpexit Chorus apud Euripidem *in Helenâ*:

Οὐδεὶς ποτ' εὐτύχησεν ἄδικος γεγώς·
Ἐν τῷ δικαίῳ δ' ἐλπὶς σωτηρίας.
Nemo unquam injuſtus fortunatus fuit:
In cauſâ verò juſtâ ſpes eſt ſalutis.

Idem Euripides *in Dictye*:

Ἄρσει· τό τοι δίκαιον ἰσχύει μέγα.
Confide: robur grande juſtitia obtinet.

Conſul apud Livium l. 44. c. 1. Favere pietati fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum faſtigium venerit. Leontius, legatus Juſtiniani Imp. in oratione apud Procop. l. 4. Gothicor. *Quamvis validos ſæpe injuſta poſſeſſio, etiam non magnarum rerum, rebus maximis evolvit, quia unà eſſe nolunt æqui contemtus & boni ſucceſſus.* v. omnino Demoſth. Olynth. 2. p. 6. Æthra ad filium apud Euripidem *in Supplicibus*.

Ὡς ἔστι πεφθῇ σὺν δίκῃ σ' ἐρωμένον.
Arma induenti juſta, nil metuo tibi.

& verſ. 595. ſequ. omnino, Μεθ' ὧν τὸ δίκαιον ἴσι, μεθ' ἐκείνων ὁ θεός. *Quibuscum eſt jus, cum eis & Deus.* Joſep. l. 15. vet. hiſtor. Plura loca habet H. Grotius *prolegom. Jus & fas certam ſolent ſpondere palmam.* E contrario injuſtitia, etiam cum prodeſſe videtur, nocet. Verè H. Grotius l. 3. Hiſtor. Belgic. ad A. 1594. *Cunctis qui fas atque honeſtum ſuo in uſu habent, nec ullo obtentu dedecus mutatur, & ne diu perfidiâ fruantur, ipſi adverſum ſe documento ſunt.* Idem l. 3. ad A. 1593. p. 177. *Compertumque uſu, recti & gloria diligentes ambiri ultro commodis, quæ vix per nefas alii & contraria ſtudia aſſequantur. Inductio eſt rerum ſæpe factarum inter ſe collatio*, ut Seneca loquitur ep. 120 Hinc Ariſtoteles collectanea vult fieri. v. I. Pol. 7. & ibi Meyerus. Euripides Andromachâ:

Ἡ δ' ὁμιλία
Πάντων βροτοῖσι γίγνεται διδάσκαλος.
Experientia
Rerum magiſtra eſt omnibus mortalibus.

v. omnino Siracides XXXIX, 1. ſequ.

(3) Lipſius diſtinguit inter fraudes magnas, medias & leves; ex quibus has & illas admittendas cenſet. Sed vide Joann. Loccenium *in animadverſ. politic. in aliquot notas Lipſii p.* 276. *ſequ.*

(4) V. H.

(4) V. H. Grotius 3. *de Jur. B. & P. c.* 1. §. 15. Quanquam idem H. Grotius *ad Lucam XXIV*, 28. ſcribit, comparatione illa Platonica Medicorum cum civitatum Rectoribus, nimiam licentiæ feneſtram aperiri, neque parem eſſe rationem.

XV. Forma comparandi conſtruendique artem hanc ſive ſcientiam conſiſtit in inductione ex rebus ſingularibus, demonſtratione, diſpoſitione & uſu. Res ſingulares, ex quibus fit inductio, ſunt facta vel exempla, quorum plurium ejusdem ſpeciei congeries animo comprehenſa dicitur experientia, ceu quæ eſt unius ejusdemque rei iterata ſæpius memoria. v. Ariſtotel. II. *poſter. Analyt. c. ult.* Galenus *libro de optimâ ſectâ ad Thraſybulum c.* 11. Inductio autem talis ut ritè fiat, ſequentes regulæ obſervandæ.

Prima eſt. Exempla ſint vera, non ficta. Eapropter, ſi aliunde compertâ ſunt, * fides hiſtorici debet eſſe cognita, vel certè aliorum teſtimoniis comprobari.

Auguſtin. tract. 90. in Joann. *Nonnunquam & hiſtoria, & multò magis fama mentitur*

Secunda. Exempla diſtinctè intelligantur, non confusè. Hinc toti non tribuendum, quod parti convenit; & quæ per ſe fiunt, ab iis, quæ fortuitò contingunt, diligenter ſeparanda.

Tertia. Exempla plenè debent intelligi, *ut non modò caſus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti ſunt, ſed ratio etiam cauſaque noſcantur.* Ut Tacitus loquitur *1. Hiſt. 4.* conf. inſignem locum in Polybii *l. 3. Hiſtor.*

Quarta. Inductione per ſe non poſſunt confici propoſitiones omni ex parte univerſales, quoniam futura ignorantur. Perquam probabiliter tamen id fieri poteſt, ſi ponamus, non alia in poſterum futura, quam qualia antea jam tum contigerunt.

Juxta illud *Eccleſiaſtis I, 9. ſeq. Quid eſt quod factum eſt, idem quod futurum erit.* Ariſtotel. II. Rhetoric. 20. Ὅμοια γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τὰ μέλλοντα τοῖς γεγονόσι. *Similia ſunt plerumque futura præteritis. Et non ſolum in rectis; ſed etiam in pravis actibus inſignis eſt humani generis ſimilitudo*, ut ait Cicero 1. de LL. conf. Antonin. Imperat. *l. 4. de Rebus ſuis §. 32. l. 7. §. 49. l. 10. §. 27.* Et licet inductio, quæ univerſalis eſt & generalior, præcipua haberi debeat, eſt tamen & ſuus locus ſpecialibus, imò particulariſſimis, quando ſc. intellectus, abſtractione à ſingularitate inſtitutâ, propoſitionem quadantenus univerſalem conficit, quale illud Æneæ eſt apud Virgilium: *Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab uno diſce omnes!*

Quinta. Inductione non tantum affirmativæ enunciationes ſed etiam negativæ confiunt; primariò tamen affirmativæ, quia ſenſus primò & per ſe entitatem rei percipit, τὸ non ens autem eſt ferme quid infinitum. Joann. Launoj. *de auctoritate negantis argumenti Diſſertatio.*

XVI. Præter hanc inductionem opus eſt demonſtratione: quoniam, ut veriſſimè dixit Ariſtot. Ἐκ ἐμπειρίας τέχνης δὲ χὴ καὶ ἐπιστήμης. *2. poſt Anal. ult. collectiones ex exemplis ſunt duntaxat exordia artium ac ſcientiarum.* Utut autem ſint, qui demonſtrationibus locum negant in prudentiâ civili, perinde ut in Ethicâ quoque. Tamen rationes, quibus id probent, adferre poſſunt nullas; niſi quod infallibiles propoſitiones non ſemper haberi queant: hoc verò ſi valere debet, nullæ etiam erunt demonſtrationes in naturali ſcientia, & reliquis, præter mathematicas, ceu quæ ſolæ circa ſubjectum ab omni materialitate ſemotum occupantur. Cæterum heic tenendæ regulæ.

Prima

Prima. Principia, ex quibus demonſtrationes ducuntur, * ſint propria & domeſtica, ita ut per ſe de rebus civilibus pronuncient; non tamen in primô aut quartô modô, ſed & ſecundô atque tertiô: deinde vera, & quidem ueceſſariò vera, ſi oſtenſivè quid demonſtrandum: & denique nobis nota.

Secunda. Demonſtrationes non ſolum oſtenſivæ aut directæ, ſed & indirectæ, ſeu quæ ad incommodum ducunt, admittantur, licet illæ his ſemper præpolleant.

Tertia. Demonſtratio, quæ plena eſt certè, ſumenda ex ipſis cauſis rerum civilium. Nam ſcire eſt rem per cauſas cognoſcere. Quatuor autem quarumcunque rerum, quæ factæ ſunt (ſi quæſtionem ſolam an res ſit? quo pertinet etiam origo & progreſſus rei, excipias) ſunt cauſæ, finis, materia, forma, effectrix, de quarum unâ ſi quæſtio incidat, ex reliquis demonſtrationes petuntur. Ut prolixè docet Conringius *de prudent. civil. c. 10.*

* Hinc prava eſt argumentatio: unus eſt ſol, ergo unus Rex. Poſſumus tamen quæ ſimilitudinem cum civitate habent, ſubinde illuſtramenti causâ adhibere. Ita Plato ſæpe & Ariſtoteles obſervationes ſuas ad humani corporis exemplum revocare & inde argumenta petere ſolent. V. Ariſtotel. I. *Pol.* 3. *IV. Pol.* 4. *V. Pol.* 3. *VI. Pol.* 6. Idem vice versâ *libro de motu c.* 9. animal ſecundum naturam bene habens comparat πόλει ἐυνομυμένῃ. Pertinet etiam huc Menenii Agrippæ elegans apologus de ventre, apud Livium *l.* 2. *hiſtor. c.* 32. & Joann. Loccenii *Reſpublica apum*, & accommodatio naturalium rerum ad Politicam apud Joach. Paſtorium *in pal-ſtrâ Nobilium c.* 26. Sicut in apibus regni formam molita Natura eſt; ita in formicis δημοκρατίας ſive popularis regiminis ait H. Grotius *ad Proverb. Salomon. VI*, 7.

XVII. Diſpoſitio eſt rerum cognitarum collocatio ſive diſtributio. De hac nonnulli fere deſperarunt ob diffuſam admodum & copioſam materiam.

riam. V. Tholoſan. *initio de republ.* Danæum *in proem. politic.* ſed nulla difficultas eſt, ſi modo ad ſequentes regulas animum advertamus.

Prima eſt. Præcognoſcenda illa, ſine quibus cætera intelligi nequeunt, v. g. * quæſtionem an res ſit, & ambiguitates rei cujusque ante definitionem; item civitatem prout ſe habet, aut ſe habere poteſt, ut ita dicam, naturaliter citra modum adminiſtrandi; &, cum de hoc quæritur, mala civitatum ante earum conſervationem. Unde *duas* principales politicæ *partes* rectiſſimè conſtituit Frid. Horniius, *architectonicam & rectoriam*, in proœm. polit. c. 4. quarum illa γνῶσιν πολιτικὴν, ſive quæ ad civitatis civiliumque rerum hiſtoriam & cognitionem pertinent, hæc φρόνησιν πολιτικὴν, ſive quæ ad civitatis gubernationem (τρόπον vocat Ariſtoteles II. *Polit. 5.*) civilisque actus prudentiam pertinent, tradit. Planè ut medicina vulgò in phyſiologiam, pathologiam & Therapeuticam dividitur.

* Fieri enim non poteſt, ut cognoſcamus quid ſit, niſi novetimus rem eſſe. Ariſtot. 2 *poſter.* 9. A. Faber. *l.* 9. *C. tit.* 12. *def.* 13. *n.* 3.

Secunda. Communia primùm tradenda, poſt ſpecialia. e. g. primum de civitate in genere, antequam de ejus ſpeciebus diſpiciatur.

Tertia. Inter illa, quæ diverſi ſunt gradus, præponendum perfectius. v. g. doctrinam de civitate optimâ, ante non optimam. Quod & in opere ſuo obſervaſſe Ariſtotelem, utut nunc librorum inverſus ſit ordo, invictis argumentis demonſtrat Conringius *introd. in Pol. Ariſtot. c. 5.* & jam ſuboluerat Mureto *l. 14. Var. lect. 14.* Adde Arniſæum *2. Relect. polit. §. 4. 1. n. 5.*

XIIX. Complementum cognitionis illius eſt uſus ſeu exercitatio. *Ad Hircan. l. 3.* In omni diſciplinâ

plinâ infirma eſt artis præceptio ſine ſummâ aſſiduitate exercitationis. Verè Cicero I. *de offic.* *Nec meditos*, inquit, *nec Imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum ſine uſu & exercitatione conſequi poſſe.* Secundum ejusdem dictum oratione pro Cornelio Balbo, *aſſiduus uſus uni rei deditus ingenium & artem ſæpe vincit.* Plinius l. 6. ep. 29. *Uſus eſt, & habetur optimus, ut dicendi, ita ſapiendi magiſter. Vidimusque multos parvo ingenio, literis rudes, ut bene agerent, agendo conſecutos.* Ea enim maximè affiguntur animis noſtris, quæ ſunt à ſenſu tradita atque impreſſa. Sunt etiam nonnulla, quæ ſe includi præceptis non patiuntur, ſed ab accurata omnium omnino circumſtantiarum conſideratione pendent: Ut adeo, tametſi univerſalia illa teneantur quàm accuratiſſimè, omnino adhuc multa ignorari uſuveniat. Quamobrem, ſi quis feliciter in adminiſtratione ſingularis reip. verſari cupiet, ejus quoque notitiam animo comprehenſam habere debet. Veriſſimum enim eſt Ariſtotelem illud *VI. Eth. Nicom. 7. Nonnulli neſcientes nonnullis ſcientibus actuoſiores ſunt: & in reliquis qui ſunt periti.* Idem dixit I. Metaph. 1. *Videmus expertos magis id, quod intendunt, conſequi, quam illos, qui rationem absque experientiâ tenent: cauſa eſt, quod experientia ſingularium, ars autem univerſalium cognitio eſt.* Rectiſſimè etiam ab Ariſtotele eſt obſervatum: multa nos ſcire univerſim, quæ ſingulatim ignoramus, quoniam circa ſingularia, non circa univerſalia, oriuntur motus illi, qui vim judicatricem perturbant. Hæc autem cognitio, quemadmodum comparetur, præ cæteris accuratè docuerunt Conringius *de prud. civ. c. 12.* qui etiam peculiarem hac de re libellum confeciſſe dicitur, adhuc ἀνέκδοτον, & D. Boſius *introduct. in notitiam rerump.*

Adde,

Adde, ſi libet, commentationem noſtram *de notitia reip. ſingularis.*

XIX. Ex dictis ſequitur, (1) de quo aliâs diſceptari ſolet; ſcientiam hanc non merè ἐμπειρικὴν, ſenſualem ſeu experimentalem eſſe & absque mentis operâ veſtigandam: quia experientia, ut ex ejus definitione liquet, eſt rerum ſingularium; & non niſi ſenſu compertis conſtat, ſive ut Plato dixit, ἐμπειρία ſive τριβὴ πραγματεία ἄλογος πρὸς ἄρχην, hoc eſt, *agendi modus quidam, nulla ratione & arte inſtructus*, jam verò in civilibus notitia utique reperitur & quidem maximè præclara, quæ in univerſalibus occupatur, demonſtrationesque admittit: dein experientia eſt lubrica, tarda, difficilis, ad quam non cuilibet eſt aditus. *Tardum eſt & varium, quod uſus docet*, ait Seneca *ep. 121.* Ut adeo, ſi deſtitutus ſis prudentiâ aliquâ univerſali, multa cogaris facere, antequam noſſe. Accedit ex Philoſophis etiam non paucos ad gubernacula reip. ſediſſe, quorum exempla protulit Ælianus *l. 3. variar. hiſtor. 17.* v. Forſtner. *ad XIV. Annal. Tacit. p. 30.* Adde de Juliano Imperatore Ammianum Marcellinum *l. 16. Rer. geſt. c. 5.* de Demerrio Phalereo Ciceronem *3. de LL.* de L. Lucullo idem Cicero *IX. Acad. Quæſt. ab initio.* de Buchanano, *Hadriano Turnebo*, Antonio Goveano, M. Antonio Mureto, Thuanum *l. 76. ad A. 1582.* ubi ait: *illos homines nihil padagogica præter togam & pileum habuiſſe.* Nec inficiari licet, è ſcholis prudentiæ civilis magiſtrorum præclaros prodiiſſe diſcipulos. v. de Platonis diſcipulis Laërtium *in ejus vitâ*, Plutarchum *adverſus Colotem*, Ciceronem, III. *de oratore.* Idem I. de officiis 44. *Illi*, inquit, *quorum ſtudia vitaque omnis in rerum cognitione verſata eſt, erudierunt multos, ut Thebanum Epaminondam Lyſis Pytagoreus, Syracuſium Dionem Plato,*

Plato, multique multos: nosque ipsi, quicquid ad remp. attulimus, (2) *à doctoribus atque doctrinâ instructi ad eam & ornati accessimus.* Equidem exempla aliqua memorantur eorum, qui sine doctrinæ vi, ab usu tantum & experientia instructi, rebuspublicis optimè consuluerunt. V. de Themistocle Thucydidem *l. 1. Histor.* de Philippo Cominæo Scævolam Sammarthanum *in elogiis.* de Mauritio Principe Auriaco, H. Grotium *l. 5. Annal. Belgic. ad A. 1588.* de Memmorantio Gramond. *l. 1. Hist. Gallic. ad A. 1614.* de Catharina Medicea Marville recueil. p. 290. de Politica Turcarum Chardanum Itiner. p. 46. de Cosmo M. Machiavell. l. 7. histor. Florent. *Doctrinâ nullâ imbutus, verum eloquentissimus, atque naturali scientiâ dotatus.* p. 393. Cicero III. ad Hercan. *Ingenii bonitas imitatur sæpe doctrinam: ars porrò naturæ commoda confirmat & auget.* Verùm hoc uti perrarum est, ita contigit (3) naturæ ipsius bonitate & habitu prope divinô, cujus ope tales homines propriô, quod ajunt, Marte ex usu compertis aut historiarum monumentis diligenter lectis & expensis, etsi non scientiam civilem integram, aliquid tamen ejus, quantum ad res quasdam agendas satis est, sibi pepererunt. Nimirum vulgò experientiæ etiam tribui consuevit, quod experimentis superstruitur aut ex iis deducitur; quæ tamen revera inter se differunt. Non obstat porrò, viros quosdam admodum literatos, sed in umbra studiorum educatos, ad res gerendas parum idoneos videri, idque (4) experientiâ compertum. Quam in rem pluribus disseruit Vicquefort *memoires touchant les Ambassadeurs part. 1. p. 11. & sequ.* adde de Bonifacio Vannozio Secretario Gregorii XIV. Marville Recueil. p. 290. ubi etiam de Henrico III. Rege Galliar. de Sophistis Aristotelem X. *Eth. 10.* Nam hoc inde

est,

eſt, (5) quoniam tales contemplationibus ſe unicè oblectant, rerum ſingularium, ſive quæ aguntur, incurioſi, & neſciunt, quod *difficillimum eſſe* dixit Tacitus Agricol. c. 4. *ex ſapientiâ retinere modum.* Hinc H. Grotius Carolo Guſtavo, ſuper ſtudiis literarum perficiendis ſciſcitanti, reſpondit apud Pufendorfium l. 7. Hiſtor. Caroli Guſtavi R. S. §. 3. *Id faſtigii homines non diu literis incumbere; ſed rebus gerendis dare ſe oportere.* v. Conringius *de prud. civil. cap. 7.* Zevecot. *ad 1. Flori c. 5.* Freinshem. *in præf. ad Florum.* Sorberiana *pag. 120.*

(1) Eadem quæſtio eſt de arte medica, de qua legendus Galenus *libro de theriacâ ad Piſonem c.* 10. H. Conringius *introduct. in art. medicam. c.* I. §. 21. De Rhetorica Ger. Joann. Voſſius *de Rhetor. naturâ & conſtit. c.* 8. De arte militari, Idem *libro de philoſophiâ c.* 19. §. 34. De Oeconomica. Nam ita Melanchthon epiſtol. ad Camerar. p. 374. *Etſi mercatores nec Sophoclis (puto leg. Socratis) nec Xenophontis nomen audierunt, tamen noſ quidem Philoſophos vident, cum audiunt de Oeconomia diſſerentes, cujus artis perfectionem ſibi ſumunt.*

(2) De Auguſto Dio: Τὰ πολιτικὰ καὶ ῥητορικὰ ἐδιδάσκετο ἰσχυρῶς. *Politica & quæ ad imperandum pertinent, docebatur ſolidè & validè.* De ſtudiis Eliſabethæ Camdenus in apparatu.

(3) Qua præditi Græcis Πολυδίδακτοι vocantur. D. Flechier *hiſtoire du Cardin. Ximenes l. 4. ad A.* 1516. ſub hujus perſona talem naturam inſignit, *un eſprit univerſel & qui ſçavoit profiter de tout.*

(4) De vulgo pædagogicorum Petrus Ronſardus, vir acerrimi judicii, apud Thuanum l. 76. ad A. 1582. cenſebat: *nunquam incorrigibilis ineptia, ex pædagogica contracta, characterem vel longiſſimi ævi curriculo deleri poſſe.* Aurelius Victor exemplo Salvii Juliani, juris urbani ſcientiâ præſtantis, ſed Imperatoris haut æque boni, monet, *ni ingenium adjuvet, imbecillem eſſe eruditionem.*

(5) V. omnino Joachim. Paſtorius *in paleſtra Nobilium c.* 1.

XX. Præ-

XX. Præterea illud ex dictis fluit, certam dari civilium rerum cognitionem, quia in earum cauſis ſive abſolutè ſive hypotheticè conſiderentur, multiplex eſt neceſſitas. De harum potiore tamen parte nihil pronunciari poteſt, quod non interdum ſuam patiatur exceptionem & fallat. Prout res tulerit vertenda conſilia, nec ulla præcepta ſemper valere, ajebat Spinola apud Grot. *l. 14. hiſt. ad A. MDCV.* Quod inde evenit, quia multis actionibus humanis non omnimoda neceſſitas, aliquid tamen propinquum neceſſitati ineſt. Quò pertinent propoſitiones, quæ ab ætate, ſexu, nativitate, divitiis ſumuntur: & illud Lachetis apud Terentium *Hecyra: Adeo uno animo omnes ſocrus oderunt nurus; Neque declinatam quicquam ab aliarum ingenio ullam reperias.* Quanquam enim hoc interdum fallat, tamen verum eſt, ſi id, quod plerumque fit, reſpicimus. Habet hic locum illud Senecæ *ep. 94. Infinita, inquis, præcepta ſunt. Falſum eſt: nam de maximis & neceſſariis rebus non ſunt infinita. Tenues autem differentias habent, quæ exigunt tempora, loca, perſona; ſed his quoque dantur præcepta generalia.* Unde eſt, quòd multi hujus artis beneficio futura ſæpe præviderunt, & prævenerunt. v. Ciceron. II. *ep. 8. IV. ep. 3. ep. 14. & VI. ep. 1.* conf. Nepot. *in vita Attic. c. 15.* Themiſtocles à Thucydide laudatur τῶν μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον ξ γενομένων ἄριστος εἰκαστής. apud Ciceronem *X. ad Attic. 8.* Balduinus legit ἐν ξ γενομένων. Thuanus l. 1. de vitâ ſuâ in fin. ſe memorat *mala reip. raro fallente augurio præſagiviſſe.* Cicero l. 1. de divinat. Alii in rep. exercitati, ut de Athenienſi Solone accepimus, orientem tyrannidem multo ante proſpicuunt, quos prudentes poſſumus dicere, id eſt, providentes. de Maurico Plinium *l. I. ep. 5.* Idem Cicero *de Oratore* Cottam à tribus conſulari-

bus commemorata narraſſe refert, *ut nihil incidiſſet poſtea civitati mali, quod non impendere illi tantò antè vidiſſent.* Inde porro eſt, * quod in eadem inſtituta non rarò conſpirent populi ſibi invicem non noti. Cæterum quædam rerum civilium fluxa & inſtabilia ſunt, ut de iis certi nihil haberi poſſit per aliquam ἀπόδειξιν, ſed quicquid earum rerum intelligitur, illud omne veroſimili duntaxat conjectura percipiatur. Quod uſuvenit propter varias περιστάσεις, ſive infinitam circumſtantiarum multitudinem, quarum unâ commutatâ ſæpe noxium fit, quod alio habitu aut alia paululum conditione prodeſſe videbatur. Eas autem omnes prævidere & accuratè cognoſcere non poteſt congenita intellectus noſtri imbecillitas. Accedit, divinâ providentiâ ſæpe etiam aſtutiſſimè diſpoſita eludi ſolere, de quo ſupra §. 6. V. Conring. *de prud. civil. c. 8.*

* Ira populus Tapujarum in America arcana dominationis habet, licet ad eum ne tenuis quidem Græcorum aut Romanorum prolapſa fuerit aura, ut obſervavit Caſpar Barlæus *de rebus geſtis ſub Mauritio in Braſilia p.* 422. In Peruanorum regno Atabalipa, ſive, ut alii vocant, Arahualpa uſurpator regni, paulò ante Hiſpanorum adventum regulis uſus eſt, quas Machiavellus deſcribit, licet hujus libros nunquam lectitârit.

XXI. Cauſa efficiens principalis eſt is, qui ſcientiam hanc ſibi acquirere ſatagit. In quo præcipuè illa requiruntur: *primùm*, vis eximia percipiendi, ſive docilitas; tum fida rerum memoria, quæ à magiſtris philoſophiæ civilis proponuntur, quæ fere omnia, Cicerone auctore *V. de finibus bonor. & malor.* uno ingenii nomine appellantur: *deinde*, (1) animus diſcendi cupidus, ſi non quævis, ſaltem civilia. Nam quod cupidè, id facile etiam addiſcitur. *Poſtremò*, ut pædiam hujus diſciplinæ teneat & dialecticam, cumprimis autem (2) apodictices peritiam

& (3)

& (3) juris naturalis morumque prudentiam habeat. Quæri hoc loco poteſt, an juvenis hanc ſcientiam ſibi comparare poſſit? ſeu, ut Ariſtoteles format quæſtionem *I. Eth. 3.* ſit politices οἰκεῖος ἀκροατής; quod negandum, ſi de perfectâ & exquiſitâ ſcientiâ quæſtio inſtituatur; (4) quoniam ætas illa, ut plerumque ſe habet, de civilibus negotiis omnibus rectum ferre judicium neſcit, propter τὴν ἀπειρίαν & judicii imperfectionem. Planè δόξαν ſive opinionem aliquam conſequi juvenis poteſt non ſine magno ſuo fructu, inprimis ſi magiſtri pronunciatis tantiſper credat, donec matureſcente judicio illorum veritatem ad hiſtorias civiles aut etiam uſum rerum exploret. Aptari huc poteſt, quod Cicero *l. 6. epiſt. ad familiar. 18.* ſcripſit: *Leptam noſtrum cupio delectari jam talibus ſcriptis: etſi abeſt maturitas ætatis, jam tamen perſonare aures ejus hujusmodi vocibus non eſt inutile.*

(1) Ariſtoteles X. Eth. 5. *Muſica & artis ædificandi ſtudioſi, & cæteri artifices magnos progreſſus in ſuo quisque ſtudio & munere faciunt, ſi eo delectentur.* conf. *Proverb. Salomon. IV, 7.*

(2) Doctrina hæc pro dignitate nondum eſt exculta. Scilicet multa confusè in Logicis ſolent doceri, & libri Ariſtotelis vitio ævi perquam ſunt mutili & disjecti; certè genuina & vera demonſtrationis natura hodie oppidò paucis eſt perſpecta, ut conqueritur H. Conringius *introduct. in natural. philoſ. c. 2. §. 15.* qui etiam amicis ſpem fecit librorum de demonſtratione. v. Diſſertatio ſub eô habita *de forma judiciorum in rep. rectè inſtituend. §. 219.* In defectu meliorum interea uſui eſſe poſſunt Bartholomæi Viotti, Taurinenſis Medici, libri quinque de demonſtratione.

(3) Quam neceſſarium hoc ſit, antequam juvenes politica degustent, piè & prudenter monuit Baco de Verulamio *Sermon. fidel. 57.*

(4) Cur juvenes facile in mathematicis ſcientiis excellant, non etiam prudentes aut politici fiant, cauſam tradit Paraphraſtes Ariſtotelis *l. 6. Eth. c. 9. quòd ſingulatium eſt prudentia,*

dentia, quorum cognitionem suppeditat experientia. Experientiam autem juvenis non habet: quia multô opus est tempore, ut ea praditus sit aliquis. Sine materia autem mathematicorum sumuntur principia: ac propterea singularium in iis non requiritur cognitio. Nec enim in materia considerant aut circulum aut numerum, in qua multiformis sint, & ut ita dicam indefinitus, quemadmodum naturalia physicus. Sed à materia eum separant, & ita per se contemplantur. Atque hac de causa nihil est, quod obstare possit, quò minus mathematici esse juvenes queant.

XXII. Ad causam efficientem etiam referendi, qui docent prudentiam civilem. Hi vel animati sunt, vel inanimes. (nam τῶν ὀργάνων τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δὲ ἔμψυχα ut Aristot. loquitur *I. Pol. 3.*) Ad illos idonei ductores sive magistri, ad hos libri pertinent. Cicero architectos reip. ædificandæ dixit. * Magistri opera multum potest, præsertim si cui contingat; qualem sub personâ Cati Ælii Sexti describit Ennius,

Multa tenens antiqua, sepulta, vetusta,
Quæ faciunt mores veteresque novosque tenentem.

Certè Aristoteles *l. 6. ad Nicomach. c. 11.* vult peritorum hominum & seniorum seu prudentum pronuntiationibus & opinionibus absque demonstratione non minus quàm demonstrationibus attendi, quod illi habeant τῆς ἐμπειρίας ὄμμα, *experientiæ oculum.* Euripides *Erechteo:*

Ὁμιλίας δὲ τὰς γεραιτέρας φίλει.
Seniliores quære consuetudines.

Idem *in Phœnissis*

Οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά,
Ἐτεόκλεες, πρόσεστιν· ἀλλ' ἡ ἐμπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.
Eteocles, audi, nonnihil fert commodi
Senecta secum; multa, quæ membris virens
Nescit juventus, monstrat experientia.

In

In Peleo.

Τὸ γῆρας, ὦ παῖ, τῶν νεωτέρων φρενῶν
Σοφώτερον πέφυκε κἀσφανέστερον.
Ἐμπειρίᾳ τε τῆς ἀπειρίας κρατεῖ.
Plus, nate, ſenium corde juvenili valet
Maturitate mentis & vi conſilii:
Inſcitiamque vincit experientia.

in Bellerophonte:

Ὁ γὰρ χρόνος δίδαγμα ποικιλώτατον.
Rerum magiſtra quippe multarum dies.

conf. Siracid. VI, 35. XXV, 5. ſequ. ubi Grotius.

* Menelaus apud Euripidem *Andromacha.*

Ἡ δ' ὁμιλία
Πάντων βροτοῖσι γίγνεται διδάσκαλος.
Nam converſatio
Omnium (rerum) *eſt hominibus magiſtra.*

XXIII. Libri vel præcepta politica univerſalia tradunt, vel exempla tantum aut hiſtorias narrant. Libri dogmatici, ſive præcepta univerſalia tradentes, diſtingui poſſunt in ſyſtemata & commentarios. Et quidem antiquiores, uti tam ex ſacris quàm profanis libris conſtat, nonniſi per carmina, per parabolas, * ſententias, proverbia, ** ſymbola, typos, politicen tradiderunt. Certè inter Græcos primus ferè Socrates exquiſitiore ſtudio eam tractavit, cujus philoſophiâ adjutus Plato, libros de republicâ & legibus cum aliis nonnullis opuſculis conſcripſit. Sed quem opere Πολιτικῶν longè ſuperavit Ariſtoteles, ſive incomparabilem hiſtoriarum cognitionem, ſive methodum aut tractandi rationem in iis ſpectes. Hunc ſecuti Theophraſtus, Demetrius Phalereus, v. omnino Ciceronem *l. 3. de LL.* Antiſthenes ſcriptis, quæ perierunt, à Laertio laudatis. Add. Joann. Meurſii *Theophraſt.* Atque apud hos prope gloria diſciplinæ hujus ſtetit: nam Stoici, Academici, Pythagorei Ethicen magis quàm Politicen excoluerunt;

runt; Rhetores autem & Sophiſtæ Politicen orationum & declamationum argumentum fecerunt. Poſtea victores Græcorum Romani nonniſi unum Ciceronem oſtentare poſſunt, qui Platonis atque Ariſtotelis veſtigia preſſerit, ceu qui maluerint ad ſcribendum hiſtorias, orationes, theſes ac hypotheſes politicas tractationesque materiarum ſingularium, quàm præcepta & formam diſciplinæ artisque eligere. Quæ demum collapſo Romanorum Imperio literarum fata fuerint quique iis renaſcentibus in prudentiâ civili operam poſuerint, longum foret exequi & fere ſupervacuum, cum proſtet Gabrielis Naudæi liber *ſub titulo bibliographiæ politicæ*; quamquam hic multa admiſceat aliena, agens de omnis generis libris, qui uſum aliquem in rep. poſſunt adferre. Accuratius eos recenſuit H. Conringius *de prudent. civil. c. 14. p. 341. ſequ.* Adde Boſii ſupra laudatam diſſertationem, Gerh. Theodori Meyeri *præfat. ad analyſ. polit. Ariſtot. §. 17. & ſequ.*

* Sophocles

Βραχεῖ λόγῳ τὴν πολλὰ σῴζουσαν σοφὰ,
Sapientia ampla ſæpe in ſermone brevi.

Ingenium hominis, ait Plutarchus, ſæpe magis cognoſci ex uno aliquo dicto ἀποφθεγματικῷ (*conciſo*) quam ex multis actionibus.

** Chaldæos, Hebræos, Ægyptios, vetuſtiſſimos ſapientiæ Profeſſores, præcepta ſua tradidiſſe ἐν συμβόλοις, docet Clemens Alexandrinus. Quem morem Pythagoras in Græciam attulit. v. H. Grotius *ad Matth. VII, 6.* Pertinent etiam huc fabulæ Pilpaji, quondam in India Philoſophi, ex illorum numero, qui Brachmanes vocantur, ex vetuſta Perſica & Arabica lingua in Perſicam recentiorem, & non ita pridem in Gallicanam verſæ, editæque Luteriæ Pariſiorum ſub titulo: *Les fables de Pilpay, ou la Conduite des Rois.*

XXIV. Libri hiſtorici hoc loco intelliguntur, qui civilia negotia ex verò deſcribunt. Dico *civilia negotia*: neque enim huc pertinent deſcriptiones vita-

ritarum; quas proinde ab hiſtoriis ſeparat Plutarchus in *Alexandro*: *Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους*: *Neque enim hiſtorias ſcribimus, ſed vitas.* Niſi vitæ ſint virorum illuſtrium, eorumque præclarè geſta deſcriptioni intexantur, ut Plutarchus & Cornelius Nepos in more habuerunt. Aliena etiam hinc eſt hiſtoria literaria, artium & ſcientiarum ortus & progreſſus, incrementa & decrementa explicans. Quò pertinent P. Lambecii *prodromus hiſtoriæ literariæ* & Morhofii *Polyhiſtor.* Hiſtorici autem, qui huic noſtro inſtituto conducunt, variè differunt; Nam *PRIMO* quidam actus civiles certô ordine juſtâque rerum & conſiliorum ſerie contexunt; quorum iterum eſt diverſitas: Qui enim hiſtoricorum libri res illuſtres tractant, annales audiunt. Tacitus XIII. Annal. 31. *Nerone ſecundum L. Piſone Coſſ. pauca memoriâ digna evenire: niſi cui libeat laudandis fundamentis & trabibus, quis molem Amphitheatri apud Campum Martis Cæſar adſtruxerat, volumina implere: cum ex dignitate populi Romani repertum ſit, res illuſtres annalibus, talia diurnis urbis actis* (quæ alibi diurna actorum ſcripta, Vopiſcus in *Probo* diurna populi Romani nominat) *mandare.* Quæ verò res plenius enarrant, dicuntur pragmaticæ hiſtoriæ. Quidam è contrariô materiam tantum, eamque ſæpe crudam, exhibent. Quales hodie acta publica, veteribus commentaria vocantur, eodemque pertinent memoriæ, quas initia legitimæ hiſtoriæ rectè dixit Voſſius *de philoſoph. c. 19. §. 5.* quoniam actiones & eventus ordine ſuo exponunt, ſed occaſiones, conſilia, orationes ac ſimilia omittunt. His autem illos ad parandam hanc prudentiam longè præſtare, quicquid alii dicant, facilimum eſt demonſtratu. v. H. Bœcleri *comparationem hiſtoricorum Commentariorum cum*

contextâ hiſtoria. *DEINDE* quidam diverſarum gentium & totius quaſi orbis hiſtorias concinnant, propriéque dicuntur univerſales. Quales apud veteres fuerunt Trogi Pompeji, & Diodori Siculi. Superiori & hoc ſeculo Jacob. Auguſtus Thuanus & Victorius Siri. Alii particulares hiſtorias enarrant. Quales & olim & hodie habentur plurimi, v. Bœcleri *Diſſertatio de hiſtoriâ univerſali.* *PORRO* quidam eccleſiaſtica, quidam profana tractant. Utrorumque uſus eſt inſignis in ptudentiâ civili. *RURSUS* quidam res geſtas tantum condunt: alii formam faciemque hujus vel illius civitatis depingunt. Quâ in re Ariſtoteles præclaram olim poſuit operam, Civitatum omnium, non Græciæ ſolùm, ſed & Barbariæ mores, inſtituta, diſciplinas tradens, ut auctor Cicero *5. de finibus.* Cujus operis nonniſi excerpta quædam habemus. Hujusmodi autem deſcriptiones, ſi accuratæ, maximi ſunt momenti ad hanc prudentiam & reapſe quaſi ſunt civilis prudentia, ſed in exemplis. *POSTREMUM* alii domeſtici ſunt, alii peregrini; quorum illi præcipuè excoli, hi non negligi debent. Certè quæ à majoribus conſanguineis noſtris geſta ſunt, ea ſicut majore cum affectu haurimus, ita hauſta firmiore memoriâ retinemus. Alii veteres, alii juniores ſunt. De illis Cicero III. dd oratore: *Habet in ætatibus auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis auctoritas, quæ quidem apud me ipſum valet plurimum.* Quanquam juniores quoque in pretio habere & ex conſilio H. Grotii ab his incipere, ac dein paulatim ad antiquiores eniti debeamus. Adde Forſtner. *præfat. notar. ad l. 11. Annal. Tacit.* Pufendorf. *præfation. introduct. in hiſtor.* De optimæ notæ cujuscunque ævi & generis hiſtoricis legendus H. Conring. *de prudent. civil. c. 14.* & de modo legendi hiſtorias ad hunc uſum (qui eſt,

aut certè esse debet, ut ex accuratiore historiarum cognitione singularumque circumstantiarum examine interiora negotiorum civilium pernoscantur, & quomodo prudenter in iis versandum sit addiscamus,) Bœcleri libellus, cui titulum præscripsit, *Historia, schola Principum*, Camdenus *de ratione ac methodo legendi historias*, & Degorei Whear *relectiones hyemales, de ratione & methodo legendi utrasque historias.* (1) ne de aliis nunc dicam. Cæterum de libris præcepta politica tradentibus quidam non adeo magnificè sentiunt, & historias iis longè antehabent. v. Victorius Siri *præf. tom. 2. del. Merc.* Aliqui aphorismos politicos & præcepta imperandi parum abest quin nauseent, quos inter Marchio est Virgilius Malvezzi *in Tarquinio Superbo* & *Davide afflicto.* Jam olim Polybius in historiæ suæ primordio pronunciavit: nullam esse mortalibus ad proficiendum viam expeditiorem rerum ante actarum scientiâ, & hanc ἀληθινωτάτην παιδειαν, *verissimam institutionem* futuri politici. Verum ut præcepta politica omnia sine discrimine laudari non possunt, sed judicio opus est, quibus auctoribus causisvè dicantur, & num experientiæ conveniant; ita retrò progressus à singularibus ad universales præceptiones juvenibus certè commendandus non est. Etenim ἡ πεῖρα σφαλερὴ, quod olim de experientiâ medicâ dixit Hippocrates, & de civili longè est verissimum, quoniam causæ & occasiones & circumstantiæ eventorum haud satis curatè semper animadvertuntur. Scientias etiam condere excelsæ est operæ, & animi peracuti. Contra qui est præceptis ac sententiis à præclaro prudentiæ magistro instructus, is jam accepit oculum aliquem, ut ita loquar, politicum ad pervidendas rerum gestarum causas atque arcana: in quæ non penetraret, si statim monitorum civilium

artiumque omnino rudis in hiſtoriarum mare ſeſe mergeret. Polybius ſanè reſpexit ad Philoſophos Politicos ſuæ ætatis, qui erant Stoici, & rarò aliquid in ſuis ſcholis docebant, quod, ubi ad rei veritatem erat ventum, non eſſet dediſcendum ceu inutile & nulli uſui. Planè ut de armorum magiſtris ſuæ ætatis Plato obſervavit *in Lachete*: totam eorum artem vanam eſſe & inutilem; ac ne μάθημα quidem, ſed ματαιοτεχνίαν meram. Fateor præterea cum Seneca: *longum iter eſſe per præcepta, breve & efficax per exempla*, & quod Voſſius *d. c. 19. §. 1.* tradit: præceptum ſub exemplo melius docere, quam exemplum ſub præcepto. (2) Quandoquidem in exemplo eſt negotium cum omnibus circumſtantiis, quæ melius & certius id, quod in controverſiâ eſt, reſtringunt. At qui præcepto exemplum ſubjiciunt, coguntur exemplum accommodare præcepto. Verum & hæc uſum præceptorum non omnino tollunt.

(1) Ut ſunt Joannis Bodini, Franciſci Patritii, Joannis Pontani, Franciſci Balduini, Sebaſtiani Foxii, Joannis Antonii Viperani, Franciſci Robortelli, Chriſtophori Milæi, Uberti Folietæ, *de ratione ſcribendæ hiſtoriæ*, Simonis Grynæi, Cœlii Secundi Curionis, Joannis Sambuci, Antonii Riccoboni, Davidis Chytræi, Theodori Zvvingeri, Joann. Thomæ Freigii, Michaelis Neandri, Reineri Reineccii, Juſti Lipſii, Friderici Tilemanni & aliorum, de hiſtoria ejusque ſcriptoribus & recta legendi atque ſcribendi ratione commentarii, orationes, inſtitutiones, conſilia atque commonefactiones.

(2) Seneca l. 3. controv. 20. *Gravis Scholaſticos morbus invaſit, exempla cum dixerunt, volunt & illa ad aliquod controverſiæ thema redigere. Hoc ut aliquando faciendum eſt, cum res patitur; ita ineptiſſimum eſt luctari cum materia.*

PARTIS

PARTIS PRIMÆ
Sive
ARCHITECTONICÆ
SECTIO PRIMA.
DE STATU HOMINUM ANTE CONSTITUTAS CIVITATES.

I. STatus concipitur animo, in quo ante constitutas civitates singuli sui juris & inter se æquales fuerint.

II. Ejus status NOMENCLATURA.

III. DEFINITIO.

IV. FINIS.

V. SUBJECTUM homines, in universum mali.

VI. Amantes sui, cupidi rerum alienarum, & ambitiosi.

VII. Diversi denique sententiis.

IIX. Qui animorum habitus sint secundum diversa hominum genera, ex Aristotele discendum.

IX. FORMA. Non est quidem absque norma & legibus. Quarum summa traditur.

X. Sed tamen turbidus, instabilis, sæpe hostilis, & in summa miser.

XI. Migrant igitur homines in societates, quæ vel æquatoriæ sunt, vel rectoriæ. Harum una species est domus, altera, & quidem societatum princeps, civitas.

§. I.

UT civilium cœtuum structura penitus cognoscatur, & prudentia civilis ad sua quasi incunabula revocetur, plurimum valet, si ante constitutas civitates unumquemque sui juris suique arbitrii fuisse, saltem animo concipiamus. *Nam quemadmodum in physicis* (ubi de materiâ, quam vocant, primâ disceptatur) *& alibi, id quod est ex pluribus conflatum ac compositum usque ad ea quæ divisio-*

nem

nem non admittunt amplius (propterea quod minima sunt ejus rei, cujus instituitur, divisio) partiri ac dividere solemus; quia multum ad lucem facere videtur. Eodem modo si nunc partes singulas, ex quibus constat civitas, examinemus, facilius tum differentiam earum videbimus, tum sine ullo (id quod nobis propositum est) negotio singula in artem digeremus. ut Aristoteles paraphraste Heinsio disserit, *I. Pol. 1. In minimis primum singulæ res inquirendæ sunt*, ait idem *l. 1. Pol. 3.* Cæterum necesse non est, hunc rerum statum actu unquam fuisse. *Supponere enim licet dummodo res non sit impossibilis*, secundum ejusdem doctrinam *II. Pol. 4.* qui ipsemet hypothesi hac eleganter utitur *III. Pol. 6.* Jam verò si non ab æterno extitisse civitates, sed à certô tempore originem sumsisse humanum genus statuamus, quod (1) præter argumenta complura, nos divinæ docent literæ, vix alius expensâ vulgari hominum indole, quomodocunque ii in mundum venerint, cogitari potest status, quam qualem veteres adumbraverunt. *Quodam scilicet tempore homines, cum nondum civili jure descripto fusi per agros ac dispersi vagarentur, tantum habuisse, quantum manu ac viribus per eadem ac vulnera aut eripere aut retinere potuissent.* Quæ Ciceronis fere verba sunt *pro Sextio* Conf. ejusdem *l. 1, de invent. ab init.* Diodor. Siculus *l. I. Biblioth.* Lucretius *l. 5.* & Poetæ passim. Quorum plerique satis horridè statum illum descripserunt, oppugnati propterea à Lactantio *l. 6. Instit. divinar. c. 10.* sed, ut solet, ubi disputat contra Philosophos, parum feliciter: cum sacras literas, quibus ille innititur, non agnoscant Pagani, & hi citra eas vix nosse quirent, quo numerô quave conditione primi homines editi essent; è contrario considerarent homines, ante inita fœdera & inventas artes sermonisque usum, in tantâ rerum indigentiâ,

cià, bonæ educationis expertes; ſimulque intuerentur gentes ferinam prope vitam agentes, quales & olim fuiſſe,& nunc eſſe,hiſtorici memorant. De Aboriginibus teſtatur Salluſtius in Catilinâ: fuiſſe *genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum.* Apud eundem eſt in bello Jugurthino: *Gætuli & Lybies neque moribus, neque lege aut imperio cujusquam regebantur.* Numidas in Africâ deſcribit Strabo *l. 17. Geograph.* vagos, patriæ expertes & inter ſe latrocinantes, donec Maſiniſſa eos agricolas & civiles reddidit. Inſulæ Madágaſcaris populos non ſe nominibus, non tempora diſtinguere eſt apud H. Grot. *l. 6. hiſt. Belgic. ad A. 1597. p. 288.* De Bebriciis Valerius Flaccus:

Non fœdera legum
Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.

De Drogloditis Plinius l. 5. hiſtor. natur. 8. *Specus excavant, quæ illis domus ſunt, victus ſerpentum carnes, ſtridorque, non vox.* Quales hodie quoque Cafri in Afrrca, de quibus Job. Ludolph. *de regno Habeſſ. l. 1. c. 14. n. 51. & in commentar.* De iisdem & aliis Becmann. *hiſtor. Geograph. c. 9. §. 8.* De populis in monte Caucaſo habitantibus Chardinius *in itinerar. p. 202.* Incolas inſulæ Gigantum vocat Americus Veſpucius in literis ad Renatum Jheruſalem & Siciliæ Regem, Ducem Lotharingiæ & Barnenſ. de navigatione ſecundâ *gentem beſtialiſſimam ſimpliciſſimamque.* Idem in primâ navigatione Africæ in littoribus obſervavit gentem, *nulla belli capita nullosque præfectos habentem, quinimò (cum eorum quilibet ex ſe dominus extet) nullo ſervato ordine meantem.* Addit: *hæc gens in ſuâ libertate vivens, nullique obediens, nec Regem nec dominum habet. Nulla jura nullamvé juſtitiam ſervant, malefactores ſuos nequaquam puniunt. Nullam legem, nullum legitimum thori fœdus*

in

in ſuis connubiis obſervant. Si credimus ſcriptoribus Americanis, antequam Mango copac Peruanum conderet imperium, homines inſtar beſtiarum egêre, ſine Rege, lege ac religione, ſine ædibus nudi, herbis & arborum fructibus, aut quicquid fortuna obtuliſſet, victitantes. Adde Ariſtotelem III X. *Pol.* 4. (2) Admittimus igitur velut hypotheſin, quâ univerſum genus humanum diſſolutum, & ſinguli in orbe terrarum homines ſegreges ſui juris & citra imperium fuiſſe ante conſtitutas ſocietates civiles exiſtimentur, ut earum contextum & compoſitionem penitius introſpicere (3) præſtantiamque cognoſcere queamus. Quamvis beneficio divinarum literarum in propatulo ſit, eum ſtatum nunquam plenè & perfectè extitiſſe, quando Adæ Eva ut ſocia cum lege obſequii à Deô protinus addita fuit. Revera autem, ſed particulatim & temperatus, is utique extitit. Nam in naturali ſtatu priſci patresfamilias haut dubiè fuerunt, quos ſeorſim egiſſe, ac domui ſuæ quemque regio quodam modo præfuiſſe dixit Ariſtoteles I. *Pol. I.* in ejus rei fidem Homeri illud adducens: Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠδ' ἀλόχων. *Singuli autem ſua ex libidine regunt liberos & uxores.* conf. *Gen. XXXI, 32.*. Capita enim familiarum ſic liberrimo jure inter ſe uſa videntur, perinde ut nunc conſtitutis civitatibus earundem rectores, ſi inter ſe conſiderentur. Adhæc ſi civitas, in anarchiam delabatur, revera fit diſſoluta turba, nemo ubi audit neminem, & res fere ad ſua redit principia. Quid? quod, ſi diverſarum civitatum homines in vacuas terras aut deſertam inſulam deferri contingat, manifeſtam habemus imaginem illius, quem confingimus, ſtatûs.

(1) Inter quæ non minimum, quod Ariſtoteles II. *Pol.* 8. obſervavit: *Priſcas leges valde ſimplices fuiſſe, ac Barbarorum*

rum ritûs retuliſſe. Cuncta quoque, qua reliqua ſunt ubique priſcorum inſtitutorum, inſulſa fuiſſe admodum.

(2) Hactenus probant etiam naturalem ſtatum D. Schilterus *c.* 3. *manuduct. philoſoph. moral. ad jurispr.* §. 15. *& ſeqq.* Zentgravius *de origin. verit. & obligat. jur. gent. art.* 3. §. 2. & plerique alii.

(3) Hoc propoſito etiam veteres Philoſophos hypotheſin illam adornaſſe, bene obſervavit Bœclerus *l.* 1. *Inſtit. Polit. c.* 1. Eodem propoſito Perſæ lege latâ conſtituerunt, mortuo Rege per quinque dies ἀναρχίαν fore, ut intelligeretur, quanti lex & Rex eſſet, teſte Stobæo *ſermon.* 42.

II. Eum ſtatum H. Grotius *lib. 2. de jur. Bell. & Pac. cap. 7.* §. *27.* conf. *lib. 2. cap. 20.* §. *8.* niſi fallor, primus *naturalem* appellavit, non malè; quandoquidem naturalia etiam à bonis auctoribus vocari ſolent, quæ citra factum humanum exiſtunt. Eadem nomenclaturâ uſus eſt Hobbeſius *c. I. de civ.* §. *10.* Quocum etiam *libertatis ſtatum* per me licebit nominare, vel *hoſtilem c. 2. de cive* §. *19.* ſi id, quod plerumque in hoc ſtatu accidere ſolet, ſpectetur. conf. D. Becman. *c. 4. Med. Pol.* §. *2.*

III. (1) Status hicce deſcribi poteſt, *conditio hominum inter ſe aqualium, neminisque alterius, praterquam Dei & divinarum legum, arbitrio ſubjectorum.* Quod verò addit Hobbeſius *d. c. I.* §. *10.* In quâ unicuique quidvis in quemlibet licet, & bellum omnium in omnes eſt, tolerari poſſet, ſi vocabulo *licet*, uti non infrequens eſt, ſignificaretur, quod apud homines pœnæ non ſubjacet. v. Grotium *l. 3. c. 4.* §. *2.* Enimverò cum naturæ jure id conſtitutum dicat, quippe cujus fundamentum primum ſit: ut quisque vitam & membra ſua, quantum poteſt, tueatur, neget autem hominem naturâ animal ſociale eſſe; nulla haud dubiè pernitioſior horribiliorque excogitari potuit ſen-

tentia.

tentia. Imò verò ipſe locô non uno agnovit: *Deum eo ipſo, quod rationales fecerit homines, iis mandata quædam præcepiſſe, ne quisquam quidquam faceret, quod alium ſibi facere iniquum duceret. c. 14.* de homine §. *5. c. 3.* de cive §. *26.* in Leviathane *c. 15.* Ex quo ſponte ſuâ ſequitur, homines invicem naturâ non eſſe hoſtes: nam cui præſtò, quæ mihi fieri vellem, & cui non infero malum, quod ipſe nollem perferre, ei, ſi non conjunctus, ſaltem non poſſum eſſe inimicus. Præterea verò homines ſociales eſſe, & juris ſocietate ſive communione contineri, (2) variis argumentis oſtenderunt præter Stoicos Philoſophos Cicero inprimis *de Legibus primo, de Officiis paſſim:* & Ariſtoteles, cujus inſigne illud eſt I. Pol. 2. *Quarè autem homo civile animal ſit, omni ape & gregali animante magis, apertum eſt. Nihil enim, ut dicitur, natura facit fruſtra. Sermonem autem unus ex animalibus habet homo.* III. Pol. 4. à princ. *Et qui nihil indiget aliorum auxilio, non minus tamen convictum expeteret.* Et IIX. Eth. I. *Cernere licet etiam in erroribus, quàm ſit omnis homo homini accommodatum ac amicum.* Cæterum ex his ſimul intelligitur, ſtatum, quem civitati præſtruxit Hobbeſius, longè differre à noſtro. Etenim nos per modum ἐποχῆς homines ſingulos, quaſi ſpontis ſuæ & nullius poteſtati ſint ſubjecti, conſideramus, ut tamen locum libenter concedamus principiis, quæ Auctor naturæ, ut ſociales eſſent, hominibus inſevit. Ille è contrariô homines naturâ ſegregatos & nullo prorſus vinculo adſtrictos affirmavit.

(1) Alii naturalem ſtatum aliter definiunt, præſertim Jacob. Thomaſ. *Diſſertat. de ſocietatis civilis ſtatu naturali ac legali*, naturalem ſtatum dicens, qui in civitate ſit citra legem ab ea latam. De quo vid. Pufendorf. *Diſſ. de ſtatu naturali §. 2.*

(2) Adde,

(z) Adde, si libet, *Dissert. nostram de socialitate, primo juris naturæ principio sect. I.*

IV. Finis hominum in conditione illâ positorum, non est congenerum aliorum, sed sua cujusque utilitas. Sive, ut Taciti verba huc accommodem, *privata cuique stimulatio, vile decus publicum.* Quod profectò verum esse cognoscitur ex characteribus, quibus homines in civili etiam statu jam dudum depinxerunt Sapientes.

V. De hominibus in universum Seneca I. de benef. 10. *Semper de nobis*, inquit, *pronunciare debemus, malos nos esse, malos fuisse, invitus adjiciam, & futuros esse. Vis amplius dicam? Homo est omnium animalium pessimum ac deterrimum, quo nihil pejus ac atrocius.* Chorus apud Sophoclem Antigona:

Πολλὰ τὰ δεινὰ, κ'ὐδὲν ἀνθρώπου
δεινότερον πέλει.
Multa sunt mala, sed homine
Nihil atrocius est.

Cicero II. de officiis: *Nulla tam detestabilis pestis est, quæ non homini ab homine nascatur. Est Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copiosi, qui collectis cæteris causis eluvionis, pestilentiæ, vastitatus, bellnarum repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam genera hominum esse consumta: deinde docet, quanto plures deleti sint homines hominum impetu, id est, bellis aut seditionibus, quàm omni reliquâ calamitate.* Plinius præf. hist. nat. *Nulli animantium vita fragilior, nulli omnium libido rerum major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior.* Idem *l. 2.* Hist. Nat. *c. 7. Nihil est miserius quicquam homine, nec superbius.* Quæ sententia iisdem prope verbis extat apud Jeremiam XVII, 9. Ulpianus ad Demosth. orat. in Ceptinen. οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι ἀναγκαίως. Καλοὶ γὰρ οἱ πολλοί. *Boni necessariò pauci; quia mali*

contextâ hiſtoria. *DEINDE* quidam diverſarum gentium & totius quaſi orbis hiſtorias concinnant, propriéque dicuntur univerſales. Quales apud veteres fuerunt Trogi Pompeji, & Diodori Siculi. Superiori & hoc ſeculo Jacob. Auguſtus Thuanus & Victorius Siri. Alii particulares hiſtorias enarrant. Quales & olim & hodie habentur plurimi, v. Bœcleri *Diſſertatio de hiſtoriâ univerſali.* *PORRO* quidam eccleſiaſtica, quidam profana tractant. Utrorumque uſus eſt inſignis in ptudentiâ civili. *RURSUS* quidam res geſtas tantum condunt: alii formam faciemque hujus vel illius civitatis depingunt. Quâ in re Ariſtoteles præclaram olim poſuit operam, Civitatum omnium, non Græciæ ſolùm, ſed & Barbariæ mores, inſtituta, diſciplinas tradens, ut auctor Cicero *5. de finibus.* Cujus operis nonniſi excerpta quædam habemus. Hujusmodi autem deſcriptiones, ſi accuratæ, maximi ſunt momenti ad hanc prudentiam & reapſe quaſi ſunt civilis prudentia, ſed in exemplis. *POSTREMUM* alii domeſtici ſunt, alii peregrini; quorum illi præcipuè excoli, hi non negligi debent. Certè quæ à majoribus conſanguineis noſtris geſta ſunt, ea ſicut majore cum affectu haurimus, ita hauſta firmiore memoriâ retinemus. Alii veteres, alii juniores ſunt. De illis Cicero III. dd oratore: *Habet in ætatibus auctoritatem ſenectus, ſic in exemplis auctoritas, quæ quidem apud me ipſum valet plurimum.* Quanquam juniores quoque in pretio habere & ex conſilio H. Grotii ab his incipere, ac dein paulatim ad antiquiores eniti debeamus. Adde Forſtner. *præfat. notar. ad l. 11. Annal. Tacit.* Pufendorf. *præfation. introduct. in hiſtor.* De optimæ notæ cujuscunque ævi & generis hiſtoricis legendus H. Conring. *de prudent. civil. c. 14.* & de modo legendi hiſtorias ad hunc uſum (qui eſt,

aut

aut certè esse debet, ut ex accuratiore historiarum cognitione singularumque circumstantiarum examine interiora negotiorum civilium pernoscantur, & quomodo prudenter in iis versandum sit addiscamus,) Bœcleri libellus, cui titulum præscripsit, *Historia, schola Principum*, Camdenus *de ratione ac methodo legendi historias*, & Degorei Whear *relectiones hyemales*, *de ratione & methodo legendi utrasque historias.* (1) ne de aliis nunc dicam. Cæterum de libris præcepta politica tradentibus quidam non adeo magnificè sentiunt, & historias iis longè antehabent. v. Victorius Siri *præf. tom. 2. del. Merc.* Aliqui aphorismos politicos & præcepta imperandi parum abest quin nauseent, quos inter Marchio est Virgilius Malvezzi *in Tarquinio Superbo* & *Davide afflicto.* Jam olim Polybius in historiæ suæ primordio pronunciavit: nullam esse mortalibus ad proficiendum viam expeditiorem rerum ante actarum scientiâ, & hanc ἀληθινωτάτην παιδειαν, *verissimam institutionem* futuri politici. Verum ut præcepta politica omnia sine discrimine laudari non possunt, sed judicio opus est, quibus auctoribus causisvè dicantur, & num experientiæ conveniant; ita retrò progressus à singularibus ad universales præceptiones juvenibus certè commendandus non est. Etenim ἡ πεῖρα σφαλερή, quod olim de experientiâ medicâ dixit Hippocrates, & de civili longè est verissimum, quoniam causæ & occasiones & circumstantiæ eventorum haud satis curatè semper animadvertuntur. Scientias etiam condere excelsæ est operæ, & animi peracuti. Contra qui est præceptis ac sententiis à præclaro prudentiæ magistro instructus, is jam accepit oculum aliquem, ut ita loquar, politicum ad pervidendas rerum gestarum causas atque arcana: in quæ non penetraret, si statim monitorum civilium

artiumque omnino rudis in hiſtoriarum mare ſe im-mergeret. Polybius ſanè reſpexit ad Philoſophos Politicos ſuæ ætatis, qui erant Stoici, & rarò aliquid in ſuis ſcholis docebant, quod, ubi ad rei veritatem erat ventum, non eſſet dediſcendum ceu inutile & nulli uſui. Planè ut de armorum magiſtris ſuæ ætatis Plato obſervavit *in Lachete*: totam eorum artem vanam eſſe & inutilem; ac ne μάθημα quidem, ſed ματαιοτεχνίαν meram. Fateor præterea cum Seneca: *longum iter eſſe per præcepta, breve & efficax per exempla*, & quod Voſſius *d. c. 19. §. 1.* tradit: præceptum ſub exemplo melius docere, quam exemplum ſub præcepto. (2) Quandoquidem in exemplo eſt negotium cum omnibus circumſtantiis, quæ melius & certius id, quod in controverſiâ eſt, reſtringunt. At qui præcepto exemplum ſubjiciunt, coguntur exemplum accommodare præcepto. Verum & hæc uſum præceptorum non omnino tollunt.

(1) Ut ſunt Joannis Bodini, Franciſci Patritii, Joannis Pontani, Franciſci Balduini, Sebaſtiani Foxii, Joannis Antonii Viperani, Franciſci Robortelli, Chriſtophori Milæi, Uberti Folieræ, *de ratione ſcribendæ hiſtoriæ*, Simonis Grynæi, Cœlii Secundi Curionis, Joannis Sambuci, Antonii Riccoboni, Davidis Chytræi, Theodori Zvvingeri, Joann. Thomæ Freigii, Michaelis Neandri, Reineri Reineccii, Juſti Lipſii, Friderici Tilemanni & aliorum, de hiſtoria ejusque ſcriptoribus & recta legendi atque ſcribendi ratione commentarii, orationes, inſtitutiones, conſilia atque commonefactiones.

(2) Seneca l. 3. controv. 20. *Gravis Scholaſticos morbus invaſit, exempla cum dixerunt, volunt & illa ad aliquod controverſiæ thema redigere. Hoc ut aliquando faciendum eſt, cum res patitur; ita ineptiſſimum eſt luctari cum materia.*

PARTIS

PARTIS PRIMÆ
Sive
ARCHITECTONICÆ
SECTIO PRIMA.
DE STATU HOMINUM ANTE CONSTITUTAS CIVITATES.

I. STatus concipitur animo, in quo ante constitutas civitates singuli sui juris & inter se æquales fuerint.

II. Ejus status NOMENCLATURA.

III. DEFINITIO.

IV. FINIS.

V. SUBJECTUM homines, in universum mali.

VI. Amantes sui, cupidi tetum alienatum, & ambitiosi.

VII. Diversi denique sententiis.

IIX. Qui animorum habitus sint secundum diversa hominum genera, ex Aristotele discendum.

IX. FORMA. Non est quidem absque norma & legibus. Quarum summa traditur.

X. Sed tamen turbidus, instabilis, sæpe hostilis, & in summa miser.

XI. Migrant igitur homines in societates, quæ vel æquatoriæ sunt, vel rectoriæ. Harum una species est domus, altera, & quidem societatum princeps, civitas.

§. I.

UT civilium cœtuum structura penitus cognoscatur, & prudentia civilis ad sua quasi incunabula revocetur, plurimum valet, si ante constitutas civitates unumquemque sui juris suique arbitrii fuisse, saltem animo concipiamus. *Nam quemadmodum in physicis* (ubi de materiâ, quam vocant, primâ disceptatur) *& alibi, id quod est ex pluribus conflatum ac compositum usque ad ea qua divisio-*

nem

nem non admittunt amplius (propterea quod minimæ sunt ejus rei, cujus instituitur, divisio) partiri ac dividere solemus; quia multum ad lucem facere videtur. Eodem modo si nunc partes singulas, ex quibus constat civitas, examinemus, facilius tum differentiam earum videbimus, tum sine ullo (id quod nobis propositum est) negotio singula in artem digeremus. ut Aristoteles paraphraste Heinsio differit, *I. Pol. 1. In minimis primum singulæ res inquirendæ sunt,* ait idem *l. 1. Pol. 3.* Cæterum necesse non est, hunc rerum statum actu unquam fuisse. *Supponere enim licet dummodo res non sit impossibilis*, secundum ejusdem doctrinam *II. Pol. 4.* qui ipsemet hypothesi hac eleganter utitur *III. Pol. 6.* Jam verò si non ab æterno extitisse civitates, sed à certô tempore originem sumsisse humanum genus statuamus, quod (1) præter argumenta complura, nos divinæ docent literæ, vix alius expensâ vulgari hominum indole, quomodocunque ii in mundum venerint, cogitari potest status, quam qualem veteres adumbraverunt. *Quodam scilicet tempore homines, cum nondum civili jure descripto fusi per agros ac dispersi vagarentur, tantum habuisse, quantum manu ac viribus per eadem ac vulnera aut eripere aut retinere potuissent.* Quæ Ciceronis fere verba sunt *pro Sextio* Conf. ejusdem *l. 1, de invent. ab init.* Diodor. Siculus *l. I. Biblioth.* Lucretius *l. 5.* & Poetæ passim. Quorum plerique satis horridè statum illum descripserunt, oppugnati propterea à Lactantio *l. 6. Instit. divinar, c. 10.* sed, ut solet, ubi disputat contra Philosophos, parum feliciter: cum sacras literas, quibus ille innititur, non agnoscant Pagani, & hi citra eas vix nosse quirent, quo numerô quave conditione primi homines editi essent; è contrario considerarent homines, ante inita fœdera & inventas artes sermonisque usum, in tantâ rerum indigentiâ,

nia, bonæ educationis expertes; ſimulque intuerentur gentes ferinam prope vitam agentes, quales & olim fuiſſe, & nunc eſſe, hiſtorici memorant. De Aboriginibus teſtatur Salluſtius in Catilinâ: fuiſſe *genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum.* Apud eundem eſt in bello Jugurthino: *Gætuli & Lybies neque moribus, neque lege aut imperio cujusquam regebantur.* Numidas in Africâ deſcribit Strabo *l. 17. Geograph.* vagos, patriæ expertes & inter ſe latrocinantes, donec Maſiniſſa eos agricolas & civiles reddidit. Inſulæ Madágaſcaris populos non ſe nominibus, non tempora diſtinguere eſt apud H. Grot. *l. 6. hiſt. Belgic. ad A. 1597. p. 288.* De Bebriciis Valerius Flaccus:

Non fœdera legum
Ulla colunt, placidas aut jura tenentia mentes.

De Drogloditis Plinius l. 5. hiſtor. natur. 8. *Specus excavant, quæ illis domus ſunt, victus ſerpentum carnes, ſtridorque, non vox.* Quales hodie quoque Cafri in Afrrca, de quibus Job. Ludolph. *de regno Habeſſ. l. 1. c. 14. n. 51. & in commentar.* De iisdem & aliis Becmann. *hiſtor. Geograph. c. 9. §. 8.* De populis in monte Caucaſo habitantibus Chardinius *in itinerar. p. 202.* Incolas inſulæ Gigantum vocat Americus Veſpucius in literis ad Renatum Jheruſalem & Siciliæ Regem, Ducem Lotharingiæ & Barnenſ. de navigatione ſecundâ *gentem beſtialiſſimam ſimpliciſſimamque.* Idem in primâ navigatione Africæ in littoribus obſervavit gentem, *nulla belli capita nullosque præfectos habentem, quinimò (cum eorum quilibet ex ſe dominus extet) nullo ſervato ordine meantem.* Addit: *hæc gens in ſuâ libertate vivens, nullique obediens, nec Regem nec dominum habet. Nulla jura nullamvé juſtitiam ſervant, malefactores ſuos nequaquam puniunt. Nullam legem, nullum legitimum thori fœdus*

in

in ſuis connubiis obſervant. Si credimus ſcriptoribus Americanis, antequam Mango copac Peruanum condeiet imperium, homines inſtar beſtiarum egêre, ſine Rege, lege ac religione, ſine ædibus nudi, herbis & arborum fructibus, aut quicquid fortuna obtuliſſet, victitantes. Adde Ariſtotelem III X. *Pol.* 4. (2) Admittimus igitur velut hypotheſin, quâ univerſum genus humanum diſſolutum, & ſinguli in orbe terrarum homines ſegreges ſui juris & citra imperium fuiſſe ante conſtitutas ſocietates civiles exiſtimentur, ut earum contextum & compoſitionem penitius introſpicere (3) præſtantiamque cognoſcere queamus. Quamvis beneficio divinarum literarum in propatulo ſit, eum ſtatum nunquam plenè & perfectè extitiſſe, quando Adæ Eva ut ſocia cum lege obſequii à Deô protinus addita fuit. Revera autem, ſed particulatim & temperatus, is utique extitit. Nam in naturali ſtatu priſci patresfamilias haut dubiè fuerunt, quos ſeorſim egiſſe, ac domuiſuæ quemque regio quodam modo præfuiſſe dixit Ariſtoteles I. *Pol. I.* in ejus rei fidem Homeri illud adducens: *Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠδ' ἀλόχων. Singuli autem ſua ex libidine regunt liberos & uxores.* conf. *Gen. XXXI, 32.* Capita enim familiarum ſic liberrimo jure inter ſe uſa videntur, perinde ut nunc conſtitutis civitatibus earundem rectores, ſi inter ſe conſiderentur. Adhæc ſi civitas, in anarchiam delabatur, revera fit diſſoluta turba, nemo ubi audit neminem, & res fere ad ſua redit principia. Quid? quod, ſi diverſarum civitatum homines in vacuas terras aut deſertam inſulam deferri contingat, manifeſtam habemus imaginem illius, quem confingimus, ſtatûs.

(1) Inter quæ non minimum, quod Ariſtoteles II. *Pol.* 8. obſervavit: *Priſcæ leges valde ſimplices fuiſſe, ac Barbarorum*

rum ritûs retuliſſe. Cuncta quoque, quæ reliqua ſunt ubique priſcorum inſtitutorum, inſulſa fuiſſe admodum.

(2) Hactenus probant etiam naturalem ſtatum D. Schilterus *c.* 3. *manuduct. philoſoph. moral. ad jurispr.* §. 15. *& ſeqq.* Zentgravius *de origin. verit. & obligat. jur. gent. art.* 3. §. 2. & pleriique alii.

(3) Hoc propoſito etiam veteres Philoſophos hypotheſin illam adornaſſe, bene obſervavit Bœclerus *l.* 1. *Inſtit. Polit. c.* 1. Eodem propoſito Perſæ lege latâ conſtituerunt, mortuo Rege per quinque dies ἀνομίαν fore, ut intelligeretur, quanti lex & Rex eſſet, teſte Stobæo *ſermon.* 42.

II. Eum ſtatum H. Grotius *lib. 2. de jur. Bell. & Pac. cap. 7.* §. *27.* conf. *lib. 2. cap. 20.* §. *8.* niſi fallor, primus *naturalem* appellavit, non malè; quandoquidem naturalia etiam à bonis auctoribus vocari ſolent, quæ citra factum humanum exiſtunt. Eadem nomenclaturâ uſus eſt Hobbeſius *c. l. de civ.* §. *10.* Quocum etiam *libertatis ſtatum* per me licebit nominare, vel *hoſtilem c. 2. de cive* §. *19.* ſi id, quod plerumque in hoc ſtatu accidere ſolet, ſpectetur. conf. D. Becman. *c. 4. Med. Pol.* §. *2.*

III. (1) Status hicce deſcribi poteſt, *conditio hominum inter ſe æqualium, neminisque alterius, præterquam Dei & divinarum legum, arbitrio ſubjectorum.* Quod verò addit Hobbeſius *d. c. l.* §. *10.* In quâ unicuique quidvis in quemlibet licet, & bellum omnium in omnes eſt, tolerari poſſet, ſi vocabulo *licet*, uti non infrequens eſt, ſignificaretur, quod apud homines pœnæ non ſubjacet. v. Grotium *l. 3. c. 4.* §. *2.* Enimverò cum naturæ jure id conſtitutum dicat, quippe cujus fundamentum primum ſit: ut quisque vitam & membra ſua, quantum poteſt, tueatur, neget autem hominem naturâ animal ſociale eſſe; nulla haud dubiè pernitioſior horribiliorque excogitari potuit ſententia.

(2) Adde, ſi libet, *Diſſert. noſtram de ſocialitate, primo juris naturæ principio ſect. I.*

IV. Finis hominum in conditione illâ poſitorum, non eſt congenerum aliorum, ſed ſua cujusque utilitas. Sive, ut Taciti verba huc accommodem, *privata cuique ſtimulatio, vile decus publicum.* Quod profectò verum eſſe cognoſcitur ex characteribus, quibus homines in civili etiam ſtatu jam dudum depinxerunt Sapientes.

V. De hominibus in univerſum Seneca I. de benef. 10. *Semper de nobis*, inquit, *pronunciare debemus, malos nos eſſe, malos fuiſſe; invitus adjiciam, & futuros eſſe. Vis amplius dicam? Homo eſt omnium animalium peſſimum ac deterrimum, quo nihil pejus ac atrocius.* Chorus apud Sophoclem Antigona:

Πολλὰ τὰ δεινὰ, κ'ὐδὲν ἀνθρώπε
δεινότερον πέλει.
Multa ſunt mala; ſed homine
Nihil atrocius eſt.

Cicero II. de officiis: *Nulla tam deteſtabilis peſtis eſt, quæ non homini ab homine naſcatur. Eſt Dicæarchi liber de interitu hominum, Peripatetici magni & copioſi; qui collectis cæteris cauſis eluvionis, peſtilentiæ, vaſtitatus, belluarum repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam genera hominum eſſe conſumta: deinde docet, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu, id eſt, bellis aut ſeditionibus, quàm omni reliquâ calamitate.* Plinius præf. hiſt. nat. *Nulli animantium vita fragilior, nulli omnium libido rerum major, nulli pavor confuſior, nulli rabies acrior.* Idem *l. 2.* Hiſt. Nat. *c. 7. Nihil eſt miſerius quitquam homine, nec ſuperbius.* Quæ ſententia iisdem prope verbis extat apud Jeremiam XVII, 9. Ulpianus ad Demoſth. orat. in Ceptinen. οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι ἀναγκαίως. Κακοὶ δὲ οἱ πολλοί. *Boni neceſſariò pauci; quia mali*

multi. Cui congruit illud etiam Ariſtoteli V. Pol. 1. memoratum: Ἀγαθοὶ ἀδαμοῦ ἑκατόν. *Nusquam centum probi.* Ariſtoteles I. Pol. 2. *Quemadmodum perfectum optimum omnium animalium homo eſt: ſic ſecretum à lege ac juſtitiâ peſſimum omnium.* Mox finit: *Quare ſceleratum ac ferum maximè eſt ſine virtute, & ad Venerem ventremque deterrimum.* Idem *l.* III. Pol. 7. *Quid profectò diſcrepant quidam mortales à belluis, ut ita loquar?* Epigramma incerti auctoris:

Ὦ θηρῶν βροτὲ μᾶλλον ἀνήμερε,
O ſuperans feritate feras homo!

Lycurgus, vetus Poeta:

Φεῦ, πῶς πονηρόν ἐστιν ἀνθρώπων φύσις
Τὸ σύνολον· ἐ γὰ ἄν πολ' ἐδεήθη νόμε.
Οἴει τι τῶν ἄλλων διαφέρειν θηρίων
Ἄνθρωπον; ἀδὲ μικρὸν, ἀλλὰ σχήματι.
Πλάγι ἐστὶ γ' ἄλλα, τοῦτο δ' ὀρθὸν θηρίον.
Heu quam mala atque depravata prorſus eſt
Natura noſtra! neque aliter lege opus erat
Putasne tu intereſſe inter hominem & feram?
Nec paullulum, niſi figurâ corporis.
Curvantur alia, inambulat recta hæc fera.

Cicero I. offic. *Sunt quidam homines non re, ſed nomine.* Res eſt plena dolis homo. Ariſtoph. apud Grot. p. 538. Seneca ep. 103. *Ab homine homini quotidianum periculum.* & aliquanto poſt. *Erras, ſi iſtorum tibi qui occurrunt, vultibus credis: hominum effigies habent, animas ferarum.* Polyb. *l.* 17. Hiſtor. *Cum videatur genus hominum verſutia & vafritie omnia animalia ſuperare, multa dici tamen poſſunt, cur deterrimum habeatur. Nam cetera animantes, quæ ſolis cupiditatibus corporis inſerviunt, per has duntaxat in fraudem labuntur. At humanum genus hoc amplius, aſcitis imbutum opinionibus, non*

pauciora

pauciora per inconsiderantiam & pravam ratiocinationem peccat, quam per naturam. l. 1. dixerat μηδὲν ἀσεβέστερον ἀνθρώπου μηδὲ ὠμότερον ἀνθρώπου φανῆναι τῶν ζώων. *Nullum animal inveniri, quod impietate atque crudelitate homo non superet.* Addit: *quosdam tantum exuere hominem & in feras degenerare.* conf. insignem locum Plutarchi de audendo. Plato l. VI. de LL. Homo, ζῶον μὴ ἱκανῶς ἢ μὴ καλῶς τεθραμμένον, ἀγριώτατον γίγνεται, πᾶσαν φύσιν γῆς *Animal, non satis aut non bene educatum, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, gignitur.* v. de populis, qui hominis carnibus vescuntur. Aristot. IIX. Pol. 4. p. 515. Judicia tantorum virorum roborare exemplis non est opus. Adeat tamen, cui libet, Joh. Jov. Pontani *librum de immanitate.* Sed cur ex profanis ista adfero, cùm testimonio omni majus sit divinum oraculum Genes. VI, 5. IIX, 21. *Mens & cogitata hominis prava sunt à puero.*

VI. Inprimis autem inimica societati vitia sunt, nimius amor sui, unde ambitio & avaritia, præcipuæ injuriarum causæ, Aristoteli II. Pol. 7. sive prima elementa (στοιχεῖα) malorum omnium & calamitatum, ut Tymon observavit apud Stobæum. conf. Salomon *proverb. XIII, 10. XXIIX, 25.* Jacob. *epistol. c. IV, 1. sequ.* Idem autem Aristoteles III. Pol. 6. ait: κεδὸν δ' οἱ πλεῖστοι φαῦλοι κριταὶ περὶ τῶν οἰκείων. *Fere plerique de rebus suis mali sunt judices,* & I. Rhet. 11. *Omnes sui amantes sunt.* Causam ibi tradit: *Quoniam quicquid simile & ejusdem generis est, idem jucundum est: & ita quisquis maximè affectus est ad semetipsum, necesse est omnes aut magis aut minus sui amantes esse. Omnia enim hæc maximè cuique insunt erga semetipsum.* Pædagogus apud Euripidem in Medeâ,

Τίς δ' οἶχ' θνητῶν ἄρτι γινώσκει τόδε,
Ὡς πᾶς τις αὐτὸν ἢ πέλας μᾶλλον Φιλεῖ;
Οἱ μὲν δικαίως, οἱ δὲ καὶ κέρδος χάειν.
Quis verò mortalium jam non novit hoc,
Quod quisq; se ipsum magis quàm proximum amet?
Alii quidem justè, alii verò etiam quæstus gratia.

Cicero 3. de oratore. *Minimè sibi quisque notus est, & difficillimè de se quisque sentit.* & in epist. ad Attic. *Nemo unquam nec Orator nec Poeta fuit, qui se quemque meliorem putaret. Quia*, ut idem docet I. de offic. *magis ea percipimus atque sentimus, quæ nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa quæ cæteris. aliter de illis ac de nobis judicamus.* Seneca II. de ira 31. *Regis quisque in se animum habet, ut licentiam sibi dari velit in alterum, in se nolit.* Laberius. *Homo semper in se aliud fert, in alterum aliud cogitat. Neque enim cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur*, auctore Sallustio *in Catil.* H. Grotius l. 16. Histor. Belgic. *Sua cuique blandiuntur commenta, & semel laxatæ spes in immensum procurrunt.* Porro, ut Aristoteles docet II. Pol. 5. *improbitas hominum est inexplebilis. Et extremum non habet natura cupiditatis ad expletionem, cujus multi homines vivunt.* II. Rhet. 5. *Magnam partem homines injuriam, cum possunt, faciunt. Plerique homines improbi sunt, & vinci se à lucro sinunt.* Tacitus in Agricolâ. *Facilius crediderim naturam margaritis deesse, quam mortalibus avaritiam.* Idem II. Hist. 38. *Vetus ac pridem insita mortalibus potentiæ cupido.* IV. Hist. 6. *Etiam sapientibus cupido gloriæ omnium novissima exuitur.* Agrippa apud Dionem l. 52. histor. *Omnes homines principatus cupidine tenentur. Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior.* XV. Annal. 53. Sallustius in Jugurth. bello: *Natura humana est imperii avida.* Alexander apud Josephum

phum XVI. origin. 8. *Spes & cupido dominandi magnos quoque animos ultra naturam propellit.* Polynices apud Senecam in Thebaide;

Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem, flammis dare,
Imperia preciô quolibet conſtant bene.

Cicero I. de officiis: *Maximè adducuntur plerique, ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, honorum & gloriæ cupiditatem incidêre.* Ariſtot. I. Rhet. 11. *Superiores eſſe homines appetunt. Neque*, ut Xenophon *l.* 7. Cyropæd. auctor eſt, *in ullos magis inſurgunt, quam in eos, quos in ſe imperium affectare ſentiunt. Certe omnes profectò liberi libentius ſumus, quam ſervimus.* ut Plautus ait in Captivis. Audiatur denique Polynices apud Euripidem Phœniſſis;

Πάλαι μὲν ἦν ὑμνηθὲν, ἀλλ' ὅμως ἐρῶ.
Τὰ χρήματ' ἀνθρώποῖσι τιμιώτατα,
Δύναμιν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.
Jam olim quidem celebratum eſt, ſed tamen dicam:
Opes ſunt hominibus honoratiſſimæ,
Et habent maximam potentiam inter homines.

Ariſtophanes *Pluto*;

Τέχναι δὲ πᾶσαι διά σε κὴ σοφίσματα
Ἐν τοῖσιν ἀνθρώποισιν ἐσθ' εὑρημένα
Tua, Plute, gratia fraudes artesque
v. Pufend. 7. c. 1. §. 10.
Turpes mortalium recipit genus.

Plutarchus *Pyrrho*: ἔτως ἄμικτός ἐστι κὴ θηριώδης ἡ τῆς πλεονεξίας ὁρμή. *Tum violenta & effera vis eſt avaritiæ.* Jacob Bonfadius l. 1. Annal. Genuenſ. à pr. *Cum unusquisque naturam quandam habuit ſuam, cumque minimè ſimplicem, tanta exiſtit in ſingulis voluntatum ac ſententiarum diſſimilitudo, & tum varii animorum motus, ut in vitâ verſari ſine aliquâ*

vel occultâ vel interdum etiam nimis apertâ atque acerbâ dissensione vix possimus.

VII. Accedit hisce vitiis * diversitas voluntatum & sententiarum. Philemon apud Stobæum:

Ἐὰν τελσμυείας
Αλώπεκάς τις συναγάγοι, μίαν φύσιν
Ἁπαξάπασιν ὄψεται τρόπον δ' ἕνα.
Ημῶν δ' ὅσα ἢ τὰ σώματ' ἐσὶ τὸν ἀριθμὸν
Καθενὸς, τοσάυτας ἐσὶ ἢ τρόπους ἰδεῖν.

Tricena vulpium
Si forte millia in unum contraxeris locum,
Erit per omnes unus ingenii tenor.
At inter homines quot sunt numero corpora,
Totidem videre est studia & vivendi modos.

Seneca ep. 102. *Putas tu posse sententiam unam omnium esse? non est unius una.* Horatius I. ep. 14. *Iidem horam eadem possunt durare probantes?* & alibi. *Denique non omnes eadem mirantur amantque.* Terentius *in Phormione. Ita est: quot homines, tot sententiæ, suus cuique mos.* Tragicus incertus apud Sextum Empiricum *Pyrrhon. l. I. c. 14.* Δεινόν γε ἑαυτὸν τοῖς μὲν ἀνδάνειν βροτῶν, τοῖς δ' ἔχθος εἶναι. *Miserum, quod eadem sæpe res hominum his placet, Illis in odio est.*

* Platoni epistol. ad Dionys. homo est ζῶον φύσει ἐυμετάβολον, *animal natura inconstans.*

IIX. Ire nunc possemus per diversa hominum genera, ut, qui cuique habitus sive mores sint, consideraremus. Verum operam hanc lucrifecit nobis Aristoteles, * qui *libro II. Rhetoricorum* egit de moribus juvenum. *c. 12.* virorum. *c. 13.* senum. *c. 14.* Nobilium. *c. 15.* divitum. *c. 16.* potentium sive fortunatorum. *c. 17.* Neque verò aliena hæc esse à politica doctrinâ, quin potius, quod multarum rerum principia continent, eidem commodare plurimum,

rimum, atque ab initio collocanda esse, rectè docuit Conringius *c. 11. de prud. civ. p. 220. & c. 14. p. 344.*

* Bœcler. *Diss de Politicâ Lipsiana c* 4. laudat ut exquisitissimam de habitu, studiis, affectu, varietate animorum & ingeniorum, tractationem, quæ plurimum ad reconditiorem prudentiam civilem, cujus magna pars in notitia animorum continetur, momenti adferre possit. Pleraque ex Aristotele deprompsit Scipio Claramontius *de conjectandis cujusque moribus & latitantibus animi affectibus libr. II. & III.*

IX. Cæterum status iste non est sine norma sive legibus. Nam præsidet ei cujusque conscientia, magistro utens (1) jure naturali. Hujus autem (2) tria sunt generalia principia, fontes officiorum erga Deum hominesque. Et quidem *primum* est; Deum amare, venerari, eique obtemperare. *Alterum*; seipsum tueri ac conservare. Et hoc insigniter temperans *tertium*; esse socialem, sive ut Lactantii *l. 6. divin. instit. c. 18.* verbis, ex Cicerone sumtis, efferam: prodesse quibus possis, nocere nemini. (3) Quæ Servator noster solidâ admirabilique brevitate ita elocutus est, *Matth. IX, 18. XXII, 37. 39. Luc. X, 27. ad Galat. V, 14.* Ut Deum amemus supra omnia, proximum verò juxta nos ipsos, id est, ut alteri faciamus, quæ nobis velimus fieri. Deinde peculiaria quædam ex naturâ hujus status, æqualitate sc. & libertate, præcepta oriuntur. Ex quibus præcipua sunt: Consulendum æqualitati, hoc est, pares tractandos esse ut pares; & licere quod non est vetitum. Mens quippe nostra Deus est. Menand. apud Grot. *p. 754.*

(1) Quod à Tertulliano, libro de corona militis, vocatur *lex communis, in publico mundi & naturalibus tabulis scripta*, à Thucydide lib. 4. histor. Polybio lib. 2. histor. κοιναὶ τῶν ἀνθρώπων δίκαια, *communia hominum jura*. Philoni *de boni hominis libertate* est: Νόμος δὲ ἀσπευδὴς, ὁ ὀρθὸς λόγος, οὐκ ὑπὸ δεινοῦ ἢ δειλοῦ θνητῶν φθαρτὸς, οὐ χαρτιδίοις ἢ σήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως

ἄφθαρτ☞ ἐν ἀβροτῳ διανοίᾳ τυπωθεὶς. *Lex mentiri neſcia, vera oratio, non à quoquam, nec ab ullo mortali corruptionem metuens, in chartulis aut cippis inanimatu ipſa pariter inanimata, ſed immortalis ab immortali natura in mente ſeu anima humana immortali exarata.* A. de mundo, ſub nomine Ariſtotelis, c. 6. Νόμ☞ κρείττων ἢ βιβλίοις☞ τοῖς ἐν κύρβεσιν ἀναγεγραμμένων. *Lex melior & ſtabilior illis, quæ in tabulis ſunt ſcripta.*

(2) Plato apud Laertium de vitis Philoſoph. l. 3. *Juſtitiæ partes tres ſunt, quarum una ad Deos, altera ad homines, tertia ad mortuos pertinet.*

(3) Auguſtinus ep ſtola 3. *Quæ diſputationes, quæ litteræ quorumlibet Philoſophorum, quæ leges quarumlibet civitatum, ductus præceptis, ex quibus Chriſtus dicit totam legem Prophetasque pendere, ullo modo ſunt comparandæ: Diliges Dominum &c.* Add. quæ diſſerui *de ſocialitate, primo juris naturæ principio ſect. 2. & 3.*

X. Nihilominus ita rari illis naturæ legibus ſponte parent, ut maxima ubique hominum pars fraudem iis, ſi poſſint, faciant. Vetus adagium:

Nemo non hæc vera ducit: nemo non contra facit.

Eteocles apud Euripidem in Phœniſſis:

Εἰ πᾶσι ταὐτὸ καλὸν ἔφυ, σοφὸν θ' ἅμα
Οὐκ ἦν ἂν ἀμφίλεκτ☞ ἀνθρώποις ἔρις.
Νῦν δ' ἐθ' ὅμοιον οὐδὲν, ἔστ' ἴσον βροτοῖς,
Πλὴν ὀνόματος. τὸ δ' ἔργον οὐκ ἔστιν τόδε.

Si jus bonumque ducerent omnes idem,
Diſſidia generi nulla mortali forent:
Nunc æquitas nihil ipſa, nil concordia,
Niſi vox inanis: facta diſcedunt procul.

Nec vero retinet eos divinæ ultionis metus. Quoniam Deus non punit homines ἐπ' ἀυλοφόρῳ, ſed, ut tempus reſipiſcendi indulgeat, pœnam plerumque in alteram usque vitam differt, ubi tarditas gravitate compenſatur. *Homines autem ea, quæ longe abſunt, non timent.* ut philoſophatur Ariſtoteles II. Rhetor. 5. & exempli gratiâ addit: *Sciunt enim omnes*

ſibi

ſibi eſſe moriendum. Sed quia prope id eſſe non putant, non laborant. conf. *I. Rhet. 7.* ubi inter incitamenta delinquendi refert dilationem pœnæ. Stimulat præterea ad multa mala, in tam improbis avaris & ambitioſis plerorumque animis, ipſa æqualitas impunitatisque inter homines fiducia. Ad ea non verbis quidem ſed rebus ipſis Nini temporibus itum eſt in eam ſententiam, quam apud Platonem tuetur Thraſymachus: Δίκαιον εἶναι τῷ κρείττονι συμφέρον. *Juſtum eſſe quod potentiori expedit.* Atque ut dixit Varro;

Qui pote plus urget: peries ut ſæpe minator
Magnus comeſt, ut aves enecat accipiter.

Ex æqualitate aſſiduum eſt diſcordiæ malum, ut ait Juſtinus l. 16. hiſtor. c. 3. conf. l. 13. c. 2. Grotius ad Matth. XX, 25. *Et licentia parit audaciam, quæ ad omne flagitium & ſcelus evadit.* Ut loquitur Lactantius *VI. D. J. c. 19.* In eandem ſententiam Publius Mimus: *Cui plus licet, quam par eſt, plus vult quam licet.* Cicero de Oratore. *Ubi libido dominatur, innocentia leve eſt præſidium.* & II. de finib. *Quæ libido ſe non proripiet ac projiciet, aut occultatione propoſitâ, aut impunitate aut licentiâ? Succeſſus improborum plures allicit.* ait Phædrus. Plinius 3. ep. 20. *Quotocuique eadem honeſtatis cura ſecretò, quæ palam? multi famam, conſcientiam pauci verentur.* Accedit invidia & metus. *Invident enim ii, quorum aliqui ſimiles aut ſunt, aut videntur. Et quoniam cum eorundem ſtudiorum æmulis & cum rivalibus omninoque cum iis, qui eadem quæ ipſi concupiſcunt, de honore concertant, eis maximè invideant neceſſe eſt. Unde dictum eſt: Et figulus figulo.* Ut differt Ariſtoteles II. Rhet. 10. *conf. c. 4. circa medium.* Metus verò ex injuſtitiâ aliorum, præſertim ſi potentes ſunt, oritur. Ut idem pluribus demonſtrat *d. l. II.*

Rhet. *c. 5.* Maximè cum multi affectus & destinationes ſuas tegant. Cicero I. ep. I. ad fratrem: *Multis ſimulationum involucris tegitur & quaſi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus, perſæpe mentiuntur, oratio verò ſapiſſimè.*

Δίκη γὰρ οὐκ ἔνεσ' ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν,

Juſtitia enim non ineſt in oculis hominum.

Ut Medea, ait apud Euripidem in illius nominis tragœdiâ. Hinc injuriæ proficiſcuntur, *cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo.* auctore Cicerone I. de officiis. Plurimas injurias à metu proficiſci, pluribus ſapientum dictis oſtendit H. Grotius *2. de jur. B. & P. c. 1. §. 5.* Porro illa ipſa humanarum mentium varietas & diverſitas opinationum non minima eſt malorum cauſa. Bene Hobbeſius de civ. *c. 1. §. 5. Non modo*, inquit, *contra contendere, ſed etiam hoc ipſum non conſentire odioſum eſt. Nam non conſentire alicui in re aliquâ, eſt eum erroris in eâ re tacitè accuſare; (2) ſicut in valdè multis diſſentire, idem eſt atque pro ſtultô eum habere; quod ex eo apparere poteſt, quod nulla acrius gerantur bella (3) quam inter ejusdem religionis ſectas, & ejusdem reip. factiones, ubi certamen eſt vel de doctrinis, vel de prudentiâ politica.* Neque vero tam bene agitur cum humanis rebus, ut ſemper meliora pluribus aut validioribus placuerint. Sed ut in grege taurus, ita inter homines, qui viribus eſt editior, imbecilliores cædit & iidem ſæpe quæ pati ſe querebantur mox in alios audent. Grot. *in Matth. XIII, 41.* Ergo bella ſæpenumero oriri neceſſe eſt, & quidem atrociſſima. *Neque enim unquam inter ſe leones aut inter ſe dracones, qualia homines, bella inter ſe geſſerunt.* Scribit Auguſtinus *l. 12.* de civitat. Dei *cap. 22.* Seneca *Hippolito*, ubi paulò ante ætatem auream deſcripſerat.

Rupere

Rupère fœdus impius lucri furor,
Et ira præceps: quæque ſuccenſas agit
Libido mentes. Venit imperii ſitis
Cruenta: factus præda majori minor,
Pro jure vires eſſe.
Invenit artes bellicas Mavors nocens,
Et mille formas mortis. Hinc terras cruor
Infecit omnes fuſcus & rubuit mare.
Tum ſcelera demto fine per cunctas domos
Iêre: nullum caruit exemplo nefas.

Apud Silium l. 2. de bello Italico Fides loquitur:

Vis colitur, jurisque locum ſibi vindicat enſis,
Et probris ceſſit virtus: en aſpice pentes!
Nemo inſons: pacem ſervant commercia culpæ.

Et veriſſimum eſt, quod de populis in diverſas civitates ſegregatis pronunciavit Vellejus Paterculus *l. 1.* Hiſt. *c. 12. Eos inter vel bellum eſſe, vel belli præparationem, vel infidam pacem* Jam dudum dixerat Plato I. de LL. *Quam plerique pacem nominant, id eſſe nomen ſolum exiſtimandum: reapſe verò omnibus civitatibus adverſus omnes bellum, nec indictum natura eſſe.* Idem clariſſimè conſpicitur, ubi civitas in anarchiam eſt diſſoluta.

(1) Phædrus:

Non ſemper ea ſunt quæ videntur: decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.

(2) Hæc cauſa eſt iræ plerorumque infeliciter ludentium, etiam magnorum Principum. v. omnino de Mauritio, Principe Auriaco, Ludovicus Auberius *memoires pour ſervir a l'hiſtoire de Hollande in ejus vita p.* 202. de Hentico M. Rege Gall. L'Eſpion du grand Seigneut *ep.* 50. *p.* 309.

(3) H. Grotius *l.* 7. *hiſtor. Belgic. ab initio* obſervavit: *multis experimentis compertum, vicinas religiones acrius diſſidere.* v. & H. Grotium *l.* 3. *Annal. p.* 57. Calixt. *in appar. p.* 87. Cauſas indagavit Joachim. Paſtor. *hiſtor. Polon. plenior. libr.* 6 *in fine.*

XI. Mi-

XI. Migrant igitur homines ex naturali ſtatu in ſocietates. Societas eſt multitudo hominum, certâ ratione inter ſe ordinatorum, ad commune aliquod bonum aſſequendum. Cum verò Ariſtoteles IIX. Eth. 11. rectè doceat: *in omni ſocietate jus aliquod reperiri, & amicitiam* & IV. Pol. 11. *ſocietatem ad amicitiam pertinere.* Idemque *d. l. IIX. c. 8.* amicitiam aliam dicat eſſe ἐν ἰσότητι, aliam κατ' ὑπεροχήν, & ſimili ratione H. Grotius *l. I. de jur. B. & P. c. 1. §. 3.* jus partiatur in rectorium & æquatorium. Licebit etiam *ſocietatem* diſtinguere in *æquatoriam*, in quâ ſinguli ſocii eandem dignitatem ac poteſtatem habent: & *rectoriam*, ubi unus alteri ſubjicitur. Hujus autem præcipuæ ſunt ſpecies *domus* (ſub qua ſocietas conjugalis, paterna & herilis continentur) atque *civitas.* Licet enim domus figuram civitatis habeat, paterfamilias ſit inſtar Principis, & *domo ſuâ tanquam civitate utatur.* Ut loquitur Philoſophus III. *Pol. 6.* conf. D. Becmann. *c. 11. Medit. polit. §. 3.* qui eò progreditur, ut in Adami & Evæ conſortio remp. fuiſſe arbitretur. Tamen revera domum à civitate differre, vel ſola originis in utrisque diverſitas oſtendit. Niſi forſan familia tantæ ſit potentiæ, vel per numerum ſuum, vel per alias opportunitates, ut bello ſubjici nequeat. Quemadmodum rectè docet Hobbeſius *Leviath. c. 20.* Cujus rei manifeſtum habemus exemplum in Abrahamo, qui regnaſſe dicitur à Nicolao Damaſceno *in excerptis Peireſianis à Valeſ. editis*, Rex vocatur à Juſtino, unctus DEI *Pſalm. CV, 15.* Nam & fœdera pangebat, bellum inferebat & propulſabat, trecentos octodecim armatos domo ſuâ educens; denique & divinum cultum ordinabat. *v. Gen. XIV. 13. ſequ. XVII, 23. XXI, 22. ſequ.* Cæterum πασῶν κυριωτάτη καὶ πάσας περιέχουσα ταῖς ἄλλαις ἡ κατὰ πολιτικὴ. Ut Ariſtoteles loquitur.

tur. I. *Pol. 1.* ſive ut Cicero vertit I. *Offic. Societatum omnium princeps eſt ſocietas civilis.* Quod in dubium quidem vocat Felden. *in comm. ad d. l. Ariſtot.* (1) ſed veriſſimum eſt, ſi ad naturalem ſtatum, cujus ὑπόθεσιν jam dedimus, reſpiciatur: nam in eo miſera eſt vita, *& niſi poteſtas publica foret, alter alterum vivum deglutiret.* Ut eſt in Hebræorum proverbio. Cui conſonat alterum apud Joannem Druſium in adag. Ebraic. Dec. 6. adag. 1. *Aut ſocietas, aut mors*; & quæ diſſerit Colotes apud Plutarchum, rectè contra hunc defenſus à Petro Gaſſendo *l. II. Ethic. p. 755.* Theodoretus *Orat. 7. de prudentia.* conf. Grot. *l. 1. J. B. & P. 4. §. 4. in not.* Contra civitas (2) bonos tuetur, (3) malos ipſorum bono edomat, & utrosque miſcet. Quod Eſaias ſignificavit, quando *c. XI, 6.* dixit: *Habitabit lupus cum agno.* Et *c. LXV, 25. Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent ſimul paleas.* Nec abludit illud Papinii Statii:

—— Socioque timore
Manſueſcunt; ſimul hirtus aper, ſimul urſa lupusque
Cogitur.——— Proinde bene dictum eſt ab eodem Ariſtotele I. *Pol. 2. Qui primus conſtituit civitatem, maximorum bonorum auctorem extitiſſe.* Pertinent huc laudes Auguſti apud Horatium l. IV. Carmin.

Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almaque fauſtitas.
Pacatum volitant per mare navitæ.
Culpari metuit fides.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæſare! quis feræ
Bellum curet Iberiæ!
Condit quisque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit lætus. &c.

Cl. De-

Cl. Demoſth. (a) καὶ Ἀεισυγείτονος. Si leges removerentur & cuilibet permiſſa eſſet facultas faciendi quod libet, non deperirent ſolum nobis imperia, ſed nec quicquam etiam à beſtiis diſtaremus. Jacob Bonfadius *in annal. Genuenſ. libr. 1. ab init.* Magna quædam res eſt magnæque facultatum felicitates continet civilis hominum ſocietas atque conjunctio; ex qua cum omnis humanitas omnes optimæ artes ortum habuerint, tum ipſa amplius juſtitia reliqnarum omnium regina virtutum orbi terrarum illuxit, ut planè confitendum ſit, nullum eſſe mortalium generi conſtitutum bonum, quod officio cultuque civili aut optabilius eſſe poſſit aut præſtantius.

(1) Poteſt aliô quoque aſpectu id verum eſſe; quoniam nulla eſt actio hominis externa, quæ non ad hanc ſocietatem aut per ſe ſpectet, aut ex circumſtantiis ſpectare poſſit. ut ait H. Grotius *l. de J. B. & P. c. 5. §. 23.* Omnes alias ſocietates ſocietati civili ſubjectas videri, eſt apud Ariſtotelem *lib. X. Eth. 11.*

(2) Æſchylus apud Grotium *in excerptis:*

Ὅπου γὰρ ἰσχὺς συζυγῆσι τῇ δίκῃ,
Πόσῃ ξυναρμὸς τῆς δὶ καρτερωτέρα;

Juſtitia quoties copulata eſt roberi,
Hac eſſe bigâ quid queat valentius?

v. Pufendorf. *l. 1. c. 6. §. 12. p. 104.*

(3) Nam ut rectè Auguſtinus epiſt. 5. *Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil eſt infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hoſtis interior, roboratur.* conf. *l. 19. de civitat. Dei 6, 21.*

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

DE NOMINE & DEFINITIONE CIVITATIS.

I. ORdo dicendorum.
II. CIVITATIS HOMONYMIA.
III. SYNONYMIA, respublica, quæ vox etiam ancipitis est significationis, item populus.
IV. DEFINITIO.
V. DIVISIO summa, in civitates *primi & secundi ordinis*, sive *regulares & irregulares*.
VI. Dari civitates dubio caret. Eas gentium usus probavit, & instituta atque gubernata à Deo ipsomet resp. Hebræorum.

§. I.

CIvitatem, in cujus contemplatione tota sequens tractatio versatur, dupliciter considerare possumus. Et quidem uno modo naturaliter, ut ita loquar, in definitione, speciebus ejus, & partibus, secundum genera causarum. Alterô, quatenus malis, corruptionibus, morbis est obnoxia, ac adversus eadem prudenti ratione præmuniri, aut læsa restitui in integrum potest. Exigit autem methodus *in pædia* §. *17.* præscripta, ut prior consideratio præmittatur, quoniam absque hac altera multùm ac sæpe impediretur.

II. Vocabulum civitatis non unius est significationis. *Prima* est latissima, quando Stoici id extendebant ad societatem humani generis, quam Arrianus *l. 1. Dissert 9. l. 2. D. 10. l. 3. D. 22. & 24.* μεγάλην πόλιν, *magnam mundi civitatem*, ejus cives πολίτας τῦ κόσμυ *totius mundi cives*, Seneca *magnam mundi rempublicam* dicebat. Cicero I. Academicar. c. 5. *Hominem esse censebant quasi partem quandam universi generis humani, eumque esse conjunctum cum hominibus communi quadam societate.* Ut eum locum rectè emendavit Joannes Fredericus Gronovius,

vius. Adde Antoninum Imperator. *lib. 2. de Reb. suis* §. 16. *lib. 3.* §. 12. *lib. 6.* §. 44. *lib.* 12. §. 36. Tantum autem abest, hanc propriam civitatis esse notionem, ut potius societatem illam cum naturali statu stare posse supra ostensum sit. *Altera* est strictissima, ut urbis incolas notat. Cicero Orat. pro Sextio: *Tum conventicula hominum, quæ postea civitates nuncupatæ sunt: tum domicilia, quas urbes dicimus. & l. IV.* Academ. *Roma Urbs est, & eam civitas incolit.* Nonius Marcellus *inter urbem*, inquit, *& civitatem hoc interest. Urbs est ædificia. Civitas incolæ.* Servius ad illud II. Æneidos. *Invadunt, Urbem. Urbs muros significat. Civitas verò ejus habitatores.* Julius Cæsar *2. de Bell. Gall. circa extr.* Atuaticis respondit: *se civitatem eorum conservaturum: si prius, quam aries murum attigisset, se dedidissent.* Ex quô locô intelligimus, civitates etiam dictas, quæ sub alicujus potestate fuerunt. Quemadmodum postea Romani juris Auctores usurparunt. V. *l. 27. D. de Reb. cred. l. 6.* §. *2. D. de excusat. tutor.* & passim. Eoque pertinet, quod est in *l.* 16. *de Verb. Signific. Civitates* (h. e. municipia) *privatorum loco haberi.* conf. Aristot. III. *Pol. 3.* ubi Babylonem gentis potius quam civitatis circumscriptione contineri dicit. *Tertia*, cum dicitur & pro loco & pro oppido. Ut auctor est Verrius Flaccus apud Gellium *lib.* 18. *Noct. Attic. c. 7.* μελωνυμικῶς sc. continente pro contento posito. Quo referri potest, quod est apud Modestinum *l. 21. D. quib. mod. usus fr. amitt. Carthaginem aratrum passam civitatem esse desiisse.* Ut propterea eum sine causâ reprehendat Bodinus I. *de rep. 6.* Quanquam dici quoque posset, nec in priore illo significatu Carthaginem amplius mansisse civitatem, quia cives ejus distracti, & servi pronunciati, testibus historicis Romanis.

Quarta

Quarta denique propria, ubi pro integro civilis ſocietatis corpore, quod ſuperiorem agnoſcit neminem, ponitur, ſive id in urbe unâ habitet; ſive plura oppida, urbes, provincias, amplius dicam, gentes integras complectatur. Quâ notione iterum bifariam accipi docent quidam, vel materialiter tantum, ut loqui ſolemus, vel ſimul formaliter, ut ſummam imperii, ſive regendi & parendi ordinem, in ſe contineat; ſicut animal ſignificat integram ſubſtantiam animatam. Verùm prior illa notio veteribus, ut puto, ignorata commentum eſt Ariſtotelis Interpretum. Licet enim Ariſtoteles I. *Pol. 2.* civitatem definiat: *Societatem ex pluribus vicis perfectam, omniumque rerum copiâ affluentem, ortam quidem vivendi causâ, permanentem bene vivendi causa.* Tamen regendi atque parendi ordinem excludere eum voluiſſe, probabile non eſt; quandoquidem ſocietatem perfectam & rectoriam definit. *Jam autem quæ ex pluribus conſtant, & fiunt unum commune, ſive conjunctis, ſive ex diſtinctis: in junctis conſpicitur, quod imperat, & quod paret.* ut idem differit I. *Pol. 3.* Quod verò Arniſæus I. *Pol. 6. & in prolegom. relect. polit. n. 6.* aliique, juris & imperii mentionem in finiendâ civitate prorſus ferre nolunt, * id rectè quidem rejicit D. Huberus *l. I. jur. publ. univerſ. c. 8. §. 14.* Verùm quando ipſe rempublicam à civitate, velut animam à corpore, concedit differre, neſcio annon in eundem errorem recidat. Eſt enim civitas ſimilis homini; ecquis verò animam ab homine, velut à corpore, diſcerni diceret? Rectius remp. à civitate tanquam partem à toto diſtingui pronunciaſſet. Appoſitè Auguſtinus l. 13. de civit. Dei c. 24. *Homo non eſt corpus ſolum, vel anima ſola, ſed qui conſtat ex animo & corpore. Hoc quidem verum eſt, quod non totus homo, ſed pars melior, anima hominis*

eſt: nec ſolus homo corpus, ſed inferior hominis pars eſt. Sed cum utrumque eſt conjunctum, ſimul habet hominis nomen, quod tamen ſinguli non amittunt, etiam cum de ſingulis loquimur. v. ipſum Huberum *l. 2. juris publici univerſalis c. 1. §. 1.* Certè non tantum Græci, ſed & veteres bene Latini, voce πόλεως aut civitatis totam compagem, ſive univerſam hominum multitudinem, ſub communi imperio ſociatam, deſignant. Cicero 1. de rep. apud Nonium. *Omnis populus, qui eſt talis, qualem expoſui, civitas eſt: omnisque civitas eſt conſtitutio populi.* in ſomnio Scipionis: *Cœtus hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur.* Idem l. 3. officiorum, *legibus in ſingulis civitatibus rempublicam contineri* dicit: Cæſar l. I. de Bell. Gallic. *Omnis civitas Helvetiorum in quatuor pagos diviſa eſt.* l. VII. de B. G. de Biturigum Civitate: *Unâ die amplius XX. Urbes Biturigum incenduntur. Hoc idem fit in reliquis Civitatibus.* Ab eodem Ædui, Carnutes, Arverni, Nervii, Aquitani, ut civitates, quæ diffuſarum nationum nomina ſunt, memorantur. Planè ut à Tacito Civitas Æduorum II. *Ann. 61.* v. Valeſ. *Notit. Gallicar. p. 564.* Hermundurorum & Cimbrorum *de morib. Germ. c. 37. & 41.* Brigantum *Agricol. c. 13.* Juſtinianus §. 1. & §. 2. & §. 11. de jur. nat. gent. & civ. *Jus civile ex unaquaque civitate appellatur.* Auguſtinus epiſtolâ 5. *Res ergo communis res utique civitatis. Quis eſt autem civitas, niſi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ? Apud eos enim ita legitur: brevi multitudo diverſa atque vaga concordiâ civitas facta erat.* add. Bœcler. *ad l. 1. H. Grot. c. 3. p. 228. ſeq.* Hæc ſignificatio eſt hujus loci.

* Ipſe Arniſæus 1. *Relect. Politic. c. 5. ſect. 5. n. 3.* civitatem conſiderari poſſe dupliciter, in ſe, & ſub formâ, aſſerit; & quidem quatenus in ſe ſpectatur, deſignari per potentiam ſeu aptitudinem & reſpectum ad formam ſeu perfectionem, quam

quam à republicâ expectet: quatenus sub formâ, jam aptitudinem abiisse in actum & consummatam esse per formam

III. Atque hoc pleno significandi genere civitas etiam *respublica* (quæ *prima* vocis hujus est notio) vocari consuevit, non tantum olim, sed & hodie ut plurimum. Eâque notione usi videntur, qui rempublicam per cœtum vel corpus definiverunt, præter meritum eam ob causam notati ab Arnisæo *2. select. polit. c. 1. sect. 1.* & aliis. Apud Græcos etiam πολιτεία idem significavit interdum. V. Plutarchum *de trib. rerump. formis.* Quanquam (quæ *secunda* est significatio) frequentius utraque vox τάξιν τῆς πόλεως, hoc est, ordinem parendi atque imperandi denotaverit. Sicut autem frequens est vocabulorum translatio à specie ad speciem, à specie ad genus, rursus à genere ad speciem, docente Aristotele *de art. poet. cap. 21.* ita idem quoque heic usu venit: Quandoquidem (quæ *tertia* est notio) non tantum πολιτείας sed & reip. vox populari civitatis imperio κατ' ἐξοχήν attribui consuevit. Sic Cicero I. *de orator. Rempublicam, quam vix tenemus, jam diu haberemus nullam.* Idem v. de Rep. apud Ciceron. remp. verbo retinemus: reapse verò jam pridem amisimus. Apud Tacitum est *1. Ann. 3. Quotusquisque reliquus, qui rempublicam vidisset?* Julius Cæsar apud Suetonium *c. 77.* dixit: *remp. jam umbram tantum reip. habere.* Perinde ut hodie Italicum vulgus omnem, qui à pluribus (sive hi pauci sive omnes sint) regitur, civitatis statum remp. appellat. Illa autem impropria, (eaque *quarta*) & tantum Romani juris auctoribus usitata est significatio, quando reipublicæ nomen ad civitates singulas, quæ sunt in Orbe Romano, aut certè ad earum regimen referebant. Hinc curatores reipublicæ, qui alibi curatores civitatis nuncupantur, v. *l. 3. §. 1. & pen. de administr. rer. ad*

civit. pert. l. 38. §. 1. de reb. auctor. judic. possid. l. ult. eod. & similes. Adde *l. 8. D. qui potior in pignor. l. sed etsi 13. §. 1. de publican. l. 140. l. 211. de R. J.* ubi Jacob. Gothofr. *tot. tit. C. de jure reip. l. 1. & 2. C. de deb. civit. l. 4. C. ex quibus caus. major.* Quanquam in *l. 26. §. 9. ex quib. caus. major.* civitas & resp. opponantur; quia respublica eminentiori significatu de Romanâ, civitas de municipio ibi dicitur. Porro impropria (eaque *quinta*) est significatio, quando vox *reip.* publicam tranquillitatem notat, ut in §. *3. J. de publicis judiciis*, nisi forte Justinianus Imperator hypothesin legis Juliæ, sub Augusto latæ, (quo tempore in publicis actibus locutiones antiquæ, acsi respublica adhuc staret, adhibebantur) secutus fuit. Denique maximè impropria (1) (eaque *sexta*) est notio in illo Plinii 8. epistol. 16. *Servis respublica quadam & quasi civitas domus.* & l. 35. histor. natur. c. 2. *Asinius Pollio, primus Romæ bibliothecam dicando, ingenia hominum rempublicam fecit.* Cæterum civitas etiam populus appellatur. Hunc enim determinat Cicero apud Augustinum *l. 2. de civitate Dei c. 21. cœtum multitudinis, juris consensu & utilitatis communione sociatum.* Gellius l. 10. N. Attic. c. 20. *In populo omnis pars civitatis omnesque ejus ordines continentur.* Conf. *l. 9. D. de justit. & jure* §. *4. J. de jur. natur. & gent.* Quanquam interdum apud Romanos plebem tantum denotârit, cum dicebant: *Senatus Populusque Romanus.* Aliter quoque accepit Apulejus in apologiâ, quando ait: *Quindecim liberos homines populum esse: totidem servos familiam: totidem vinctos ergastulum.* (2) Videtur enim turbam hominum temerè confluentium significasse, de qua JCtus in *l. 13. §. 3. de vi bonor. raptor.* Iidem Romani civitatem quoque patriam nuncupabant, intuitu juris hereditarii. Hac notione Cicero II. de

de LL. patriam dicit, *in quâ reipublicæ nomen & universa civitatis est.* Idem contra Rullum II. *Roma communis patria nostra est.* conf. Modestinus *l. 33. D. ad municipalem.* Eadem utitur crebrò Anonymus Ravennas, seculi VII. scriptor, nuper à Placido Porcherone vulgatus, ut l. 4. Geograph. §. 23. *patria Frigonum, patria Danorum* §. 24. *patria Francorum, patria Saxonum* §. 26. *patria Suevorum, quæ & Alemannorum patria.* Græcis civitas interdum dicebatur Κοινὸν. Ita apud Halicarnass. est libro tertio bis Κοινὸν τῶν Λατίνων & l. 8. Κοινὸν τῶν Οὐολσκων. Ut pluribus probat Heraldus *in Salmas. observat. ad Jus Roman. & Attic. l. 6. cap. 4.* Quanquam iisdem etiam notârit provinciam, ut in *l. 6. §. 2. de excusat. tutor.* Κοινὸν τῆς Ἀσίας. *l. 37. de judic. lib. 5. §. 1. ad L. Jul. de vi public.* Κοινὸν τῶν Θεσσάλων *lib. 1. D. de appellat.* Κοινὸν τῶν Θεσπίκων. apud Ciceronem. *Commune Cretensium, Commune Siciliæ.* Hodie civitates magnitudine reliquas supergressæ Imperia insigniuntur, ut Imperium Romano-Germanicum, Turcicum, Moscoviticum, Fessa-Maroccanum, Magni Mogolis, Sinicum. (3) Quâ in re solus usus dominatur.

(1) Adde de ludicrâ Republicâ Babinense seu stultorum sub Augusto, Rege Poloniæ, Hartknoch. *l. 1. de Polon. c. 2. p. 92. seqq.* Stanislaus Sarnicius *Ann. l. 7. de reb. gest. Polonor. & Lithuanorum.*

(2) Quò haut dubiè Bartolus & alii JCti respexerunt, dicentes, populum è decem hominibus colligi. Quanquam Bartolum eo nomine notaverit Alciatus.

(3) Regi Franciæ Imperator Turcicus & Fessa-Marocanus Imperatoris titulum tribuunt, eundemque ei Galli quidam vindicant. V. Limnæus *Notit. Franc. l. 2. c. 1.* qui ibidem observat unum aut alterum Castellæ Regum Imperat. Hispaniæ vocari voluisse. Sed usus in reliqua Europa nondum assurrexit. Notandum autem Heraldum in Dania jam olim se Cæsarem appellavisse in saxo Jutico non longè ab Urbe Vedilâ,

dilà, apud Steph. Stephan. *in not. ad Saxon. p.* 204. & initio ſeculi hujus Jacobum M. Britanniæ Regem affectaſſe majorem Regibus dignitatem, dum in Edicto *Imperialem coronam* ad ſe devolutam, & ſe pro *Imperiali potentiâ* ſtatuere, ſcripſit, nec non nummum argenteum cudi curavit, cum hac inſcriptione: JACOBUS PRIMUS BRIT. CÆ. AUG. HÆ. CÆSARUM. &c. Ut didici ex literis MSS. Lingelshemſi ad Michaelem Lœfenium 15. Novembr. 1604.

IV. Civitas ab H. Grotio *l. 1. de J. B. & P. c. 1. §. 14.* definitur, *cœtus perfectus liberorum hominum, juris fruendi & communis utilitatis causâ ſociatus.* Quæ definitio convenit cum illâ, quam ex Ariſtotele & Cicerone paulò ante attulimus. Nobis accuratiſſimè finiri videtur: ſocietas ſivè communitas multorum hominum, mutuis eorundem pactis conflata, & poteſtate inſtructa, quæ ſingulorum viribus ad vitam ſecuram & beatam uti poſſit. Huberus definit l. 1. J. P. univerſ. c. 8. §. 1. & ſequ. *cœtum perfectum familiarum, juris fruendi vitæque ſibi ſufficientis gratiâ ſub eodem ſummo imperio ſociatum.* De quâ definitione ex illis, quæ ſequentur, judicari poterit. conf. Hobbeſ. *de cive c. 5. §. 9.* Pufendorf. *l. 7. de jur. nat. & Gent. c. 2. §. 13.*

V. Omninò heic notandum; civitatis vocabulum ex eorum eſſe numero, quæ Ariſtoteli πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς dicuntur. v. Arniſæus *l. 2. Relect. polit. c. 1. ſect. 5. n. 11. ſequ.* Quæ autem ſunt hujusmodi, unâ in omnes ſpecies valente definitione nequeunt explicari. Optimè Ariſtoteles III. *Pol. 1. Nemini*, inquit, *obſcurum eſſe debet, quibus in rebus ſubjecta ſpecie differunt, & eorum aliud eſt primum, aliud ſecundum, aliud deinceps ſubſequens, earum rerum aut nihil prorſus eſſe commune, quâ ratione ſint tales, aut perquam tenuiter & anguſtè.* Quarè methodô eſt utendum, quam in ejusmodi rebus Ariſtoteles *dictô loco* præſcribit, & obſervare ſolet: ut perfectiſſimi nimirum

rum generis naturâ ob oculos positâ, quantum imperfectiores species inde recedant, quidque iis desit, spectemus. Eam ob rem civitatis proposita ante definitio κυρίως sive πρώτως pertinet ad illas, quas citato loco Aristoteles πολιτείας, hoc est, *primæ classis sive ordinis*, D. Pufendorfius *l. 7. de jur. Nat. & Gent. c. 5.* regulares vocant, & distinguunt ab ὑπερβατικαῖς hoc est, *secundi ordinis* sive irregularibus civitatibus. Ubi observandum, secundi ordinis seu irregularium civitatum nomine non semper vitium aut labem reip. sed diversitatem à regularibus indicari, flexâ inprimis contemplatione ad ingenia hominum è statu naturali exeuntium. Exemplis res fiet illustrior. Finis in civitatum institutione haut dubiè à principio fuit vita secura ac beata. At postea usu venit, ut civitates quædam ad latam dominationem animum converterent, aut alium sibi scopum proponerent. Porro omnes fatentur, summas potestates simul in eorum, qui reguntur, utilitatem institutas. Sed deinceps diversis è causis enatæ sunt heriles respublicæ. Amplius, summam potestatem pactis transferri naturale jus requirit. Tamen vi solâ subigi populos humanæ aviditatis vitio subinde factum experimur. Denique summum rerum omnium arbitrium uni sive personæ sive cœtui conferri, ad tollendas naturalis status cruditates, multum utique interfuit. Planè ut Asinius Gallus apud Tacitum I. Annal. 12. *Unum esse reipublicæ corpus, atque unius* (vel hominis vel concilii) *animo regendum.* Verùm secutis temporibus systemata, quæ vocant, mixtæ, clientelares, feudales, aut aliæ hujus generis resp. exortæ sunt. Cæterum partitio hæc civitatum, uti summa est, ita usum insignem præbet ad multa dubia expedienda. Ut suo loco docebitur. Primùm autem de regularibus civitatibus agemus,

cæteras verò, quatenus nihil commune cum illis habent, tantiſper ſeponemus.

VI. Diſquirendum nunc eſſet ex præſcripto methodi noſtræ, an dentur civitates? ſi unquam hac de re fuiſſet dubitatum. Jam verò non ſolum plerisque populis (1) ab omni retrò memoriâ hoc inſtitutum placuit; quo aſpectu *regna* (hoc eſt, civitates, ſpecie pro genere poſitâ) *jure Gentium condita* dixit Hermogenianus in *l. 5. D. juſt. & jur.* conf. *l. 64. D. de condict. indebit.* Sed & ipſe Deus, quâ eſt immensâ benignitate in mortales, (2) ut exemplum, quod imitarentur, haberent, Remp. Hebræorum à fundamentis exſtruxit, eandem optimis legibus formavit, & cætera omnia ſuis auſpiciis peragenda curavit. Quod reip. genus θεοκρατίαν ſcite Joſephus *l. 2. contra Appionem* nuncupavit. v. Siracid. XVII. 15. 16. Add. ad Coloſſ. I, 16. Grotius tamen hunc locum intelligit de regno cœleſti. plur. Boſius *introduct. in notit. rerump. cap. 30. §. 51. ſeqq.* H. Conring. *libr. de rep. Hebræorum.* Præter hanc autem gentem nulli unquam ea felicitas obtigit. Dæmones tamen, cum adhuc pro Diis colerentur, ſimile quid non ſemel κακοζηλίᾳ quadam moliti ſunt. Vide quæ de Cyrenenſium rep. in Ægypto, de Heracleâ Ponticâ, (3) nec non de Mexicanorum rep. in Americâ ex aliis conſignavit Magnus Conringius *in animadv. ad Machiav. Princ. c. 6.*

(1) Strabo l. 16. Geograph. p. 524. Πέφυκε γὰρ ἅπτο κὴ κοινὸν εἶναι ἅπτο κὴ τοῖς Ἕλλησι κὴ τοῖς βαρβάροις. Πολιτικοὶ γὰρ ὄντες ἀπὸ αὐτομάτου κοινῆ ζῶσιν. Ἄλλως γὰρ οὐκ ἔστιν τε τὰς πολλὰς εἴς τι κατὰ ταυτὸ ποιεῖν ὁμοσμίνως ἀλλήλοις, ὅπερ ἐστὶ τὸ πολιτίνισθαι κὴ ἄλλως πως μένειν βίον κοινόν. *Sic enim à natura comparatum eſt & commune hoc Græcis eſt & Barbaris, ut ſuâ ſponte civiles communi præcepto atque inſtituto vivant. Aliter enim multi in unum coire & convenienter idem agere non poſſunt, quod eſt civiliter degere: neque alia ratione ſocie-*

tas

tas vita ſervari poteſt. Equidem ſupra *ſect.* 1. §. 1. adduximus exempla populorum, impetu aut legis expertium. Enimverò quædam eorum cum compaiatione exaudienda ſunt, ut non excludant omnem ſocietatem civilem, ſed talem civitatem deſcribant, quæ melius conſtitutis comparata d ſociabilis videatur. Quædam regio imperio opponuntur, neque omnem prorſus ordinem ſocialem & civilem, ſed illum, quo uni parentur, negant, ut obſervavit Boecletus *ad l.* 1. *H. Grotii de J. B. & P. c.* 4. *p.* 269.

(2) Certè hæc civitas ſal fuit gentium. Ex ejus philoſophiâ ſapientiam hauſerunt Pythagoras & ejus diſcipuli. Ex ejusdem legibus antiquiſſimæ leges Atticæ, unde & Romanæ poſtea deſumtæ, originem duxerunt. v. H. Grotium *l.* 1. *de Ver. Rel. Chriſt p.* 15. Moſis leges etiam Strabo commendat, & verè Joſephus altero adverſus Apionem: *Οἶμαι ἴσως φανεὶς, ὅτι πρὸς εὐσέβειαν, ὅτι δὲ πρὸς δικαιοσύνην, πρὸς τὴν εἰς τοὺς πόνους καρτερίαν, πρὸς θανάτου καταφρόνησιν, ἄριστα κειμένους ἔχομεν τοὺς νόμους. Puto evidens fore ad pietatem, praterea ad juſtitiam, & ad toleruntiam laborum, mortiſque contemtum, optimè factas nos habere leges.*

(3) Meretur etiam legi de eadem re Georg. Hornius *Diſſert. hiſtorico-politicâ* 32. Adde de ductu Moſis Cretenſis Socratem *l.* 6. *hiſtor. Eccleſ.*

SECTIO TERTIA.

DE ORIGINE ET GENERATIONE CIVITATUM.

I. ANte omnia cujusque rei origo conſideranda.

II. Ad hanc pertinet *primò* CAUSA IMPULSIVA, ſive *συνταρκτικὴ*. De qua Ariſtoteles, ab ipſamet natura civitates inſtituras aſſerentis, recitatur & rejicitur ſententia.

III. Alii violentiam, vel infirmitatem, vel metum inter cauſas allegant. Sed apertius traditur, principem cauſam eſſe conſiderationem malorum naturalem ſtatum comitantium.

IV. Non tamen excludunt occaſiones, aut cauſæ ſecundariæ aliæ.

V. Unde infertur, in ſtatu innocentiæ civitates futuras non fuiſſe.

VI. Et quale regnum Saturni fuerit, traditur prolixiore digreſſione.

VII. *Deinde* GRADUS sive PROCESSUS in structura civitatum per *pacta*; quorum *primum* est, singulorum cum singulis.

IIX. *Alterum*, de transferendâ summa potestate.

IX. Ex quorum pactorum junctura demum resultat civitas. Quod illustratur ex Aristotele.

§. I.

JUvat nunc paulò diligentius rimari, quæ origo, quod primordium sit civitatum. Hoc enim connexum est quæstioni, an res sit, *& si quis res, ut à principio oriuntur ac nascuntur, inspexerit, hoc modo rei veritatem optimè perspexerit.* Ut auctor est Aristoteles 1. *Pol. 2.* Ad originem pertinet, quô tempore primùm homines in civiles cœtus migrare cœperint, quid in eos impulerit eosdem & adhuc impellat, nec non quibus eò gradibus procedant, donec ad perfectionem, hoc est, maturitatem suam perveniant. Ante diluvium non fuisse civitates, sunt qui putant. Georgius Cedrenus *in compend. historic.* scribit: πρὸ δὲ κατακλυσμοῦ ὅτε ἔθνος ἦν, ὅτε βασιλεία. At verius videtur, ad genus humanum propagandum tunc æquè sufficisse mille quingentos annos, ac postea quater mille. Cui consequens, civitatum institutio id carere nequivisse, præsertim cum mala, quæ homines in civiles cœtus coegerunt, tum quoque non deessent. v. Augustinus *l. 15. de civitat. Dei c. 8.*

II. De causâ impulsivâ sive πρωταρχικῇ diversæ sunt Politicorum sententiæ. Aristotelis hæc est *l. Pol. 1. & 2. & l. Eth. Nicom. 7. & 9.* quæ plerosque Interpretum in assensum traxit: cum homo naturâ animal sociale sit, eadem natura dictante ad civitatem ineundam ferri. Consentit Cicero; perinde enim, ut ille, civitatum incunabula in domo quærit, causarumque seriem hanc texit primô de officiis: *Cum sit hoc naturâ commune animantium, ut habeant libi-*

libidinem procreandi, prima societas in conjugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem principium urbis & quasi seminarium. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum sobrinarumque: qui cum una domo jam capi non possunt, in alias domos, tanquam in colonias, exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus & plures propinqui. Quæ propagatio & soboles origo est rerump. Conf. Thom. Smithus *l.* 1. *d. Angl. c.* 12. 13. 14. Frider. Hornius *l.* 1. *Pol. Archit. c.* 4. §. 6. Ger. Joann. Vossius *de philosoph. c.* 19. §. 18. Verum enim vero, etsi libenter demus, civiles societates non esse contra naturam; imò ut instituantur, contemplatu naturalis status suadere rectam rationem: tamen huic consequens non est, civitates ab ipsiusmet naturæ instituto proveniisse. V. pl. Conring. *de prud. civ. c.* 6. & *in Dissert. de civit. nov.* §. 17. & 18. Pufendorf. *l.* 7. *de jur. nat. & Gent. c.* 1. *ab init.* qui argumenta Aristotelica refellunt.

III. E contrario violentiam allegant, è Philosophis Plato, inter JCtos Baldus *ad l.* 5. *D. de just. & jur.* conf. Vasquium *in præfat. controv. illustr. n.* 105. Bodin. 1. *de rep.* 6. 2. *de rep.* 6. *& passim*, è Poetis Lucretius, cujus hi sunt versus:

Amplius ex irâ quod enim se quisque volebat
Ulcisci, quam nunc concessum est legibus æquis,
Iccirco est homines pertæsum vi colere ævum.

Rerum suarum custodiam Cicero II. officior. *Hanc*, inquiens, *ob causam maximè ut sua tenerentur, respublica civitatesque constitutæ sunt. Nam etsi duce naturâ congregabantur homines: tamen spe custodiæ rerum suarum urbium præsidia quærebant.* Infirmitatem familiarum segregum H. Grotius *prolegom. de jure B. & P.* §. 19. *& l.* 1. *c.* 4. §. 7. Metum Hobbesius *de civ. c.* 1. Houtuyn. *in polit. gener.* §. 15.

Quæ

Quæ opiniones, etſi verbis diſcrepent, re fere conveniunt: nam vis non minus quàm experimentum infirmitatis metum generant; & injuriæ, quæ nocendi cauſa de induſtriâ inferuntur, ſæpe à metu proficiſci ſolent, v. ſupra *ſect.* 1. v. tamen Phanag. ad Laert. p. 177, ubi inſignem Ciceronis locum. v. Pufendorf. *l.* 3. *c.* 6. §. 13. Eſt autem metus, ſecundum Ariſtotelem III. Nicomach. 9. Προσδοκία κακοῦ, *expectatio mali.* Quarè cauſas illas conjungimus, & conſiderationem malorum, quæ naturalem ſtatum comitantur, ac nullâ aliâ ratione, quam junctis invicem viribus mutuoque implicitâ ſalute, propulſari poſſunt, in civiles cœtus coëgiſſe homines aſſerimus. Τὰ κακὰ γὰρ συνάγει τοὺς ἀνθρώπους. *Mala enim homines conciliant*, ut proverbio jactatum memorat Ariſtoteles *l. Rhetor. 6.* prudenter ſubjiciens: ὅταν ᾖ ταυτὸ βλαβερὸν ἀμφοῖν. *Cum ſc. idem utrisque damnoſum eſt.* & V. Polit. 5. ait: *communis metus etiam inimiciſſimos colligit.* Tyrannis ſuos ſatellites commune maleficium communisque metus conciliat. Brutus in oratione ad populum apud App. Alexandrin. *l.* 2. *de bell. civil. p.* 84. Eleganter hanc in rem H. Grotius *in Chriſto patiente.*

Poſtquam ira belli mater atque auri fames
Artes nocendi reperit, & placidos ſuo
Præſtare poterat nulla ſecuros quies,
Infirma per ſe vita communi metu
In fœdus homines traxit, alternam docens
Opem paciſci: mœnia amplecti domos
Cœpere: majus inde præſidium bonis
Subiêre leges: pœna reſpondet ſuæ
Æquata culpæ: redit ad auctorem malum:
Juſtitia ab ipſo crimine exemplum petit,
Damno rapinas ulta, cædem ſanguine,
Ut facere metuat quisque, quod metuit pati.

Et

Et hanc genuinam principemque esse causam, non tantum experientia rerum magistra docet, sed & ratio confirmat. Etenim credibile non est, citra eam homines, naturaliter ad omne dominium refractarios, (1) libertatis jacturam facere aut alterius imperium subire voluisse, acerbum sæpe & molestum. Eadem experientia confirmat, (2) hac causâ non rarò contineri civitates. Horatius 2. satyr. 7.

Tolle periclum,
Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.

(1) *Omnes homines naturâ libertati studere, & conditionem servitutis odisse*, scribit Cæsar *l.* 3. *de Bello Gall.* Æschylus apud Eurip. excerpt. p. 32. *Nimirum*, ut ait Aristotel. VII. Pol. 13. in fin. *multi homines præter mores & naturam propter rationem faciunt, si sibi aliter esse melius persuaserint.* Ab omni ætate populi eo fuêre ingenio,

- - *nec impositos unquam cervice volenti*
Ferre duces, ut ait Papinius. Grot. ad Ecclesiasten Salom. IV, 16.

(2) Æschylus Diris:

Τίς γὰρ δίδικος μηδὲν ἐνδικῶν βροτῶν;
Nam fas quis hominum servat amoto metu?

Sophocles Apacc. flagellifero apud Pufendorf. *l* 1. *c.* 6. §. 12.

IV. Neque tamen occasiones alias heic excludimus, quippe quas cum causâ προκαταρκτικῇ concurrere nihil vetat. Sic exempla testantur, ex latrociniis aliquando regna evasisse. *Hoc malum* (ait Augustinus *l.* 14. *de civit. Dei c.* 4. loquutus de latronibus) *si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut & loca teneat, sedes constituat, civitates occupet, populos subjuget, evidentius nomen regni assumit.* De Bardyli (ita legendum in Cicerone *l.* 2. *de offic.* pro Bargulo) Illyrio latrone memoria fuit apud Theopompum. v. Vales. *ad excerpt. Diodori Peiresiana p.* 121. De Materno vide Herodian. *l.* 1. *Hist. c.* 10. De Athenione, principe latronum, in agro Mamertinorum grassante,

ſante. v. Dionem *in dict. Exc. p. 636.* De latrone quodam ſub imperio Parthorum Joſephum *l.* 18. *origin. c.* 12. Gallani in Africâ ab Habeſſinis deficientes. v. Job. Ludolf. *hiſtor. Æthiopic. l.* 1. *c.* 16. *n.* 13. De Mahumete paſſim hiſtorici teſtantur, de Cangio, Tatarici imperii auctore, Haython *p.* 3. *Hiſt. oriental.* (1) conf. H. Grotium *l.* 3. *de jur. B. & P. c.* 3. §. 3. Adde de Tamerlane Thivon. *l.* 67. *p.* 270. *b. & ſequ.* Sic & antiquiſſimis temporibus ex patribus familiarum paulatim factos Reges, tradit Plato *in Politico.* Omnis enim domus regnatur ab eo, qui maximus natu. Ariſtot. *I. Pol.* 1. Atque hoc conſpicitur profectò in (2) Phœniciâ, Græciâ, Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Britanniâ, quæ quondam in minutiſſima regna aut respublicas ſciſſæ fuerunt, donec ſegreges familiæ paulatim in majora corpora evaluerunt. Eodemque pertinent ſegreges illi dominatus, quorum Plato mentionem facit *de LL.* 3. (3) Neque verò dicas hinc intelligi, civitatum originem à naturâ eſſe. Etenim quò minus domeſticæ illæ ſocietates disrumperentur, conſideratio malorum, quæ à ſegregibus familiis impendebant, haut dubiè principalis cauſa fuit. Inter ſecundarias etiam cauſas admittimus appetitum ſocietatis, de quo ante. Prævalida vincla ſanguis & commercium. Æſchylus apud Grotium *p.* 2. Eodem referimus philoſophiam, de qua Cicero V. Tuſculan. *Tu urbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti!* & eloquentiam, de qua Craſſus, contradicentem habens Scævolam, apud eundem Ciceronem I. *de oratore.* & I. de invent. Rhet. c. 2. *orandi initium conditoribus urbium ac legumlatoribus dedit.* Necnon rerum indigentiam, quam pro principe cauſâ mendosè nonnulli venditarunt.

(1) Adde rempublicam Coſaccorum, antequam hi à Polonis

lonis ad humilioris obſequii patientiam reducti ſunt. v. Joachim. Paſtor. *l.* 1. *hiſtor. Polon. plenior. p.* 15. *ſequ.*

(2) Strabo *l.* 16. *Geograph. p.* 519. Τὸ παλαιὸν μὲν ὑπ' ἐνίοις Ἀραβίοις καθ' αὑτοὺς ἐβασιλεύοντο παραπλησίως, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἐκάστη πόλεων τῶν Φοινικίδων. *Olim Aradii per ſeſe Reges habebant, ut cætera Phœnicum civitates.* De Hiberniâ H. Grotius *l.* 4. *hiſt. Belgic. p.* 229. Quod ſatis etiam confirmant ſacræ litetæ *Geneſ. XIV*, 1. *Joſua XII*, 7. *ſequ. Judic. I*, 7. Medos tota illa continente per vicos ſuis quemque legibus, ſive moribus liberos egiſſe, ac frequenter ſe mutuo deprædatos, ſcribit Herodotus *l.* 1. *hiſtor.* In America, excepto regno Mexicano & Peruano, idem deprehenderunt Hiſpani. v. Hieronym. Benzo *hiſtor. novi orbis*, Acoſta, & alii.

(3) Hæc objectio eſt Equitis Templii *libello, cui titulus: recherche du gouvernement*, unam hanc civitatum originem aſſerens.

V. In transcurſu colligi ex dictis poteſt, civitates in ſtatu innocentiæ extituras non fuiſſe. Defuiſſent enim in eo mala naturalis ſtatus omnia, ut adeo, *cum nihil contra morem cuperent homines, nihil per metum vetari debuerint.* Quemadmodum de vetuſtiſſimis mortalium judicat ipſe Tacitus *V. Ann. 26.* Accedit, homines in familias ſegregatos ſatis feliciter vivere potuiſſe. Quod de ſingulis patribusfam. nondum multiplicato genere humano, etiam poſt lapſum, hiſtoriæ ſacræ monumenta docent. Indigentiæ verò, ſi quæ fuiſſet, ſuccurrere per fœderationes licuiſſet, quarum nunc nexus nihil veri nihilque ſolidi habent. D. Becmannum *c. 11. Med. polit. §. 5.* ab hac ſententiâ diſſentire mirum eſt, præſertim cum §. 2. docuerit, cauſam inſtituendarum civitatum fuiſſe, ut homines ſecurè viverent, nec juſtam inter ſe timendi cauſam haberent.

VI. Simul hinc intelligitur, quale regnum Saturni fuerit, ſub quo primos mortales auream ætatem egiſſe, magno conſenſu fabuloſa prodidit antiquitas, v. Seneca *in Hippolyto & in Octaviâ*, famâ ad

Indos

Indos & Sinas usque, ut Martinus Martinius *D. I. Atlant. Sinici l. 1.* testatur, propagatâ. Id enim ex Adæ historiâ derivátum esse, non temerè conjecta-runt Ger. Joannes Vossius *l. 1. theol. Gentil. c. 18.* Lambert. Barlæus *in Hesiodi Theogn. p. 11.* Joannes Hoornbeck *de convers. Indor. l. 2. c. 4. in fine* & alii. Solebant veteres illi συντρέχοντα τοῖς πρεσβυτικοῖς ἐνίγμασι, ut Philo libro de vitâ Mosis secundo loquitur, adhibere. v. H. Grot. *ad IV. Reg. 5, 18.* Quid autem est Saturnus (quem in Occidente cultum fuisse, auctor est Cicero) quam Sator noster? quam ob causam forte antiquissimi nobilissimarum familiarum Reges Saturni nominati sunt, ut in æquivocis docet Xenophon. Cur Latialis dictus? nisi quia præ pudore aut metu ad Dei citantis & crimen exprobrantis vocem Adam latebras quæsivit. Græci Κρόνον quasi Χρόνον appellavêre; quippe temporis principium, & in quo gens humana suam terminat ordinem. Phœnices Ἴλ vocabant, quod Philo Biblius Sanchuniatonis interpres testatur: Ἶλυς autem apud eosdem limum significabat, ut Ennius ex Phœnicum colonia oriundus nos docet. Nec dubitandum, quin Moloch, de quo *Levitic. XX, 2. XXIX, 21. 1. Reg. XI, 5. 2. Reg. XXIII,* 10. 13. Saturnus fuerit: nam & stella ejus nunc eo nomine venit apud Hebræos: Nimirum *quod è septem sideribus, queis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipuâ potentiâ stella Saturni feratur*, ut ait Tacitus 5. hist. 4. Atqui mot apud Phœnicum populos limum sive rerum omnium seminium notavit, teste Sanchuniatone. Quod iterum mirè congruit Adæ nomini. Sed veniamus ad gesta utriusque & contendamus invicem. Homines sub Saturno ætatem vixerunt auream, quam præ ceteris Plato *in politico* ita describit, ut non obscurè adumbret vitam à primis parentibus in

paradiso

paradiſo actam, in ſummâ rerum abundantia nefas neſcientem. Saturnus devoravit liberos: Adam comeſtò malo ſe ac poſteros ſuos orci faucibus objecit. v. *Act. Erudit. Lipſienſ. ad A.* 1685. *menſe Majo p.* 202. Saturnus à Jove (quæ vox ab Hebræorum Jah vel Jehovah deſcendit, unde Ἰάω Græcorum, & Ἰόβαχ Carthaginenſium, & Germanorum Gott) vinctus & in tartara conjectus dicitur: Adam Deus ex feliciſſimo paradiſi incolatu in laborioſam & duriorem vitam tranſtulit, aditu Paradiſi horribili cuſtodiâ obſepto. Saturnus Xiſuthro, hoc eſt, Noæ prædixit diluvium, v. H. Grotium *l.* 1. *de Ver. Rel. Chriſt* §. 16. *num.* 50. *in not.* Adam Noæ, ſi fides habenda Joſepho 1. *origin.* 3. Sub Ada agri cœperunt coli, ædificari urbes: Idem Saturno tribuunt Gentiles: perinde atque illud, ævo ejus communia & indiviſa omnia, velut unum cunctis patrimonium fuiſſe, quod in Adam quadrat hactenus, velut rerum omnium ex dono Dei dominum, quod & Lactantio *l.* 5. *D. J. c.* 5. notatum eſt. Mitto plura alia, quæ longum foret exequi. Nam ex his puto conſtare, quàm parum appoſitè narrationes de Saturno à Samuele Bocharto *l.* 1. *Geograph. ſacr. c.* 1. & aliis ad Noam referantur: quem ſub Baccho ſive Ἰάχχω Græcorum latitare, tam multa evincunt, ut vix ſit dubitandi locus. Nomen ipſum non abludit, quam vicina enim ſunt Bacchus, Ἰάχχος & Noachus? Latini Liberum dixerunt, quia Noa ſolus cum uxore & liberis diluvii perniciem evaſit. Vini inventorem & patronum ebrietatis appensâ hederâ inſigniebant Bacchum. Bacchus bis genitus fuit, ſemel ex Semele, altera vice ex femore Jovis. Sicque Noachus ſemel natus more omnium hominum, poſtea quaſi renatus, cum à Deo in arca conſervatus fuit. Voſſ. *l. Th. Gent. c.* 19. Et Noachus memo-

ratur primus, qui vites ſevit, & vim vini primus in ſe expertus eſt. Ex quâ hiſtoriâ etiam eſt, quod in honorem Bacchi pudenda virilia culta, auctor eſt Auguſtinus *l. 7. de civit. Dei c. 21.* Bacchum primum inſtituiſſe boves jungere ſub jugum, & primum ſementem feciſſe, auctor eſt Diodorus Siculus; idem ſacræ literæ teſtantur de Noacho. Sed nec cauſæ quicquam excogitari poterat, quamobrem Bacchum (quod vix ulli Deorum contigit) * tam diverſis nominibus celebraverint antiqui, niſi quia Noa, velut humani generis inſtaurator, haud dubiè apud plerasque diverſæ linguæ gentes in ſummâ celebritate fuit. Fateor, in Saturni pariter ac Bacchi hiſtoriis multa involucris tecta, multa fabulis inquinata reperiri. Verum aliter fieri non poterat; in tantâ temporum longinquitate & obſcurâ rerum præteritarum memoria, quæ nullis literarum monumentis continebatur, ac proinde occaſionem dabat, præſertim Poëtis, ut fingerent ſibi & narrarent aliis ſuavia ſomnia. *Et tamen vera ſunt*, inquit Lactantius de falſa religione c. 11, *quæ loquuntur Poetæ, ſed obtentu aliquo ſpecieve velata, & ſic veritatem mendaciô involverunt, ut veritas ipſa perſuaſioni publicæ nihil derogaret.* Et fere ubique in minicula & falſas auditiones fama rerum deſinit. H. Grotius *l. 4. hiſtor. in fine.* Sed redeamus in viam.

* Hinc Bacchum πολυώνυμον vocat Sophocles *Antigonâ*, dictus enim Lyæus, Eujus, Dionyſius, Dithyrambus &c. πολύωνυμος dicitur Euripidi *Jone* v. & Auſonii epigramma 29. Latinum pariter & Græcum.

VII. His igitur ex cauſis homines in civiles cœtus deſcendunt. Quibus autem gradibus procedant, usque donec perfecta exiſtat civitas, hac ratione intelligitur. Civitas eſt ſocietas, ut ſupra diximus, ſive, ut Ariſtoteles II. *Pol. 1.* ait, κοινωνία τις. Socie-

tas

tas ut fiat, pacta debent intercedere. Horum formulæ non difficulter possunt cognosci, si paulum nos extra civitatem, sive in naturali statu positos, aut in eo patresfamilias ἀνυπευθύνους, sive sui juris seorsum egisse, saltem animô concipiamus. Nimirum ita necesse est, primum singulos cum singulis, aut patresfamilias illos invicem paciscí de cohabitatione, & mutuâ conjunctione cùm voluntatum tum virium. Ejus vis est, ut paciscentes fiant unâ quasi persona, seu unum corpus, sive ut Cicero 1. de LL. loquitur, *unus fiat ex pluribus*, & pro Catilina: *ut omnes unum & idem sentiant*, conf. *Esr. III, 1. Nehem. VII, 66. IIX, 1.* Bene Seneca ep. 102. *Quædam*, inquit, *continua sunt corpora, ut homo: Quædam composita, ut navis, domus, omnia denique, quorum diversæ partes junctura quadam in unum sunt coacta: quædam ex distantibus, quorum adhuc membra separata sunt, tanquam exercitus, populus, senatus. Illi enim, per quos ista corpora efficiuntur, jure aut officio cohærent, naturâ diducti aut singuli sunt.* conf. *l. 30. D. de usurpat. & usucap.* Hoc primum pactum est.

IIX. Enimverò fœtus hic, (1) rudis adhuc & informis, indigesta moles futura erat, (nam & fœdera, quibus parum solidi inesse solet, habent primum pactum. v. *1. Reg. XXIII, 4. sequ.*) nisi pactum accederet alterum de imperio, seu vi interius continente, pacti superioris vindice. *Imperare namque & parere non tantum ex rebus necessariis, sed & utilibus est.* Ut loquitur Aristotel. I. *Pol. 3.* addens: *Nam quæ ex pluribus constant, & fiunt aliquod commune, sive ex conjunctis, sive ex distinctis, in cunctis conspicitur quod imperat & quod paret.* Neque enim solis pactis tanta inest efficacia, ut homines cohæreant. Quod idem III. *Pol. c. 6.* eleganter docet his verbis: *Lex pactum est, ut docet Lycophron Sophista, qua sponsor est rerum*

inter ipſos juſtarum, non tamen tantarum virium, ut valeat cives bonos & juſtos efficere. In hoc pacto, (2) quod plerumque magis illuſtre & conſpicuum eſt, quam prius illud, præcedit conſultatio & decretum de forma regiminis, ſequitur translatio voluntatum & virium in unum ſive hominem, ſive cœtum. v. *1. Sam. X, 24. XI, 14. 2. Sam. V, 1. & ſequ. 1. Chron. XI, 3. XXIX, 1.* Adde Legem Regiam Romanorum. Accedit interdum jurisjurandi religio (homagium vocant.) (3) Quod in Orientali Romanorum imperio receptum, teſte Paulo Diacono *Hiſt. Miſcell. l. 23. ad A. 778.* v. & Xenophontem *l. 4. rer. memorabil. p. 169.* deinde apud Francos, v. Lehm. *l. 2. Chron. Spir. cap. 18.* totâ nunc Europâ ſervatur. Aliquando certi ſummo imperanti limites præſcribuntur, & quidem pactis, quæ multi leges fundamentales vocant, ſed valdè impropriè. ut ſuo loco reddemus. Cæterum non pauci ſunt inter juniores, qui pactum hocce ſecundum prorſus negant, aut cum primô commiſcent. Quorum ſententias expendi *Diſſertatione de modis conſtituendi civitates ſect. 2.*

(1) De Hollandis H. Grotius l. 2. Annal. Belg. ad A. 1572: *Incondito adhuc corpori primam reipublicæ ſpeciem indidere Hollandi nobiles aliquot & præcipuarum urbium legati.*

(2) Quamobrem hiſtoriæ pacti hujus mentionem ut plurimum omittant, cauſas erudite indagavit, A. libelli Anglicani *de imperio ſive gubernatione civili cap. 7. §. 6. & ſequ.*

(3) Jam apud Athenienſes Ephebi anno ætatis XX. cum in civitatem reciperentur, jurabant, ut teſtatur Pollux *libr.* 8. & formula jurisjurandi eſt apud Stobæum *tit* 41.

IX. Hæc pacta ſunt, ex quibus demum fit & conflatur civitas. Quadrat huc optimè diſſertatio Ariſtotelis III. *Pol. 6.* licet alio ſcopo ab ipſo propoſita. *Hæc ita ſe habere*, inquit, *perſpicuum eſt: Nam ſi vel in unum loca quis conducat, ut manibus inter ſe tangant.*

gant urbes Megarenſium & Corinthiorum: non tamen una erit civitas; ne quidem ſi connubium altera alteri dederit, quod tamen eſt unum ex iis, quæ propriè civitatibus ſunt communia. Similiter verò ne quidem ſi disjuncti habitent, non tamen adeo longè, ut non poſſent communicare, ſed leges ſint iis, ne in permutationibus injuriâ ſe invicem afficiant. Ut ſi hic quidem ſit faber, ille verò agricola, ille verò ſutor, ille verò aliud quid ejus generis, & multitudo ſit decem millium, neque alterius rei ſit inter eos communicatio, quàm talium, ut commercii & mutui auxilii: nec ſic quidem eſſet civitas. Quid ita? non quidem quia ſocietas ſeu communicatio non ſit vicina; ſi namque & in eandem ſe conferrent ſedem, qui ita communicant inter ſe, tamen ſinguli propriâ domo, tanquam civitate, uterentur, & ſibi ipſis, veluti ſi ſocii bellorum eſſent, auxilium ferrent ſolum adverſùs injurias inferentes: ne ſic quidem diligenter intuentibus videntur eſſe civitas; ſiquidem eodem pacto verſarentur inter ſe poſtquam coiiſſent, ac faciebant cum ſeorſim vivebant. Ex dictis etiam ſequitur, quemadmodum gens à civitate diſtinguatur. Illa enim non pactis, ſed origine ſive ſanguinis & morum vinculo connecti ſolent, & in unâ gente plures eſſe civitates poſſunt: ut liquet exemplo veterum Germanorum & Slavorum, hodie Tatarorum. Verum age cauſas civitatis conſtitutæ, ſive quatenus jam ipſa agens eſt, contemplemur. Rectè enim Ariſtoteles VII. *Pol. 8.* dixit: Κατὰ τὰς ἐργασίας συνεστάναι πόλιν, *per operationem coagmentatam eſſe civitatem.* Eſt enim civitas totum morale compoſitum, ſive, ut Ariſtoteles ait, civitates non ex unâ, ſed ex pluribus partibus conſtant, *IV. Pol. 4.*

SECTIO QUARTA.
DE FINE seu SCOPO CIVITATUM.

I. FINIS est vivere, & utilitates commoditatesque vitæ patare,
II. Justitia frui,
III. Beate vivere.
IV. Unde civitas à cœtu latronum distinguitur.

§. I.

CUm omnem civitatem communitatem quandam videamus esse, omnemque communitatem boni alicujus causâ constitutam (ejus enim quod videtur bonum esse gratia omnes agunt omnia) perspicuum est, omnes bonum quoddam propositum habere. Verba sunt Aristotelis, quibus politicum opus auspicatur. Rectè autem definit idem *I. Pol. c. 2. & l. III. cap. 4. & 6.* finem civitatis esse duplicem τὸ ζῆν, καὶ τὸ εὖ ζῆν, *vivere, & bene vivere.* Et quidem, quòd vitæ conservandæ causâ homines in civiles cœtus coierint, probat experientia. *Perspicuum enim est*, ait *d. l. III, c. 4. tolerare multos homines, multas arumnas, propter vivendi desidêrium, tanquam sit in ipsâ vitâ prosperitas quædam & dulcedo naturalis.* Euripides Iphiym. in Aulide *v. 1250.* Quod illustrat Cicero *l. 5.* de finibus. *Maximè autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturæ, cum & mendicitatem multi perpetiantur ut vivant, & angantur appropinquatione mortis confecti homines senectute, & ea perferant, quæ Philoctetam videmus in fabulis: qui, cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum.* Cum verò humana vita multis adjumentis ac subsidiis opus habeat, rectè Aristoteles IIX. *Eth. 11. conf. c. 5. & III. Pol. 6.* pronunciavit: Τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν τὸ συμφέροντος χάριν καὶ ἐξ ἀρχῆς συνελθεῖν καὶ διαμένειν. *Civitatem utilitatis gratiâ*

διὰ ab initio conſtitutam eſſe, & permanere. & l. III. Pol. 4. Μάλιστα ἔν τοῦτ' ἔστι τέλος, καὶ κοινῇ πᾶσι καὶ χωρίς. *Maximè hic eſt finis & communiter omnibus, & privatim.*

II. Enimverò nec vita in tuto collocari, nec illa vitæ adjumenta parari poſſent, niſi homines ab injuriâ à ſe mutuò abſtinerent, & quisque ſuum cuique tribueret. Quare Plato *l. 2. de rep.* dixit: ſcopum eorum, qui in civitates coaluerunt, fuiſſe, μήτ' ἀδικεῖν, μήτ' ἀδικεῖσθαι. (1) *ne facerent paterenturve injuriam.* Eoque pertinet vetus Philoſophorum ſententia: *juſtitiæ fruendæ cauſa Reges conſtitutos.* Jam ante Heſiodus *Theogen.*

Τέκνα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, ὄφρα λαοῖς
Βλαπτομένοις ἀγορῇφι, μεταστρέψαι ἔργα τελεῦσι.
Hac unâ Reges ſapientes lege creantur,
Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta.

Ariſtoteles dixit *I. Pol. 2.* ἡ δικαιοσύνη πολιτικόν. (2) *Juſtitia eſt aliquid politicum.*

(1) Quidni! cum & prædones inter ſe eô more vivant. Polybius IV. hiſtor. 29. Καὶ γὰρ καὶ ἰδίαν τὰ τῶν ῥαδιουργῶν καὶ κλεπτῶν φῦλον, τούτῳ μάλιστα τῷ τρόπῳ σφάλλεται, τῷ μὴ ποιεῖν ἀλλήλοις τὰ δίκαια καὶ συμβῆναι λόγῳ πρὸς ἰσότητας αὐτοῖς. *Nam & privata coitiones facinoroſorum ac furum hoc maximè modo everti ſolent, ubi inter ſe jus non præſtant, & in ſumma, ubi fides inter ipſos periit.* Seneca 7. Declamat. 1. *Natura jura ſacra ſunt etiam apud piratas.* De Saxonibus antiquis Adamus Bremenſis l. 1. hiſt. Eccl. c. 4. *Erant inquieti nimis & finitimorum ſedibus infeſti, domi verò pacati & civium utilitatibus placidâ benignitate conſulentes.* Adde de Coſaccis, furtorum inter ſe ſemper abſtinentiſſimis, & Tataris Precopienſibus, inter ſe moribus ac compoſitis, Joachimum Paſtorium *l. 1. hiſtor. Pol plen p. 24 & p. 58.*

(2) Pindarus in Pythia od IIX. *O blandâ mente prædita tranquillitas, juſtitiæ filia, maximas urbes reddens, conſiliorum & bellorum claves habens ſupremas.*

III. Cæterum cum homo longè ſupra beſtias, (quibus vita non minus quam hominibus curæ eſt)

nobilitate naturæ conſtitutus, ad beatam quoque vitam enitatur, (omnes enim felices eſſe volumus) quæ juxta ſententiam verè philoſophantium collocata eſt in omnigenæ virtutis exercitio rerum ſufficientiâ concomitato; non eſt dubitandum, communem fuiſſe ſponſionem, ut beatitudinem illam communibus viribus peterent ac promoverent, quàm maximè licet. *Et actionum honeſtarum gratiâ ſtatuendum eſt, eſſe communionem civilem.* ait Ariſtotel. *d. l. III. Pol. 6.* Hinc curandum legislatori, ut cives fiant viri boni, docet idem VII. *Pol. 14.* conf. *l. 5. Eth. 3.* Hos fines omnes complexus eſt Paulus Apoſtolus, cum jubet fieri obſecrationes pro imperantibus, *ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honeſtate: hoc enim bonum eſſe, I. ad Timoth. II, 2.*

IV. Ex his facile conſtat, quomodo civitates à cœtibus latronum diſtinguantur. Etenim * hi criminis causâ præcipuè ſociantur: illæ, etſi interdum delicto non vacent, juris tamen fruendi causâ ſociatæ ſunt, & exteris jus reddunt, ſi non per omnia ſecundum jus naturæ, quod multos apud populos ex parte quaſi obliteratum eſt, certè ſecundum pacta cum quibusque inita, aut ſecundum mores. Quanquam & latronum globi interdum in civiles cœtus transformentur, ut ſupra *ſect. 3. §. 4.* exemplo non unô oſtendimus. v. Pufendorf. *8. c. 4. §. 5.* H. Grotium *lib. 2. de J. B. & P. cap. 18. §. 2.* & *lib. 3. cap. 3. §. 2.* Alb. Gentil. *l. 1. de jur. B. cap. 4.*

* Hinc tales ut hoſtes non tractantur. Cicero Philipp. IV. *Ille hoſtis eſt, qui habet rempublicam curiam, erarium, conſenſum & concordiam civium & rationem aliquam, ſi res ita tulerit: reliqui, etſi exercitus habeant, & milites atque Imperatores ſe ferant, non pro hoſtibus, ſed pro latronibus & Spartacis ſunt habendi.*

SECTIO

SECTIO QUINTA.

DE SUBJECTO CIVITATIS, hoc est, CIVIBUS EORUMQUE REBUS.

I. SUBJECTUM PRIMARIUM sunt CIVES. Horum HOMONYMIA.

II. DEFINITIO secundum Aristotelem, qui explicatur, & Bodinum, qui subditos cum civibus perperam commiscet.

III. Affertur alia. Quæ cum Aristoteleâ aliisque conciliatur.

IV. DIVISIO PRIMA. Quod cives alii *fiant*, alii *nascantur*, nempe.

V. Ex *societate conjugali*.

VI. Cujus consequens est *societas paterna*, & in hujus locum succedens *tutela*.

VII. *Utriusque* verò ut plurimum appendix, *Societas herilis*.

IIX. Ex quibus societatibus componitur *domus*, seu *familia*.

IX. DIVISIO SECUNDA à QUALITATE, sive *bonis* vel *animi*, ubi accurata artium omnium divisio.

X. Hinc variè cives differunt.

XI. Vel *corporis*.

XII. Vel *fortunæ*. Unde nobiles vel ignobiles.

XIII. Divites vel pauperes sunt.

XIV. Corollarium de partitione Aristotelea.

XV. DIVISIO TERTIA à QUANTITATE. Nempe cives vel *singuli* sunt, vel *in universitates collecti*. Quid universitas?

XVI. Et quot universitatum genera?

XVII. SUBJECTUM SECUNDARIUM REGIO.

XIIX. DOMICILIA.

XIX. Et alia HUMANÆ VITÆ ADMINICULA quæ *bona* sive res dicuntur, & æstimantur *nummo*, de cujus natura & origine disseritur.

XX. Dividuntur autem bona sive res primùm à fine in necessarias, utiles, voluptuarias.

XXI. Porro in illas, quæ *nullius*, vel *alicujus* sunt.

XXII. Hæ à *subjecto* in *sacras*.

XXIII. *Publicas*.

XXIV. *Universitatis*.

XXV. *Et singulorum*.

XXVI. *A modo habendi* in corporales, vel incorporales. Ad has pertinent *jura* vel *in re*.

XXVII. Quæ acquiruntur vel originariè, vel derivativè.
XXIIX. Vel *ad rem*, quo pertinent pacta, & contractus.
XXIX. *Alia mixta*, ut hereditas, & communio.
XXX. Concluſio hujus tractationis.

§. I.

AD finem illum conſequendum neceſſe erat, ut multi confluerent & ſe ſociarent, qui cives appellantur (forſan à coire, ut Iſidorus putat, ſive à ciere, ut G. J. Voſſius *in etymologico*) & diſtinguuntur ab externis. *Civitas enim eſt multitudo quædam civium. Videndum eſt igitur quem civem appellare oporteat, & quis ſit civis. Neque enim eundem omnes civem eſſe conſentiunt.* Verba ſunt Ariſtotelis III. *Pol. 1.* Ante omnia vocis hujus tollenda eſt ambiguitas. Uſu enim vulgi cives dicuntur, qui urbes incolunt, & in album ſunt relati. Quò ſpectat etiam Ulpiani illud l. 1. pr. ad municipal. *conf.* l. 29. eodem. *Municipes dici ſuæ cujusque civitatis cives.* Similiter Gellius 16. N. A. 13 *Municipes ſunt cives Romani ex municipiis ſuo jure & legibus ſuis utentes.* Tales ſequior ætas Burgenſes dixit. Propriè autem & accuratè cives ſunt omnes reipublicæ participes, ſive in urbibus habitent, ſive per agros ſparſi ſint. Enimverò, quemadmodum civitatis, eodem modo civis nomen ex eorum eſt numero, quæ πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς ſive ἀνάλογα dicuntur. Nam in rebuspublicis herilibus, ſolo imperante excepto, cives veri non inveniuntur, & in hujusmodi regnis *certa dominorum domus eſt, cæteri ſervi.* Ut cum Tacito loquar *1. Hiſt. 16. 2.* Apud quem etiam eſt. 12. Annal. II. 2. *Non dominationem & ſervos, ſed rectorem & cives cogitaret.* Euripides in Helena:

Τὰ βαρβάρων γὰρ δοῦλα πάντα, πλὴν ἑνός.
Nemo niſi unus liber eſt in Barbaris.

Unde

Unde ſequitur, ſi civitas quædam eſt diſſimilaris (de cujus generis rebuspublicis infra dicam) propriè cives cenſeri populum, in quo fons eſt imperii, reliquos velut ſervos in familia haberi. * Exemplo ſit Romana civitas, in quâ cives erant, qui in urbe Româ tribus, centuriam & jus ſuffragii habebant, aut, ſi degerent in municipiis, jus Romanæ civitatis erant conſecuti, idque vel in ſupremô gradu, ut jure ſuffragii fruerentur; vel remiſſiore, ut tantum connubiorum ſucceſſionis aut ſimilia jura participarent. v. *l. 1. §. 1. ad municipal.* Sigon. *l. 1. de antiquo jure civ. Romanor. per tot, & l. 2. de antiquo jure Italiæ c. 6. & ſequent.* Reliqui dicebantur peregrini, ſive ἀπόλιδες *l. 17. §. 1. de pœnis l. 2. §. 1. de leg. 3.* Usque donec ex Conſtitutione Antonini Imperat. (hic Caracalla fuit, ut ex Dionis *excerptis Peireſianis* diſcimus, qui etiam cauſam illius Conſtitutionis aperit. conf. Henrici Valeſ. *in not. p 108. ſeq.*) omnes peregrini ad Romanum Imperium pertinentes ſocietatem acciperent civitatis. *l. 17. D. de ſtat. homin.*

* Alia habet Huberus *l. 1. Jurispubl. univerſal. c. 16. §. 41. ſequent.*

II. His ita explicatis, facilius erit civem definire. Nam in hujusmodi rebus præſtantiorem ſpeciem delineari ſatis eſt, ad quam, velut amuſſim, exigantur & comparentur reliquæ. Verùm prius audiamus, quæ Ariſtotelis ſit ſententia. Ait ille III. *Pol.* 1. Πολίτης ἁπλῶς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ὁρίζεται μᾶλλον, ἢ τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς. *Simpliciter nullâ re aliâ magis definitur civis, quam participatione judiciorum & imperiorum.* Ubi notandum, ſub vocabulo ἀρχὴ ipſum conſultationes comprehendiſſe. Aliquantò enim poſt, *quis igitur ſit civis*, inquit, *ex his manifeſtum eſt. Cui namque poteſtas eſt verſari in imperio, vel deliberativo, vel judiciali, civem jam eſſe dicimus hujus civitatis.*

tis. Et *c. 3. ej. libri* ait: λέγεται μάλιστα πολίτης, ὁ μετέχων τῶν τιμῶν. *Maximè civis dicitur, cui communicantur honores.* Quod verò dixit Philosophus: *nullâ re aliâ magis cognosci civem, quam participatione istâ:* submonere voluit, credo, jura illa non semper conjunctim requiri: sufficere nimirum, si aliqua adsint; interdum ex instituto civitatis plura desiderari. Sic in Athenienſium rep. maximè populari, quarta civium classis, ceteris civibus triplo major, à judiciis & imperiis ad Periclis usque ætatem arcebatur, Plutarcho teste *in Solone.* Ibidem peregrinos, cum asciscebantur in civitatem, describi in tribus populosque, ac indigenas civium filios nomina primùm apud curiales, deinde apud populares profiteri oportebat. V. Sigon. *l. 2. de rep. Athen. cap. 2.* Ubb. Emmium *de eadem rep. p. 97. sequent.* Adde laudatum Sigonium *l. 2. de antiquo jure civium Rom. c.* 18. Quod idem subjicit: *civem, quem definiverat, in populari statu maximè esse civem;* eò pertinet, civis datam ante definitionem ibi expressiorem illustrioremvè esse, nihilo tamen secius & reliquis rebuspublicis aptari posse. Certè Status sive Ordines, (1) qui in plerisque Europæ regnis idem sunt hodie, quod in disciplinâ hac cives, ex jure veniendi ad conventus regni, in quibus de præcipuis reipublicæ negotiis deliberari solet, (ἡ γὰρ ἐκκλησία κυρία πάντων τῶν τοιούτων ἐστί. *Concio enim in suâ manu habet hæc omnia*, ait Aristoteles III. *Pol. 7.* omnia sc. de quibus egerat, maximi momenti negotia) præcipuè æstimantur. Exempli gratia in Germanico Imperio; in cujus majori republica Status sunt Imperii, die Reichs-Stände/ in Principatibus sive ecclesiasticis sive profanis Status provinciales, die Land-Stände. Quæ si observentur, validè occurri poterit Bodino 1. *de rep. 6.* qui dum insultat Aristoteli, &

definire

definire vult civem, *liberum hominem, ſummæ alterius poteſtati obligatum*; graviter impingit ipſe: (2) quandoquidem cum ſubditis commiſcet cives, qui inter ſe non unâ ratione diſtant. Etenim ſummus imperans, ſi non quà talis, ſed quà pars communitatis conſideretur, civium numero excludendus non eſt. Aquila Rex eſt avium, neque eò minus ipſe avis eſt. *Familiæ appellatione & ipſe princeps familiæ continetur*, ait Gajus *l.* 196. *de V. S.* Appoſitè Seneca epiſt. 85. *Duas*, inquit, *perſonas habet gubernator: alteram communem cum omnibus, qui eandem conſcenderunt navem; quâ ipſe quoque vector eſt; alteram propriam, qua ipſe quoque gubernator eſt.* conf. Ariſtotel. III. *Pol. 3. à princ. & 4. in med.* H. Grotium *l. 2. de jure B. & P. c. 4. §. 12. & in not.* & *cap. 20. §. 24.* Nec inſolens eſt bonis auctoribus, Reges appellare cives. Sic Plinius *in panegyr. Trajanum civem*, Vellejus *2. Hiſt. 99. Tiberium poſt unum* (Auguſtum ſc.) *civem eminentiſſimum* vocat. Creon apud Sophoclem Antigon.

Οὐ τῷ κρατοῦντι ἡ πόλις νομίζεται;

Nonne imperanti civitas aſcribitur?

Rurſum ſubditi, non cives ſunt tum (2) ſervi, tum externi apud nos commorantes: v. omnino Ariſtophones apud Grotium *in excerpt. p. 536.* qui vel cives ſunt alterius reipublicæ, vel nullius; qualis ille apud Homerum adductum ab Ariſtotele I. *Pol. 2.* ἄφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος, *tribus, legum & domus expers.* Nimirum apud Paganos ἐναγεῖς tribus pœnis afficiebantur, arcebantur à fratriarum & confarreationis jure, à ſacris & à lecto, multò magis à menſâ. Cujus ritus luculenta eſt deſcriptio apud Sophoclem Oedipo Tyranno. Cum Bodino etiam facit Hobbeſius *Leviath. c. 17. & de cive c. 5. §. 11.* & Huberus V. Cl. *l. 2. Juriſpubl. univerſ. c. 5. §. 10.* definit enim

civem,

civem, *hominem liberum, juris fruendi vitaque feliciter agendæ gratiâ cum aliis ſub eadem ſumma poteſtate ſociatum.* Idem *d. l.* §. 17. *ſeq.* §. 42. nimis largè vocabulum civis extendit ad omnes, qui ſedem fortunarum laresque ſuos alicubi fixerunt. Rectius Ariſtoteles à civibus inquilinos ſeparavit *d. l. 3. c.* 1. *& cap. 4. ubi arcanum politicum quarundam Græciæ civitatum detegit, quæ inquilinos civium nomine inſignierunt.*

(1) Olim Barones dicebantur apud Francos & vicinos populos. Apud Fredegar. in Chron. c. 91. eſt: *Burgundiæ Barones, tam Epiſcopi, quam ceteri leudes* Add. Capitul. Caroli Calvi *tit.* 18. Carol. Cangium *gloſſ. hac voce.*

(2) Ne dicam genus τὸ *homo* nimis remotum eſſe, & *liberi* mentionem non eſſe neceſſariam: neque enim in definitionibus conditiones quaſcunque, quamvis neceſſarias, aſſumere oportet, ne nimium amplificentur. ut rectè obſervavit Arniſæus I. *Rel. Polit. c.* 5. *ſect.* 5. *n.* 8. *ſeqq.*

(3) Seneca in controverſ. *Servus extra rempublicam eſt.* conf. Ariſtotel. III. *Pol.* 4.

III. Cæterùm accuratiſſima haut dubiè erit definitio, ſi cum D. Pufendorfio *l. 7. de jur. nat. c. 2.* §. 20. reſpiciamus ad ipſam civitatis originem. Igitur hac ratione cives ſunt ſocii, *qui mutuis pactis initio in civitatem coaluerunt, aut in horum deinceps locum ſucceſſerunt.* Quanquam, cum morales res ex operationibus plerumque melius cognoſcantur, non rejici, ſed noſtræ huic ſuccenturiari debeat Ariſtotelea definitio, quam in §. antecedente explicavimus; aut Plutarchi illa *de triplici ſtatu:* cui civis eſt, *qui legibus immunitatibusque civitatis pro ætate, ſexu & conditione ſuâ fruitur.* Planè ut Ariſtoteles II. Pol. 1. Οἱ δὲ πολῖται, κοινωνοὶ τῆς μιᾶς πόλεως. *Hi verò cives ſunt, qui unâ civitate communicant.*

IV. Cives autem aut naſcuntur, aut fiunt. Fiunt, qui primi in ſocietatem coëunt, vel poſtea aſciſcun-

aſciſcuntur. Unde tales Cicero *aſcriptos*, Demoſthenes τῇ ποιήσει πολίτας, Athenienſes δημοποιητὰς, alii Græci πολίλογεραφθέντας, alii aliter dixerunt. Huc pertinent proſelyti Judæorum. Juſtinus colloquio cum Tryphone: Προσύλυτος ὠνόμασμαι, εἰ τῷ λαῷ προσκεχώρηκέν, ἐστιν ὡς αὐτόχθων. *Proſelytus, qui circumciſus populo ſe aggregavit, par eſt indigenæ*, conf. *Ex. XII, 48. ſeq. Judith. XIV, 6.* Item naturaliſati in Angliâ & Galliâ. Naſcuntur ex matrimonio ſive ſocietate conjugali. Πᾶσα γὰρ πόλις ἐξ οἰκιῶν συγκειται. *Omnis enim civitas è domibus componitur.* ait Ariſtoteles *I. Pol. 3.* conf. *c. ult. & IV. Pol. 3.* & Plutarch. in compar. Ariſt. & Caton. *Civitas nihil aliud eſt, quam congregatio multarum familiarum.* Auguſt. 19. de Civit. Dei c. 16. *omnis domus initium ſive particula debet eſſe civitatis.* Quod hactenus verum eſt, non universè. Nam civitatem ab initio ex convenis cælibibus conſtare poſſe, liquet exemplo Civitatis Romanæ ſub Romulo. Quin perdurare ſine matrimonio civitatem, exemplo Pontificatus Romani non ineptè probat D. Becmannus *c. 11. Medit. Pol. §. 6.* (1) Addi poteſt extincta à Selimo Turcarum Imper. Mamluchorum respublica in Ægypto; quæ ducentos ſexaginta amplius annos perſtitit, & natos ex Muhammedanis ac Judæis lege perpetuâ à rep. excluſit, ad eandem verò admiſit natos è Chriſtianis, ſi religionem Muhammedanam ſuſcepiſſent. v. tamen Journal des Sçavans A. 1686. p. 440. du Freſne voce Mumlachi. Aliquando cives adſciſcuntur honoris causâ, quod frequenter fit in Rep. Venetâ. v. Bembi *hiſtor. Venet. p. 52.* Cui hac in parte prorſus ſimilis eſt ſuperiori ſeculo fundata Algirienſium respublica. V. de illâ Petr. Bizarus *l. 10. Hiſt. Rer. Perſ. p. 353. & ſeq.* de utraque Rigalt. *l. 1. Hiſtoir. de l' Empire Ottoman. c. 16.*

c. 16. calce. Unde jam pronum erit judicare de sententia Bodini, quando *l. 1. de rep. 2.* sine familiis non esse remp. docet. Ceterum qui natales ad originarios cives requirantur, alio loco explicandum est, & discrepant hac in re instituta civitatum. (2) Quædam enim civem dicunt, qui parente utroque cive, ac non tantum altero sit natus, hoc est, patre pariter ac matre. Aliæ ulterius ascendunt, neque satis esse putant, si parente utroque natus aliquis sit cive, nisi avos quoque ejusdem proavos, atque atavos fortasse & tritavos fuisse constet, ut memorat Aristot. *III. Pol. 1.* conf. *c. 3. circa extrem. ubi de spuriis.* Naturalizatus apud Anglos dicitur, cum quis extraneus vel alienigena apud nos non tantum municeps factus est, sed velut natalitiis nostris donatus ad omnes juris apices & privilegia capescendus potens undique efficitur. H. Spalmannus gloss. voce naturalizatio addit Naturalizationis pallio indutus omnem adoptatus plenitudinem.

(1) Pertinet quoque huc populus in India, haut procul extra Bantæ pomœria habitans (cujus Rex Sutæ domicilium habet, Bantæ Regi certis conditionibus subjectus) conjugii, quod maximè mirandum, perpetuò expertem vitam agens: nam indies ex Javanis aliqui se in societatem ac disciplinam eorum dedunt, eò convenatum solò accessu veluti renascentes, ut testatur Joann. Isaac. Pontanus *l. 2 Rer. & Urb. Amstelodam. c.* 24. ubi compatat eos cum Essenis Judæorum, & innocentissimum genus hominum vocat, quod inter se pacificè admodum atque amicè vivat, soli agriculturæ deditum.

(2) Ut Lacedæmonii, quos oportebat esse utroque parente cive & legitimè natos. V. Cragium *l. 1. de Republ. Lacedæm. c.* 5. Planè ut Athenienses etiam ex lege à Pericle scripta, apud Ælianum *l. 6. Var. c.* 10. Ex peregrina enim & cive nati dicebantur νόθοι, ut probat H. Grotius 2. *de J. B. & P. c.* 5. § 15.

V. Locus hic postulat, ut de societate conjugali, cujus consequens est societas paterna, utriusque verò

ut

ut plurimum appendix ſocietas herilis, hasque omnes complexâ domô, quà pars eſt civitatis, dicamus, ſed breviter. Rectiſſimè enim Ariſtoteles I. Pol. c. 8. *de viro*, inquit, *& uxore; & liberis & parente, virtuteque ſingulorum ipſorum, & conſuetudine officioque inter ipſos, quid rectè & non rectè fiat; & quomodo oporteat, quod bene ſe habet; ſequi, quod malè; fugere, in his quæ faciunt ad rationem regendarum rerumpublicarum neceſſe eſt percurrere.* Quâ in re plerique juniorum politicorum peccant, qui, quicquid de ſocietatibus illis dici poteſt, circa initiâ hæc effundunt, cùm tamen multa ad partem, quam rectoriam vocamus, pertineant, alia prorſùs aliena ſint ab hac diſciplinâ. Societas conjugalis (quam peculiare nomen apud Græcos nondum habere notat Ariſtot. *I. Pol. 3.*) eſt inter maritum & uxorem, âd mutuum adjutorium & ſobolis procreationem. Hierocles libro de nuptiis: Πρώτη καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ διὰ τὸν γάμου. *Prima & exordialis ſocietas eſt quæ fit per nuptias.* Quos fines etiam expreſſit Cicero ex Xenophontis *œconomicis*, maritale conjugium ſic comparatum eſſe naturâ affirmans, *ut ex hâc mortalitate adjutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præparentur.* Maritus eſt ſocius uxoris cum auctoritate quadam & eminentiâ. Uxor ſocia mariti, conſtituta ſub ejus oculis & poteſtate ob generationem & adjutorium. Non obſtat his definitionibus, quod Ariſtoteles *I. Pol. 1.* docet, uxores apud Barbaros eodem quo ſervos numero cenſeri, & habere ſe inſtar gladii Delphici, hoc eſt, rei ad multos uſus accommodæ, & *V. Pol. 11.* apud quosdam populos (Ægyptios, Lycios &c.) uxorem ex dominationis arcano imperare, virum parere. conf. Diodor. Sicul. *l. 1. Hiſtor. c. 27.* ubi refert, apud Ægyptios uxori imperium in maritum pactis dotalibus

 fuiſſe

fuisse assignatum. Etenim ex naturæ instituto matrimonium ejusque partes æstimamus. Hæc autem mari cum præstantiâ sexus in societate, ad quam homines eximiâ quadam propensione ferri animadvertimus, auctoritatem antelationemque destinavisse videtur. Conf. insignem locum Aristotel. *I. Oecon. 3.*

VI. Societas paterna est inter parentes & (1) liberos, mutuis officiis & juribus ad familiæ utilitatem & civilem honestatem definita. Hujus in locum interdum tutela succedit, ut sub eâ securè delitescat ætas injuriis obnoxia: φυλακὴ μεγίστη καὶ ἱερωτάτη, *depositum maximum & sacratissimum*, ut Plato loquitur *lib. XI. de legibus*. Tutelæ vocabulo in laxiore significatione utor; quâ non abstinuerunt Romani juris auctores. *Vid. l. 1. pr. l. 11. §. ex facto D. de minorib. l. 101. §. 2. de condit. & demonstr.* Nam quod iidem à curâ tutelam distinguunt, juris est merè positivi & Romani, nec aliquam rationem vel ex jure gentium vel (2) aliarum rerumpublicarum institutis habet. Ut rectè notavit Bachovius *ad tit. ff. de curatorib.* conf. Gail. *2. obs. 96.* Quid tutela, & quæ ejus species sint, in jure Romano traditur; quemadmodum verò constitui & administrari debeat, in parte rectoriâ, ubi de civitate optimâ agitur, explanandum est.

(1) Liberos familiæ esse partem, minus rectè negat Arnisæus, refutatus propterea ab Hubero *l. 2. Jurispubl. univers. c. 1. §. 15. seqq.*

(2) Athenienses tutelam finiebant anno vicesimo, teste Hypetide apud Harpocrationem, *voce ἐνιαύτιος*. Saxones & alii quidam Germani anno vicesimo primo, v. D. Schilter. *ad tit. Inst. de curator. n 1.*

VII. Societas herilis est inter dominum & servum. Dominus est persona dignior potentiorque, sui commodi ergo aliorum utens ministerio. In rebusp.

rebusp. herilibus etiam ſunt ſervi. Ita in Siamenſi regno ſubditi ejus liberi ſex menſes ſerviunt Regi & quidem ſuis impenſis. At ſervi Regis aut privatorum ſemper in ſervitiis ſunt occupati. De la Loubere *tom. 1. part. 3. ch. 2. n. 6.* Servus eſt *organon animatum, rationis particeps, activum & ſeparatum, alterius homo exiſtens.* Ut definit Ariſtot. *I. Pol. 3.* ad quem inſpicere juvabit Interppr. per partes iſta explicantes. Servi hi, ad differentiam ſervorum naturâ, lege tales, *νόμῳ δοῦλοι* Ariſtot. *I. Pol. 3.* vocantur, & variis modis fiunt. Cæterum ſi dominus ſervum manumitteret, apud Romanos patronus, ille qui manumittebatur, libertus ſive libertinus nuncupabatur.

IIX. Domus ſive familia hoc loco eſt pars civitatis, è ſocietate conjugali, paternâ &, ſi perfecta eſt, herili conſtans, ad quotidianum vitæ uſum introducta. Ariſtot. *I. Pol. 1. circa extr. & c. 3. ab init.* Ex hac definitione claret, quomodo domus ab univerſitatibus, quæ *χρήσεως ἕνεκεν μὴ ἐφημέρου, uſus non quotidiani gratia* excogitatæ atque inſtitutæ ſunt, diſtinguatur. Uſus autem quotidianus conſiſtit in comedendo, calefiendo ad eundem ignem, & ſimilibus. Hinc Charondas domeſticos vocavit *ὁμοσιπύους*, hoc eſt, *penus ſocios*, & Epimenides Cres *ὁμοκάπνους*, hoc eſt, *fumi ſocios* apud Ariſtot. *d. l. 1. c. 1.* Eosdem JCti noſtri definiunt, * qui ad unum panem & vinum vel aquam vivunt. V. Marpurg. *V. 1. conſ. 15. n. 163.* Carpzov. 1. *Juriſpr. forenſ. 28. def. 25. in fine.*

* Quæ definitio tamen minus accurata eſt, niſi addatur, *& unius domus pars ſunt.* Annon enim ex conventione communi victu uti poſſunt, qui tamen inter domeſticos non cenſeantur? V. Fatinac. *de teſtibus quæſt. 55. n. 11.*

IX. Porro in civibus conſideranda qualitas, & quantitas. V. Ariſt. *IV. Pol. 12. & 7. Pol. 4.* Ad qua-

litatem pertinent bona vel animi, vel corporis, vel fortunæ. Stoici bona fortunæ esse negârunt eosque secuti Cicero & Patres Christiani. v. Grot. *ad Lucam XII*, 17. Sub bonis animi continentur virtutes, sive morales, sive intellectuales. V. Aristot. *in Eth. & 1. Pol. 7.* Inter morales eminet religio; quæ vel naturalis est, quam auctor naturæ humanis mentibus insevit ad felicitatem etiam in hac vitâ adipiscendam: vel cœlitus sive oraculo Dei patefacta, quæ, quatenus religioni naturali quædam superaddidit, felicitatem post hanc vitam spectat, v. g. Christiana. v. *ad Hebr. I, 1. Rom. XI, 34.* Hujus distributionis usus est insignis in parte rectoriâ, eumque egregiè explicuit H. Conring. *de auctoritate & officio majestatis civilis circa sacra.* Religioni opposita est impietas (vulgò atheismum vocant) & superstitio, sive δεισιδαιμονία, absurda divinæ potentiæ formido: quæ *minimis etiam rebus inserit Deos*, ut Livius loquitur l. 27. histor. c. 27. aut, ut Servius *ad IIX. Æneid.* definit, *timor superfluus & delirus.* Theophrastus *in character.* δειλία πρὸς τὸ δαιμόνιον, *meticulosus erga numen affectus*, ubi exemplis hoc multis declarat. V. Plutarchi *libr. de superstitione.* In eodem virtutum censu sunt, alienis abstinens justitia, pericula subiens fortitudo, voluptates moderans temperantia, & similes. Ad virtutes intellectuales referuntur artes & scientiæ. Earum autem numerus est diffusus & propè innumerus. Gerh. Joan. Vossius, *libro de artibus popularibus*; quadripartitâ artium ac scientiarum omnium distributione utitur in vulgares, populares, ἐγκυκλίους quas Latini liberales vocant, & philosophicas. Neque displicent nobis cogitata viri in omni genere scientiarum magni; malumus tamen nunc ad diversitatem finium respicere, & secundum eam artes omnes

atque

atque ſcientias digerere. Πᾶσα γὰρ τέχνη ἀγαθοῦ τινὸς ἐφίεσθαι δοκεῖ. *Omnis enim ars boni aliquid appetere videtur.* Ariſtoteles *init. Nicomach.* & ut idem ait VII. Pol. 14. *non tantum actiones ab operando, quantum à fine & ſcopo differentiæ ſumunt.* conf. *IV. Pol. 4. verb.* ἓν μὲν ἓν ἐστι &c. Nimirum quædam ſpectant ad hominis alimoniam, ſive cibum potumque; ut agricultura, paſtio, venatio; de quarum ſpeciebus v. Ariſtotel. *I. Pol. 7.* conf. Platon. *VII. de LL.* ubi venationem (1) dividit in aquatilem, volatilem & terreſtrem: aliæ ad paranda vitæ ſubſidia, amictum puta, habitationem, vaſa domeſtica, vehicula & ſimilia; quò pertinent textoria, tinctoria, ſutoria, ſartoria, μεταλλευτικὴ, ſive ars effodiendi metalla, architectonica, vehicularis, velificatoria, &, quæ harum plerarumque nutricula eſt, mercatura (nam & Plato *in Theæteto* hanc inter artes refert. Adde Ariſtot. *d. c. 7. ubi de ſpeciebus mercaturæ agit.* v. H. Grotium *de mari liber. c. 8.)* χρηματιστικὴ, cujus ſpecies fœneratoria: aliæ ad vitam aut res tuendas; ut bellica, ejusque famula gymnaſtice, de cujus variis ſpeciebus v. laudati Voſſii *librum cap. 3.* item ars bene equitandi & ferocem equum in gyrum flectendi, nandique peritia: aliæ ad valetudinem conſervandam aut reparandam; ut medica ars, cujus famulæ, chymice, pharmaceutice, chirurgice, coquinaria (ὀψοποιικὴ Ariſtoteli *I. Pol. 4.*) aliæ ad oblectationem & delicias; ut muſice, quæ vel vocalis, vel inſtrumentalis, ars ſaltandi & variæ artes ludricæ, ut funambulorum, hiſtrionum, circulatorum; item luſus varii generis, ſive artis ſint, ſive fortunæ, ſive mixti: aliæ ut oblivioni medeantur, & linguæ, oculis, auribusque præſtent miniſterium; inter quas præcipuæ grammatiſtice, ſive legendi ſcribendique peritia, (cujus ſpecies ſteganographia & tachygra-

phia) typographia, & graphice ſive ars pingendi, cui affines fuſoria, & plaſtice: aliæ ut ſermonem dirigant, quò referas artes loquendi, vel emendatè, ut Grammaticen, vel ornatè, ut Rhetoricen, vel modulatè, ut metricen ſive poëticen, quæ philologiæ nomine continentur. v. ejusdem Voſſii *librum de philologiâ*: aliæ ut animum ſcientiâ vel cognitione inſtruant, vel ratiocinandi, ut Logice operationum intellectus directrix; vel entis quà entis, ut metaphyſice; vel entium immaterialium, ut pneumatice; vel materialium, ut phyſice; vel quantitatum ut quantitatum, puta mathematice; vel præteritarum, ut ars hiſtorica; vel futurarum, ut ars divinatrix, ſive μαντικὴ. v. omnino Grotium *ad Ezechiel. XXI, 21.* Aliæ ut beatos faciant; quo pertinent ethice, œconomice, politice, (quarum proles eſt jurisprudentia) & denique (2) Theologia, quatenus religionis capita explicat, probat & defendit. Illarum autem, quas diximus, artium aliæ liberales ſunt, aliæ ſordidæ, ſerviles, ignobiles. Ariſtot. *l. Pol. 7.* Add. Pufendorf. *l. 5. c. 1. §. 6. in fine.* Et hæc hactenus, non alieno, ut arbitror, loco; quandoquidem quas artes quisque diſcere debeat, ſcientiæ huic ſubeſſe docet ipſe Ariſtoteles *init. Nicomach.* & niſi omnis generis opifices in unam eandemque civitatem conveniant, nunquam ea finem ſuum perfectè poterit aſſequi. Verùm ne pluribus & copiosè diſtributionem hanc perſequeremur, opportunè monuit idem Ariſtoteles *l. Pol. 7.* loquutus de agriculturâ, pecuariâ & ſimilibus: *Singula exquiſitè tradere, prodeſſet quidem ad eas exercendas, oſtentationem tamen præ ſe ferret, diutius in his commorari.*

(1) Adde aliam ſpeciem à modo venandi, quæ ſub Conſtantino & Theodoſio inventa, & falconibus, aſturibus, accipitri-

cipitribusque peragitur. v. omnino Guicciardin. *descript. Belgii general. p.* 49. 50. v. scriptores rei accipitrariæ aliquot à Nicolao Rigaltio ex Bibliothecâ Mediceâ editos.

(2) Hanc philosophiam quoque Aristoteles nominavit *Physic. II*, 2. *de partib. anim I*, 1. *Metaph. XI*, 4. Theologiæ meminit *Metaph. VI*, 1. & *XI*, 6. v. & Fr. Lindenbrog. *ad Ammian. Marcellin. l.* 14. *rer. gest. c.* 11.

X. Atque hinc variæ civium differentiæ, enascuntur. Nimirum à religione pii, ab impietate impii, à superstitione superstitiosi, ab aliis virtutibus justi, fortes, animosi, temperantes, & contra dicuntur. Sic agricolæ, opifices (nam & hos in numero civium esse nihil vetat. v. Aristot. *III. Pol. 3.*) mercatores, philosophi, literati & hujus generis, (1) nomina sunt civium diversas artes sectantium. v. omnino Aristoteles *IV. Polit. 4. p. 231. sequ.* Qui verò omnium artium sunt rudes, ab Aristotele *I. Pol. 3.* φύσει δῶλοι, *servi naturâ* dici videntur, quos *in numerum pecudum redegit hebes natura & ignoratio sui*, ut Seneca loquitur *de beatâ vitâ c. 5.* Bene Brisson. *in œconomico* apud Stobæum: *Est natura servus, qui corporis functiones dominis præstare sufficienter potest, itinera conficiendo, onera bajulando, labores ac ministeria tolerando: interim neque virtutem animi neque malitiam capiens.* In eo numero etiam interdum censentur summæ dignationis viri, qui, ut Euripides *Electra* ait, σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσὶν. *carnes vacuæ mentis statuæ fori sunt.* Nobilissimum servi hujuscemodi exemplum in Caligulâ habemus, de quo Passienus apud Tacitum 6. *Ann.* 20. *Neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse.* conf. Sueton. *in Claud. c.* 29. Hoc aspectu servi quidam sunt liberi. Euripides:

Τῶν ἐλευθέρων
Οὐδὲν κακίων δοῦλος, ἐσθλὸς ἢ,

Libero distat nihil
Quicunque mentem servus ingenuam gerit.

His non obstat illud Augustini *19. de civit. Dei 15. Nomen servitutis culpa meruit, non natura:* aut JCtorum, servitutem contra naturam introductam asserentium. Loquuntur enim de servitute corporum, non animorum, quæ hoc loco intelligitur. Hinc occurri poterit Bachovio *ad πεῶτα Digest. tit. de stat. hom. p. 164.* qui hanc Aristotelis opinionem falsam & absurdam dicit. Adde Pufendorf. *III. de J. N. & G. cap. 2. §. 8.* (2) Cæterum aliquæ illarum, quas diximus, virtutum & his contraria vitia interdum genio regionis non parum debent. v. Aristotel. *VII. Pol. 7.*

(1) Apud Platonem est l. XI. d. LL. *Ἀνθρώπων λέγομεν τὰ πρῶτα τρία γένη εἶναι, φιλόσοφον, φιλόνεικον, φιλοκερδές. Hominum eminentia pra cæteris tria genera esse dicimus, sapientiæ, litium, lucri studiosorum.*

(2) Strabo l. 2. Geograph. *Ἐν τῇ εὐδαίμονι χώρᾳ πᾶν ἰσὺν εἰρηνικὸν, τὸ δὲ ἐν τῇ λυπρᾷ μάχιμον καὶ ἀνδρικόν. Quæ genies vivunt in regione felici, ea pacis sunt studiosa; quæ autem incolunt loca sterilia aut incommoda, pugnaces sunt ac fortes.*

XI. A bonis corporis alii pueri sunt, alii viri, alii senes. Quanquam pueri sint tantum *πολίτας ἀτελεῖς*, ut Aristoteles vocat, *III. Pol. 1. & 3.* hoc est, (1) *imperfecti sive actu primô cives*, sive ut Tacitus *de morib. Germ. c. 13.* loquitur: *Ante hoc domus pars videntur, mox reipublicæ.* Præterea ab iisdem bonis distinguuntur in masculos & fœminas; quibus insolitô naturæ ordine interjiciuntur hermaphroditi seu androgyni. Est autem hermaphroditus, ut Poëta canit, *concretus sexu, sed non perfectus utroque.* Fœminas è numero civium plerique immeritò excludunt; nam & sceptrorum esse capaces, innumeræ testantur historiæ, etiam in populis ingenii non servilis.

vilis. In Germanico Imperio ad quosdam Principatus & Comitatus admittuntur; & jurisdictionis patrimonialis sunt compotes. Quod & in Galliâ usitatum. (2) In Frisiâ cum masculis comitia populi frequentant. v. D. Huber. *l. 1. jpubl. univers. c. 38. §. 33. sequent.* Apud Maroccanos fœminæ ne quidem Mosqueas intrare possunt. v. St. Blon. *p. 53.* Quòd autem rempublicam non participare videantur, fit propterea, quoniam innuptæ pars paternæ domus sunt, nuptarum personam sustinent mariti. Si vera sunt, quæ de Amazonibus narrantur (at fabulosa esse censuit Strabo & Palæphatus) fœminæ peculiarem constituere rempublicam. v. Petr. Petiti *Dissertatio de Amazonibus, cujus excerpta sunt Journal des Sçavans A. 1685. p. 207. sequ.* Cæterum in plerisque locis fœminas à viris vestitus etiam distinguit. Ad bona præterea corporis pertinet, quod cives sani sint vel morbosi; robusti sive valentes, vel infirmi &c.

(1) Cicero pro A. Cluentio dixit *designatos reipublicæ cives*, Plinius Panegyri *futurum populum parvulosque cives.* Tales actu fiebant cives Romæ sumta virili toga; Athenis anno ætatis vigesimo; apud veteres Germanos, ubi quis ad arma aptus erat, & in concilio publico scuto frameaque ornabatur, teste Tacito *d. l.*

(2) Planè ut olim in quibusdam Græciæ civitatibus fœminæ vocem aliquam habuerunt, & à quibusdam Imperat. Rom. in Senatum lectæ leguntur.

XII. In bonis fortunæ sunt bona existimatio, (*bonorum externorum maximum* Aristoteli *IV. Eth. 7.* educatio) divitiæ, & similia. Existimatio est hoc loco, valor personarum in vita civili, secundum quem aptæ sunt aliis personis exæquari aut comparari, eisque vel antehaberi vel postponi. Aristot. *l. Rhetor. 5. n. 22.* v. D. Pufendorf. *l. 8. de jur. nat. & Gent. c. 4. à princ.* conf. *l. pen. §. 1. D. de extraordin.*

din. cognit. Idem Pufendorfius *dicto capite* rectè partitur exiſtimationem in ſimplicem & intenſivam. Ab illa cives integræ ſive illæſæ famæ ſunt, quibus opponuntur infames. Ab hac nobiles ſunt, vel ignobiles. Qui nobiles ſint, intelligitur demum perſpectâ nobilitatis naturâ. Nempe nobilitas præcellentiam notat; & *nobiliſſimum quod optimum*, ut ait Vellejus Paterculus *1. hiſt. c. 128.* Aliter autem optimum æſtimat philoſophia, aliter civitates; hinc nobilitas vel *philoſophica eſt*, ut ita loquar, (1) quam ſummi in hac terrâ boni compotes habent: vel *civilis*; (2) cujus generalem & in omni civitate valituram deſcriptionem dari poſſe, rectè negant Bodinus *3. de rep. 8.* Frider. à Saude *tract. feud. prælim. c. 3. n. 3. & ſeq.* & alii, quoniam inſtituta civitatum pro ſcopo variant. Sic ſunt, qui nobilium ordini annumeraverunt omnes manuariis artibus abſtinentes, & præſertim belli operibus vacantes. Quod de Ægyptiis, Lydis, Perſis, Scythis, aliisque barbaris nationibus tradit Herodotus *l. 2. Hiſtor.* conf. Ariſtotel. *VII. Pol. 7.* Ammian. Marcellin. *l. 23. c. 6.* & ibi Valeſ. Et hodie in uſu Moſcovitæ habent. v. Comes de Carisle *deſcriptione Moſcoviæ.* Alibi nobilitas ex ſolâ cujusque apud Principem exiſtimatione ac primariis functionibus cenſetur, ut (3) inter Turcas. v. tamen Pufendorf. *l. 8. c. 4. §. 25.* Apud Indos Nobilitas omnis à M. Mogolis favore inchoatur & incrementum accipit. Laet *de imperio M. Mogolis ſive Indiâ verâ c. 5.* Apud Tataros Precopienſes majori in dignatione ſunt, qui plures captivos, cum moriuntur, poſſident, teſte Thuano *Hiſtor. l. 67.* Apud Tapujas, liberum Braſiliæ populum, qui luctâ, haſtarum concurſu ac venatu præcellunt, ut memorat Barlæus *de reb. geſtis in Braſiliâ p. 424.* Apud Sinenſes ſoli literati, ut teſtis

teſtis eſt Martinius *præfat. Atlant. Sinici.* (4) Qui Gradus quoque inter literatos habent ad eundem fere modum ac Europæi. In Græciâ nobiles habebantur, quorum progenitores ſummis in rep. honoribus præfulſerant. Hinc Ariſtoteli *II. Rhetor. 15.* εὐγένεια ἐνλμότης πρόγονων ἐστί. *Nobilitas dignitas majorum eſt.* Qui aliquanto poſt addit; *nobilitas in familiâ virtute conſiſtit.* conf. *III. Pol. 8. & V. Pol. 1.* Divitias tamen attendebant quoque. v. Euripides Electra *v. 37. ſeqq.* omnino. Apud Romanos qui majorum ſuorum habuerunt imagines, ii nobiles; qui ſuas tantum, ii novi; qui nec majorum nec ſuas, ii demum ignobiles appellati ſunt. Erat autem imago inſignis alicujus viri ſimulacrum, oris ſimilitudinem artificiosè effictam coloribus pigmentisque adumbratam referens, quod in inſigniori & celebriori domus parte ligneo armario includebant. Imaginem verò ſui ponere non temerè omnibus licebat, ſed iis tantum, qui magiſtratus curules geſſiſſent, quorum primus fuit ædilitas. v. Sigon. *de antiquo jure civ. Rom. l. 2. c. 20.* Lipſium *1. Elect. 29.* Guther. *l. 1. de jure manium c. 22.* In Europâ à multis ſeculis obtinuit, ut nobilis haberetur, cui præcellentia à ſummo imperante (olim plerumque ob præclara in bellis facinora, aſſignatis bonis) eſt tributa, quam in ſobolem transfundere poſſit. Hinc nobilitatis vel *nova* eſt ſive primum acquiſita, ἐν γεγράμμασι καὶ πρόσταγμασι, *ex reſcripto* ſc. ut eſt apud Nazianzenum *orat. 28.* vel *hereditaria*, quam Barbaricam iniquè vocat Scioppius *in Scaligero hypobol.* cum ex inſtitutis etiam optimæ civitatis ſit, ut antiquæ familiæ conſerventur. Et hinc eſt quod præſtabilius ferme habeatur, nobilem natum eſſe, quam factum. Utraque iterum gradus ſuos habere ſolet. Unde vulgò Nobilitas alia titulata

dicitur,

dicitur, qualis est Ducum, Comitum, Baronum; alia simplex.

(1) Quo demum pertinet opinio Græcorum de nobilitate sua apud Aristotel. I. Pol. 4. *Nobiles non tantum in sedibus suis, verùm etiam ubique haberi: Barbaros autem domi tantùm.* Virtus sanè ubique æstimari debebat. v. omnino Platonis Theuretum *p.* 128. Euripides *Dictye*,

Ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς ἐυγενὴς ἔμοιγ' ἀνὴρ·
Ὁ δ' ἐ δίκαιος, κἂν ἀμείνονος πατρὸς
Ζηνὸς πφύκῃ, δυσγενὴς εἶναι δοκεῖ.
Nam bonus & æquus Nobilis me judice est:
Contemptor æqui, quamlibet claro satu
Ipsum Tonantem superet, est ignobilis.

(2) Ex doctrina Platonis apud Laertium l. 3. *Nobilitas in quatuor genera dividitur; unum est, si majores honesti bonijustique fuerint, ut ex iis orti qui fuerint, hos nobiles esse dicamus; aliud est, si majores dynastæ principesque extiterint; nam qui ex his orti sunt, eos nobiles esse ajunt: aliud si majores gloriam sint assecuti, vel quia exercitus duxerint, vel quia in certaminibus coronati sint; ex his enim natos nobiles appellamus; aliud est, cum quis & generosus ipse & animi magnitudine fuerit excellens; nam hunccę quoque nobilem dicunt; atque hæc quidem principatum obtinet nobilitas.*

(3) Et inter Siamenses, qui magistratibus funguntur, v. *Royaume de Siam part.* 3.

(4) De quibus gradibus videatur Equit. Templii libellus *de virtute heroicâ p.* 233, *sequ.* Le Comte *nouveaux memoir. sur l' Estat present de la Chine ep.* 9. Herodianus *l.* 5, *c.* 1 in Mactini ad Senarum literis eleganter. Nimirum hoc titulo honorati Cancellarii & Præsides primarii Parlamenti Parisiensis. Quanquam & eo honoratum Præsidem Normandiæ à Carolo IX. tradit Lemnee in opusculis forensibus. v. de la Loubere *part.* 3. *ch.* 1. §. 7. *La Noblesse n' y est autre chose que la possession actuelle des Charges: des qu' elles ont perdu leurs charges, elles (les familles) n'ont plus rien qui les distingue du meme peuple.* De Equitibus qui dicuntur Chevaliers Loix v. Journal des Sçavans A. 1696. p. 296. Apud Frisios olim plurima prædia tenentibus maximus honor eaque sola Nobilitas. H. Grotius *l.* 4. *histor. p.* 215. Apud Islandos, qui dicuntur Bonden, loco Nobilium habentur, atque eorum ut quisque est naviam & pecorum amplissimus; ita plurimos piscatores ac clientes habet: hanc

unam

unam potentiam noverunt. Dithmar. Bleskenius descript. Islandiæ edita Lugdun. Batav. 1607.

XIII. A divitiarum abundantiâ aut defectu cives sunt vel divites, vel (1) pauperes, vel medii inrer utrosque. Bene Aristoteles *IV. Pol. 11. In omnibus civitatibus tres sunt civitatis partes; partim quidem valdè divites; valdè verò pauperes partim, tertii verò inter hos medii* conf. *d. l. IV. c. 3. à princ.* Idem ita expressit Euripides *in supplicibus.*

Tres sunt partes civium: alii quidem divites
Inutilesque, & semper plura expetunt.
Alii verò pauperes & indigentes victu;
Vehementes & tribuentes majorem partem invidiæ,
Emittunt malos aculeos in divites,
Linguis malorum præsidum decepti.
Trium verò partium illa, quæ est in medio, servat civitates.
Disciplinam conservans, quam constituerit civitas.

* His accensentur χειροτέχναι, ἀπὸ τῶν χειρῶν ζῶντες, *operâ manuum viventes.* Aristot. III. *Pol* 3.

XIV. Cæterùm ex his liquet, divisionem partium civitatis ab Aristotele *IV. Pol. c. 4.* propositam minus esse accuratam. Nam quædam partes, v. g. agricolæ, mercatores, divites, pauperes &c. ad hunc locum; quædam ad civitatis formam aut efficientem pertinent. v. g. pars quæ jus dicit, aut deliberat, item milites.

XV. A quantitate cives sunt vel pauci, vel numerosi. Quid magis horum expediat, in parte rectoriâ explicandum. In civitate enim naturaliter considerata numerus definiri nequit, & errat Bodinus, qui tres familias & in universum quindecim liberos homines ad civitatem constituendam satis esse existimat. *l. 1. de rep. 2.* Rursum ab eadem in singulos, & universitates distinguuntur. Universitatem

tem facilius negante quam ajente ſenſu definiri, putat Ulricus Huberus *l. 2. ff. P. univerſ. c. 10. §. 2. & ſequ.* idque hoc modo: eſſe *multitudinem, communis utilitatis causâ, certô regiminis ordine ſociatam, quæ nec familia ſit, nec reſpublica.* Idem §. *17.* ſubjicit, multitudinem vel cœtum ſubditorum heic intelligi. Verum, ut ab hoc ordiar, quid obſtat, quominus ſummi imperantes partem faciant univerſitatis? Sic certè Imperatores Germaniæ, Conradum Monachis S. Galli, & Henricum II. Canonicis majoris templi Argentoratenſis aſcriptos, hiſtoriæ teſtantur. v. Dieteric. in Henrico II. *p. 82. ſequ.* Iidem Imp. ipſo jure Canonici fiunt templi primarii Coloniæ & Aquisgrani. * Quale etiam jus Galliæ Reges in quibusdam Abbatiis habent. Unde jocus, Abbatem Pictavii in Hilarii fano Reginæ ſponſæ virginitatem prælibare. Nec exempla ignorantur Regum, qui ſocietati Jeſuitarum adſcribi non fuêre dedignati. Ut nihil de magnis ſodalitatibus mercaturæ aut honoris cauſa initis dicam, aliaque exempla prætéream. add. *l. 8. C. de Dignitat.* ipſum Huberum *l. 2. ff. P. univerſ. c. 9. §. 19.* Quod verò exteros interdum in univerſitates, v. g. ſtudioſorum mercatorum, recipi uſuveniat, eſt ex accidenti, aut profectò non ex ſcopo primario civitatum. Quare, ut arbitror, non errabit, ſi quis univerſitatem circumſcribat: *cœtum civium in civitate, uſus non quotidiani gratia, de rebus ad ſummam imperii non pertinentibus, ſub certo ordine ac regimine ſociatum.* v. omnino Huber. *tit. pro ſocio p. 563.* Ita enim à civitate ipſa & familia, nec non collegiis judicum aut conſiliariorum diſtinguitur. Adde Bodinum *l. 3. de rep. c. 7.*

* v. Mornacium *ad l. 14. D. de religioſ. & ſumt. funer.* Limnæum *l. 2. Notit. Franc. cap. 6. lit. ſſſſ. & cap. 19. lit. 9.*

XVI. Sunt

XVI. Sunt autem diversa genera universitatum, (1) quarum inire numerum nec facile est, nec hoc loco necessarium: præcipuas tantum enarrabimus, respectu potissimum ad finem habito. v. Aristot. V. *Eth.* 11. Nimirum quædam universitates pastus & arationis causâ consociantur; (2) ut vicinitates sive communitates civium in vicis & castellis habitantium, quas Aristoteles I. *Pol.* 2. κώμας per synecdochen appellat: ait enim civitatem esse ἐκ πλειόνων κώμων κοινωνίαν τέλειον, quod de vicis propriè sic dictis dici profectò non potest. Quanquam & illud Philosophi pronunciatum non simpliciter verum sit. Nam constat ex historiis, populos quosdam ruri sparsim egisse, neque eò secius unius civitatis membra fuisse. v. de Eliensibus aliisque Peloponesi populis Strabon. *l.* 8. *Geogr.* Polyb. *l.* 4. *Hist.* de Arcadibus ipsum Aristot. II. *Pol.* 1. & Polyb. *d. l.* de Cecrope, dispersos per agrum Atticum in vicos duodecim congregante, Plutarchum *in Theseo.* Nec desunt hodie exempla. Ita de Mingrelia scribit Chardinus, Journal du Voyage en Perse p. 76. *eam nec villas nec arces habere: ædificia ejus huc & illuc per regionem dispersa esse.* Quod verò idem Aristoteles I. *Pol.* 1. dixit: *natura videri, vicinitatem coloniam domus esse,* comprobant exempla 1. *Paralip. II, 34.* apud Ludov. Vivem *ad l.* 15. *de civit. Dei c.* 8. & alios. Porro quædam universitates commodioris elegantiorisque vitæ causâ coëunt, ut civitates. Quâ voce hoc loco significamus incolas urbium. De quâ notione supra satis egimus *sect.* 2. §. 2. Neque eadem cum urbe confundenda: differunt enim, ut templum & ecclesia. Adde in urbe una duas posse consistere civitates. (3) Sic Emporium fuit δίπολις, sive in civitates duas divisa, iisdem mœnibus inclusa. v. Strabon. *l.* 3. *Geograph.* Quod autem dixi,

dixi, commodioris elegantiorisque vitæ causâ civitates coire, res ipsa loquitur: nam mollior vita plures in proximo desiderat; qui aut operam præstent aut rem subministrent, v. g. opifices varii generis aut mercatores; amat quoque securum adversus hostiles impetus refugium. v. quæ de Germanicarum urbium origine differit H. Conringius *Exercit. de urb. Germ. §. 78. sequ.* Civitatis species Metropolis in propriâ notione est; quæ colonias emisit. At vulgato sermonis usu accipitur illa civitas, quæ in amplâ regione, spatii amplitudine, divitiarum splendore, aut etiam aliquo protectionis jure, minoribus præpollet. Præterea civitates illæ melioris ordinis facilioris vè administrationis causâ in diversas artificum, mercatorum & similium sodalitates (alii curias, tribus vel collegia vocant) tribui solent; quales Erechteus Rex Athenis instituit. V. Plutarch. *in Solone.* Numa Romæ. Vid. Plutarch. *in Numâ*; qui distributionem factam scribit, κατὰ τὰς τέχνας; *secundum artes.* Spartæ Lycurgus, sex tribubus, quæ φυλαὶ dicebantur, ὠβὰς subjiciens. v. Nicolaum Cragium *l. 1. de Rep. Lac. c. 5.* De Lyctiis Athenæus *l. IV.* δειπνοσ. Διήρηντω οἱ πολῖται πάντες κατ' ἑταιρείας. *Divisi verò cives sunt omnes in sodalitiâ.* Et nunc in plerisque Europæ urbibus collocatæ conspiciuntur. Addé *l. 1. D. quod cujusque universit. nomin.* Atque hanc ob causam etiam universa civium multitudo in diversas societates, locis disgregatas, sive limitibus circumscriptas, quæ plures vicos, interdum & civitates complectuntur, distribui consuevit. Has Latini Pagos vocant. V. Cæsar 1. *de bell. Gallic.* ubi memorat *centum Suevia Pagos*; & alio loco ejusdem libri, *civitatem omnem Helvetia in quatuor Pagos divisam fuisse.* v. & Ammianum *l. XVI. l. XXI. Histor. & alibi.* Plinium

l. 4.

l. 4. Hist. Natur. c. 17. ubi meminit *Pagi Gessoriaci.* Sic & Franci suum regnum in Govas sive Pagos, hos in centenas partiebantur. Sic Ægyptus in Nomos, hi in Toparchias (v. Strabonem *l. 17. Geograph. à princip.*) Thema orientale Romanorum consuetudine εἰς ἐπαρχίας, ὑγεμονίας καὶ ἀκκάτα, notante Constantino Porphyrogyneta, dividebatur; & nunc Germanicum Imperium in Circulos; Gallia in Parlamenta cum suis diœcesibus; Britannia in Comitatus, quos Saxones Schyras vocant, eæ in Hundredas, id est, centurias, hæ in Thidingas, hoc est, decurias (v. Camden. *in descript. Britanniæ.* Cangius *glossar. voce comitatus p. 1100.* Selden. *An. Anglo Britann. c. 4.* Joann. Spelmannum *vita Ælfredi M. Anglor. Regis l. 2. §. 19.* Thuan. *l. 56. ad A. 1573. p. 36.*) Polonia in Palatinatus, quibus præsident, quos vernaculâ linguâ Vaivodas dicunt, & Castellanias, quæ angustiores regiones sunt, & secant Palatinatus; Hungaria in Comitatus; Tataria in Hordas, id est, congregationes, si credimus Jovio, dividuntur. Porro amplificandæ civitatis causâ universitates fiunt. Quô referre licet colonias, (ἀποικίας Aristot. *l. Pol. 1. in fin.*) quas inde dictas docet Siculus Flaccus *de conditionibus agrorum initio:* quod populus Romanus in ea municipia miserit colonos, vel ad ipsos priores municipiorum populos coërcendos, vel ad hostium incursus repellendos. Plurimas earum coloniarum species exposuit Julius Frontinus *singulari de colonis libro* apud Rigaltium *pag. 82.* Loquor autem de coloniis, quæ matricis civitatis pars manent: nam quæ in separatas civitates abeunt, ut olim fieri consuevit, huc non pertinent. de quibus infra *sect. ult.* Interdum lucri causâ universitates coëunt, quales sunt amplæ illæ mercatorum societates, quæ non parum momenti ad rempublicam ad-

ferre ſolent. Exemplo ſit ſocietas Indica apud Belgas, quam H. Grotius *l. X. hiſtor. Belgic. ad Ann. 1602.* poſt initium hujus ſeculi magnam reip. partem haberi cœpiſſe ſcribit. Denique univerſitates quædam virtutis aut doctrinæ causâ conflantur. Quò pertinent Monaſteria, ſi ex primo inſtituto ea intueamur; item Scholæ, (4) Academiæ (quâ voce nominari uſitatum eſt congregationes profitentium doctrinam & ſtudium optimarum diſciplinarum atque artium) & Eccleſiæ, quatenus ſunt cœtus hominum docentium diſcentiumque verbum Dei, certo in loco, urbe vel provinciâ, conſiſtentes. v. *Rom. XVI, 3. 1. Cor. XVI, 19. Col. IV, 15. Philem. 1, 2.* apud Judæos Synagogæ. Quo ſpectat illud Tertullian. libro de exhort. caſtit. *Etiam ubi tres, eccleſia eſt, licet laici.* Diſciplinæ, educationis, commiſerationis, ſimilesve ob cauſas habentur orphanotrophia, noſocomia, gerontocomia, ergaſteria, & aliæ hujus generis ſodalitates. Cæterum apud Spartanos & Cretenſes ſingulare fuit univerſitatis genus epularum cauſa, συσσίτια, ſive epulares conventus; ἀνδρεῖα etiam Cretenſibus, φιδίτια Spartanis dicta, de quibus Ariſtoteles *II. Pol. 7.* Hactenus de ſubjecto primario civitatis, hoc eſt, civibus.

(1) Bartolus perſonarum univerſitatem triplicem facit, unam largam, quam provinciam vocat; alteram minus largam, quæ civitatem conſtituit; tertiam minimam, quæ ipſi caſtrum ſeu villa dicitur. Sed quartam addit Loſæus *part. I. de jure univerſitat. c. 2. num. 1.* collegium. De quo conf. Ant. Matthæi *ad l. 47. D. de criminib. tit. 15. c. 1. n. 4.*

(2) Vicinitates perperam è numero univerſitatum excludit Huberus *l. 2. ℣. P. univerſ. c. 12. §. 3.* neque enim vicus propriè ſic dictus ordine carere poteſt.

(3) Hujus formæ civitates etiam olim habuit Haſſia. Ita D. Philippus Haſſ. Landgrav. Magnanimus Francobergæ novam civitatem cum vetere conjunxit, eum antea utraque Senatum, judicia, jura ſua haberet ac ſigilla, quæ tum confracta.

(4) Di-

(4) Dictæ à loco non procul Athenis dissito, in quô magna discipulorum frequentia Plato docebat. Scholam Pythagoreorum Σύνημα Πυθαγορείων insignivit Diodorus Siculus *in Excerptis*, & Laërtius, *l.* 8. *vit. Philosoph.* Συνέδριον Polybius *l.* 2. *histor.*

XVII. Subjectum secundarium sunt regio, & in regione domicilia, aliaque vitæ humanæ adminicula. Ad Subjectum secundarium hæc talia refero. Nam licet civitas sine territorio consistere non possit, tamen uni loco non est affixa, nec eadem esse desinit, si populus sive sponte sive coactus aliò migraverit, aut muri urbis, quæ civitatis domicilium est, dejiciantur. v. Aristot. *III. Pol.* 2. Grot. *2. de Jur. B. & P. c.* 9. §. 7. Huc respexit Nicias apud Thucydidem *lib.* 7. Ἄνδρες πόλις, καὶ ὁ τείχη. *Viri civitas sunt, non mœnia.* Pompejus apud Dionem. *In parietibus non est resp.* Lucanus: *Vejos habitante Camillo, illic Roma fuit.* Adde similia dicta Augusti apud eundem Dionem *l.* 56. & Ottonis Imp. apud Tacitum *1. Hist.* 84. Pompejani apud Herodianum *l. 1. histor. c.* 6. ubi in not. Bœclerus. Cæterum in regione spectantur quantitas & qualitas, in quantitate fines. Ad qualitatem pertinet, an sit animalium, frugum, aut metallorum, aliorumve terræ visceribus inclusorum bonorum ferax, an sterilis; an plana vel montana, campestris vel silvosa, palustris fluminibusque intercisa. Quantitatem eam esse oportet, quæ sufficiat continendo hominum numero ad defensionem civitatis necessario; quod ex vicinorum conditione æstimandum. De antiquissimis temporibus Justinus *initio historiarum. Intra suam cuique patriam regna finiebantur.* Conf. quæ diximus supra *Sect. 3. §. 4.* Sic usu potest venire, ut angustis etiam limitibus coërcita civitas æmulatione finitimorum aut alias ob causas libertate aliquandiu gaudeat. Cujus rei nobile exem-

plum Plinius *l. 5. Hist. c. 25.* narrans nobis de Palmyra urbe: *urbs ea*, inquit, *nobilis situ, velut terris exempta à rerum natura, privata sorte inter imperia summa Romanorum Parthorumque, & (1) prima in discordia semper utrinque cura.* Livius *l. 21. Hist. c. 3.* fœdere inter Romanos & Carthaginenses renovato pactum memorat: *ut finis utrinque imperii esset amnis Iberus,* SAGUNTINISQUE MEDIIS *inter imperia duorum populorum libertas servaretur.* (2) Alia exempla v. apud Besold. *de appell. c. 4. sect. 4. & de jure territor. c. 4. §. 2.*

(1) Quod hodie quoque insolitum non est magnis Regibus circa parvos Principatus. v. Grammodum *l. 2. Histor. Gall.*

(2) Vulgò adferri solet regnum Ivetotii, quod est municipium in Gallia; sed commentitium id esse, bene ostendit Jac. August. Thuanus *l. 103. histor.* De Rege Monæ, quæ insula Scotiæ adjacet, & nunc Mannia vocatur, est diploma apud Leibnitium *Codic. diplom. prodrom. diplom. 5.* In Helvetia prope Lachen vicum esse nomine Gerisavv, qui nulli Cantoni subjectus sit & liberam faciat rempublicam, scribit Sprengerus *l. 1. 7. P. c. 2.* Et notum est Rempublicam S. Martini, quæ Ducatui Urbinensi inclusa est, & libertatem suam magni æstimat, ab Italis Republichetta vocari. Resp. San-Mariana, quæ territorio Pontificiæ ditionis includitur, sita inter Urbinum & Romandiolam, quæ Statui Ecclesiastico subest. Ultra 12. Villas præter Urbis ambitum vix comprehendens. Ut eam subjuget Pontifex Roman. Resp. Veneta & M. Dux Florentiæ non sinent. S. Martini vulgo, sed perperam, appellatur.

XIIX. Domicilia & habitationes vel mobilia sunt vel fixa. Qui mobilia habebant domicilia & incertis vagabantur sedibus populi, olim Νομάδες dicti, ex qua vox Latina Numidæ corrupta est. v. Strabo *l. 11. & libr. 16.* de Arabibus Numidis. Cæsar *l. 4. de B. Gall. pr.* de Suevis, Germanorum gente longè maximâ. Justin. *l. 2. c. 2.* (1) de Scythis, de quibus etiam Horatius dixit, plaustra eorum vagas

trahere

trahere domos. l. 3. od. 24. ubi Acron. *Scythæ campestres dicti, eo quod in campis, sine tectis sub tentoriis vivant, quæ carpentis moventur, ut Sallustius, in quibus plaustra sedes sunt.* Pompon. Mela *l. 2. Geograph.* de Hamaxobitis. De Sarmenis Ammianus Marcellinus *l. 14. c. 5.* ubi ait Sauromatas, quia prædibus (vulgo legatur sedibus) plaustra habeant dictos Hamaxobitas. Sarmatas in plaustro equoque viventes dicit Tacitus. Ammianus Marcellin. *l. 14. c. 4.* de (2) Saracenis & *l. 31. c. 2.* de Hunnis & Alanis. C. Barlæus *de reb. gest. in Brasil. p. 419.* ubi de Tapujis, libero Brasiliæ populo, Thuan. *l. LXVII.* de Tataris Precopensibus. Id. Thuanus de Sæviæ, olim Temezenæ regni Fessani provinciæ, populis. De Freti Magellanici accolis Woodius *in descriptione navigationis ad fretum Magellanicum.* Domicilia fixa sunt villæ, vici, castella, arces, urbes, oppida. Villæ sunt domus fundi agrestis. Vici villarum congeries sine mœnibus; quorum diversam rationem his verbis exponit Tacitus de morib. Germ. *c. 16. Vicos locant, non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive insciâ ædificandi.* Cujus moris adhuc hodie vestigium in oppido Malqueires in Frisiâ reperiri refert Templius *observat. circa stat. Holland. p. 216.* Castella, vici fossâ murisque cincti; quæ si parva essent, Romanis sequioris ævi dicebantur Burgi, teste Vegetio *l. 4. de re militar. c. 10.* Arces, loca, quæ arcere hostilem exercitum ad tempus possunt. v. Servius ad l. Æneidos. Urbium diversa solet esse magnitudo. v. de Babylone Huet. *propos. 6. p. 553.* Urbes, *tectorum conjunctiones, locis manuque septæ, delubris distincta spatiisque communibus*, ut definit Cicero I. de republ. cujus etiam illud est oratione pro Sextio:

Domicilia conjuncta urbes dicimus, inventô & divinô & humanô jure, mœnibus ſepta. Eſt autem urbs ab urbo appellata: urbare eſt aratro definire, & Varus ait, urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet. Verba ſunt Pomponii in *l.* 239. §. 6. *de Verb. Signific.* Unde quæ his carebant, ex uſu Latinæ linguæ (4) non urbes ſed oppida dicebantur. Quanquam Cicero & hiſtoriarum ſcriptores nomina *Urbis* & *Oppidi* ſæpe confundant, extra peculiarem Urbis æternæ appellationem. Hodie autem quælibet civitatum domicilia, tametſi muris aut foſſis cincta non ſint, urbes nuncupantur. V. Keckerman. *prægogn. Syſtemat. polit. p. 19.* ubi contra Danæum diſputat. Quin (5) *urbes Chriſtiana conſuetudine oppida vocari, quæ proprio Epiſcopo eſſent ornatæ, caſtra, quæ ipſis urbibus eſſent contributa,* obſervavit Sigon. *de regno Italiæ ad A.* 1106. Villa quoque hodie plerisque idem fere ſignificat quod vicus: & quod pagus vicum notat, eſt æquè contra Romanorum conſuetudinem. Vide ſupra §. 15.

(1) Arrianus rerum Indicarum libro, *Scytha arationem non exercent, ſed in plauſtris degentes incertis ſedibus vagantur, neque urbes incolunt, neque templa Deorum colunt.* De Antis ac Slavis Procopius l. 3. Goth. hiſtor. *Vivunt in miſeris tuguriis ſatis longo intervallo ſeparati, nec ibidem diu, ſed mutatis crebro ſedibus.*

(2) Hieronym. commentar. in Iſaiam: *Iſmaëlitarum, hoc eſt, Saracenorum gens in tentoriis habitant, qui quò nox compulerit ſedes tenent, quibus armenta ſunt & pecorum camelorumque greges, qui non habent oſtia nec vectes: non enim verſantur in urbibus, ſed in ſolitudine habitant.* Sataceni ante dicti Scenitæ, de quibus Plenius: *Scenita & ipſi vagi, ſed à tabernaculis cognominati, qua Ciliciis metantur, ubi libuit.*

(3) Quanquam Germani poſtea voce Burgi vicum denotaſſe videantur. Nam ita Liutprandus Ticinenſis *l.* 3. *c.* 12. *Ipſi domorum congregationem, quæ non clauditur, burgum vocant.* v. Henr. Conring. *Ex. de Urb. Germ.* §. 28.

(4) Non

(4) Non aliter Græci. Hinc Strabo *l.* 3. *Geograph.* ſcribit, Romanos urbes in Luſitania disjectis mœnibus vicos effeciſſe. Verba ejus ſunt: κώμας ποιήσαντες τὰς πόλεις αὐτῶν. Videatur in notis Caſaubonus.

(5) Plane ut hodie in Portugallia ſeptendecim appellantur civitates (*Cividades*) quæ ſunt principes & Epiſcopis privilegiisque ornatæ: reliquæ villarum nomine tantùm nuncupantur, teſte Liſchotano. *libro, le grand routier de mer p.* 175. v. Limnæum *ad c.* 1. *A. B.* §. 10. *obſ.* 14.

XIX. Reliqua vitæ humanæ adminicula res vel bona vocantur. Ariſtoteles appellat *l. Pol.* 7. τὰ πρὸς τὴν χρῆσιν χρήματα 4. *Nicom.* 1. ubi ſubjungit: χρήματα δὲ λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. *Pecunias appellamus omnia, quorum æſtimationem nummus metitur.* Videndum igitur hoc loco, quid nummus ſit, & quæ ejus origo. Nummus eſt corpus ex inſtituto valens omnia, ſive, eſt communis rerum utilium menſura. Quam definitionem optimè illuſtrat Ariſtoteles V. Nicomach. 5. ex quo egregia illa ſunt: ὁ νόμισμα γίνεται πως μέσον: πάντα γὰρ μετρεῖ. *Nummus quaſi medius fit: omnia enim metitur.* Mox. *In indigentia locum ex hominum quaſi compacto & convento quodammodo ſucceſſit nummus: atque ob hanc cauſam* νόμισμα *vocatur à Græcis,* ἀπὸ τοῦ νόμου, *i. e. à lege: quia non natura ſed lege valeat, ſitque in nobis ſitum, eum immutare inutilemque reddere.* Deinde. *In permutationem futuram, ſi fortè aliquare nunc non egeamus, tunc ejus facultatem & copiam fore cum egere cœperimus, velut ſponſor nummus intercedit.* Iterum. *Nummus, ut medius aliquis, res commenſu facto æquat.* Conf. IX. *Nicomach.* 1. *ab init.* Duo igitur præcipuè in nummo ſpectantur, corpus, * quod hodie apud plerosque populos conſtat ex auro vel argento & interdum cupro) & æſtimatio ſive facultas, quam typus publicus (χαρακτῆρα vocat Ariſtoteles) indicat. De

origine nummi ita differit in *l.* 1. *D. de contrah. emptione* Paulus, non obscurè legens vestigia Philosophi I. Pol. 6. & I. magn. Moral. 33. *Olim non erat nummus, neque aliud merx aliud pretium vocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus utilia permutabat; quando plerumque evenit, ut, quod alteri supereſt, alteri desit.* Exemplis multarum gentium hæc confirmat H. Grotius *l.* 2. *c.* 12. §. 3. *in not.* Adde de Dalmatis, & Barbaris Strabonem *l.* 7. *Geogr. pag.* 218. Pausaniam *in Laconicis* de antiquis Polonis & Lithuanis Hartknoch. *l.* 2. *de Polon. c.* 2. Nec desunt hodie exempla. v. de Fetuensibus in Africâ Joh. Müllerum *in descriptione Fetu p.* 253. de Nigritis C. Barlæum *de reb. gest. in Brasil. p.* 101. *sequ.* de Colchis Busbequium *epistol.* 3. de Habessinis Ludolphum *l.* 4. *histor. Æthiopic. c.* 7. *n.* 8. de quibusdam Indiæ populis, ante Hispanorum & Lusitanorum adventum, Boxhorn. *de statu fœderat. Belg. cap.* 25. §. 36. Pergit JCtus: *Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia est, cujus publica & perpetua æstimatio æqualitate quantitatis subveniret. Eaque materia formâ publicâ percussa usum dominiumque non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur.*

* Rarum est pecunia è conchis, quam Dousam, cum Hesperidum insulas omnemque Africam oceano objacentem legeret, mirabundum inspexisse, memorat H. Grotius *l.* 8. *Histor. Belgic. ad A.* 1599. Adde de regno Congo Barlæum *de reb. gest. in Brasil p.* 411. de regno Siamensi Jodoc. Schouten *descripti regni Siam. tit. de moneta pag.* 267. Equidem & corium, chartam, lignum, hisque similia, nummo materiam præstitisse legimus. Corium formâ publicâ percussum apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ

pecuniæ præstat. Seneca V. *de benef.* 14. Verùm non nisi ob temporis necessitates, nec moneræ sed pignoris jure retinendam, donec cum justa & legitima permutaretur. v. Gonzalez *ad c* 18. X. *de jurejurand. n* 11.

XX. Res in latâ significatione (v. *l. 23. de Verb. signif.*) variè dividuntur à Romani juris auctoribus. Enimverò cum hi non rarò divisiones generales cum specialibus ignorantiâ philosophiæ confundant, ut hac in re Besoldus ipse docet *division. jurid. politic. de jure & division. rerum c. 1. §. 3.* & in universali disciplinâ ad aliorum quoque populorum instituta respiciendum sit, res proposito nostro haut dubiè convenienter distribuemus primùm à fine, quando vel ad necessitatem, vel ad utilitatem, vel ad voluptatem spectant: unde sunt vel *necessariæ*, vel *utiles*, vel *voluptuariæ*. Sub necessariis continentur res, quæ *annonæ* nomine veniunt & similes, v. g. Sal, de sale fossili v. insignem historiam apud Pinsec. *Chron. ad A. MDCXXXIIX. p. 506.*

XXI. Porro à qualitate res vel *nullius* sunt, vel *alicujus*. Res nullius, notione Romanis quoque non insuetâ (V. *l. 51. de Contrab. emtion. §. 11. J. de Rer. Divis.*) dico, quæ non habent dominum; sive proprietatis omninò sint expertes, ut arena maris, aqua profluens, lumen solis, haustus aëris: sive aliquando in dominium venire possint. Et hæ communes etiam dicuntur, sed negativè. Qualis communio, quicquid alii existiment, à principio orbis conditi rectè statuitur. V. D. Pufendorf. *l. 4. de jure Nat. & Gent. c. 4.* Huber. *l. 2. Jurisp. univers. cap. 16. §. 22. sequ.* Et introducto dominio in civitatibus circa res quasdam, v. g. pro derelictis habitas etiamnum deprehendi solet.

XXII. Quæ alicujus sunt res & à subjecto & à modo habendi partiri possumus. (1) A subjecto

sunt *vel sacræ*, hoc est, Deo dicatæ, (2) *vel publicæ, vel universitatis, vel singulorum.* Res sacras publicis subjicit H. Grotius *l. 3. de Jur. B. & P. cap. 5. §. 2.* conf. Aristotel. VII. *Pol. 10.* (3) Verum hoc non esse perpetuum, vel exemplo Romanorum docemur, qui, ut domestica sacra, ita res quoque ejus generis habuerunt, accedente licet Pontificum auctoritate. v. Festus *voce sacer.* Cicero *de Haruspic. responsis.* Conf. *l. 9. §. 1. ad L. Jul. peculat. l. 24. D. de contrah. emtion.* Rebus sacris, quæ Deo consecrantur, affines sunt ecclesiasticæ, ut vulgò vocantur, quæ adjuvant potius & sustentant divinum cultum, quàm immediatè ei inserviunt. Ut erant decimæ in rep. Hebræorum. Ad sacras etiam res apud Romanos aliquo modo accedebant loca religiosa, quæ mortui illatione fiebant à prædii cujusque domino. Horum loco apud Christianos sunt cœmeteria, de quibus ex professo egit Onuphrius Panvinius *libro de ritu sepeliendi mortuos apud veteres Christianos & eorundem cœmiteriis.*

(1) Hippodamus apud Aristotelem II. *Pol.* 6. agrum dividendum censuit in sacrum, publicum & privatum.

(2) Horatius de arte poeticâ:

Fuit hæc sapientia quondam
Publica privatis secernere.

(3) Neque verò, quod summus imperans disponere de rebus sacris possit, consequens est, sacras esse publicas. Nam circa privatas res major iisdem potestas competit, quas tamen à publicis distingui in propatulo est.

XXIII. Publicæ res ad universum civitatis corpus spectant. Hæ vel usui omnium, qui sunt de civitate, patent, ut viæ publicæ (v. *l. 24. pr. de damno infecto*) flumina apud multos populos ad piscandum: vel capiti civitatis attributæ ab hoc in communes populi usus derivantur. Ut ærarium, quod est pecunia ad usus reip. destinata. Florus l. 3. hist. c. 13.

c. 13. *imperii patrimonium & reipublicæ nervos* insignivit. In hoc varia quidem, sed apud plerosque populos tributa & vectigalia inferuntur. Vectigalis vocabulum apud Romanos laxius sumebatur. v. Grotium *in sparsa flor. ad l. inter publica de V. S.* (1) tamen apud bonos quoque auctores separatur à tributo, ut apud Tacitum *13. Ann. 50.* Est autem tributum pecunia, quæ tributim à singulis subditis, pro portione censûs solvitur. Habet varias species, vel antiquitati jam notas, vel solertiâ humani ingenii novioribus temporibus repertas. Vectigal verò est pecunia, quæ pro rebus importandis vel exportandis penditur. Cujus itidem variæ sunt species & nomenclationes. Cæterum ab ærario fiscus (domanium vocant juniores. v. de domanio & ejus alienatione Sande *l. 3. tit. 4. def. 1.*) interdum distingui consuevit, & denotat (2) bona Regi assignata, quorum proventu regiæ suæ sumtus toleret. v. omnino Pufendorf. *l. 8. c. 5. §. 8.* Ad res publicas hujus generis referas etiam commentaria reipublicæ, quæ in tabulariis (archiva hodie vocant) recondi solent. Præerat his apud Græcos magistratus, cujus principes dicti ἱερομνήμονες, ὑπομνήμονες, μνήμονες, vel aliis nominibus, teste Aristotele VI. *Pol. 8.*

(1) Planè ut apud Græcos quoque aliud est φόρος *tributum*, aliud πέλος *vectigal*. Favorinus apud Gellium: φόρος μὲν οὖν τὸ ἐπὶ γῆς ἰδίας ἐπιφερόμενον γῆς· πέλος δὲ ἐπὶ ἐμπορίας συντέλεια. *Tributum propriè quod de terrâ cuique suâ penditur: vectigal quod de mercaturâ.* Hoc modo distincta reperies apud Strabonem tum libro II. Geograph. ubi de Britannia, tum libro IV.

(2) Hoc verus est. Servius ad Virgil. Æneid. XI.

Et campi quod Rex habet ipse Latinus,

Mos fuerat, ut viris fortibus sive Regibus pro honore daretur aliqua agri publici particula, ut habuit Tarquinius Superbus in Campo Martio: quod spatium ab Homero ὁ τέμενος dicitur. Hoc ergo quod Latinus de republicâ habuit, ab Ascanio

nio intelligamus esse promissum. Similiter Xenophon *de Republica Lacedæmonior.* scribit, Laconum Regibus aliquid præcipui agri (ἐξαίρετον γῆν) attributum fuisse. conf. Plutarchum *in Lycurgo.*

XXIV. Similiter res universitatis vel usum præbent omnibus illis, qui in universitate vivunt. Ut pascua, stadia, theatra, in quibus *quem quisque locum occupavit, quasi suum, dum occupat, facit.* ut Cicero loquitur *3. de finib.* quo pertinent etiam cœmeteria ex more apud Christianos populos recepto: vel ad universitatem, quà universitatem sive corpus, pertinent. vid. *l. 7. §. 1. quod cujusque universit. nom. l. 1. §. 7. de quæstion.*

XXV. Res singulorum quæ sint, solo auditu intelligitur.

XXVI. A modo habendi res sunt vel corporales, quæ naturâ suâ tangi possunt; vel incorporales, quæ tangi non possunt. Illarum aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles: mobilium quædam pondere, numero vel mensurâ constant; quædam non. Ad incorporales jura referuntur, quæ non ineptè alia in re, alia ad rem esse dicuntur in jure Canonico. v. *c. 8. de conceff. præbend. in 6to & c. 40. de præbend. in 6to.* nam apud Romani juris auctores hæc partitio κατὰ λέξιν non reperitur. Jus in re est facultas homini competens sine respectu ad certam personam. Hujus præcipua species est proprium sive proprietas, *cujus alienandi penes eum, qui possidet, est potestas.* Ut optimè definit Aristoteles I. *Rhetor. 5.* Proprietati innexa est possessio, * si optimâ lege consideretur, ut in definitione Aristotelea. Minuunt verò eandem jus emphyteuticum, superficiei, feuda, servitutes, pignora, aut si quæ alia jura apud populos suadente utilitate introducta reperiuntur.

* Possessio enim præambula est dominii, sive ut Paulus

lus cum Nervâ ait l. 1. de Acquir. vel amittend. poſſeſſ. *dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpit.*

XXVII. Cæterùm proprietas acquiritur vel originariè, puta occupatione; vel derivativè, ſc. acceſſione, de qua §. *19. & ſeq. J. de Rer. diviſ.* traditione, §. *40. J. d. t.* & uſucapione, quæ ob præſumtam dominorum negligentiam legibus multorum populorum introducta. V. totos titulos *Inſt. & Digeſt.*

XXIIX. Jus ad rem eſt facultas competens in aliam perſonam, ut nobis aliquid det vel faciat. Cui reſpondet ex parte debitoris obligatio; niſi eam vocem latius velimus accipere, ut totam inter creditorem & debitorem relationem contineat. Quam licet ad proprietatem quoque referre poſſimus, quatenus de ea, non minus quam de rebus corporalibus, liberè diſponere & alienando & retinendo nos poſſe conſtat. V. *tot. tit. D. de heredit. vel actione vend.* Tamen id hoc loco non conſideratur, ſed potius ad ipſum debitorem reſpectus habetur; ceu contra quem obligatio poteſtatem creditori tribuit nullam, niſi perſonali actione ipſum conveniendi. v. *l. 3. D. de Obl. & Act.* Cæterum jus ad rem Romani JCti oriri dicunt ex contractu vel delicto; qua in re conſentientem habent Ariſtotel. *5. Nicom. circa extrem.* Quod verò iidem contractus in innominatos & nominatos; hos in reales, literales, verbales, conſenſuales diſtingui docent, ex diſciplinâ reip. in quâ ſcripſerunt, eſt depromptum: quemadmodum & illud, quod pacta à contractibus firmitate obligationis diſcriminari tradunt: Nam jure naturæ certiſſimum eſt, ex pactis quoque proficiſci actiones, ſive facultatem alterum conveniendi ex promiſſô; & differentia pactorum à contractibus, ſecretâ lege civili, rectius ab objecto petitur cum Pufendorf. *l. 5. de jur. nat. & gent. c. 4. §. 4.* ut contractus vocentur, qui

plum Plinius *l. 5. Hist. c. 25.* narrans nobis de Palmyra urbe: *urbs ea*, inquit, *nobilis situ, velut terris exemta à rerum natura, privata sorte inter imperia summa Romanorum Parthorumque, & (1) prima in discordia semper utrinque cura.* Livius *l. 21. Hist. c. 3.* fœdere inter Romanos & Carthaginenses renovato pactum memorat: *ut finis utrinque imperii esset amnis Iberus,* SAGUNTINISQUE MEDIIS *inter imperia duorum populorum libertas servaretur.* (2) Alia exempla v. apud Besold. *de appell. c. 4. sect. 4. & de jure territor. c. 4. §. 2.*

(1) Quod hodie quoque insolitum non est magnis Regibus circa parvos Principatus. v. Grammodum *l. 2. Histor. Gall.*

(2) Vulgò adferri solet regnum Ivetotii, quod est municipium in Gallia; sed commentitium id esse, bene ostendit Jac. August. Thuanus *l. 103. histor.* De Rege Monæ, quæ insula Scotiæ adjacet, & nunc Mannia vocatur, est diploma apud Leibnitium *Codic. diplom. prodrom. diplom. 5.* In Helvetia prope Lachen vicum esse nomine Getiflavv, qui nulli Cantoni subjectus sit & liberam faciat rempublicam, scribit Sprengerus *l. 1. 7. P. c. 2.* Et notum est Rempublicam S. Martini, quæ Ducatui Urbinensi inclusa est, & libertatem suam magni æstimat, ab Italis Republicherta vocari. Resp. San-Mariana, quæ territorio Pontificiæ ditionis includitur, sita inter Urbinum & Romandiolam, quæ Statui Ecclesiastico subest. Ultra 12. Villas præter Urbis ambitum vix comprehendens. Ut eam subjuget Pontifex Roman. Resp. Veneta & M. Dux Florentiæ non sinent. S. Martini vulgo, sed perperam, appellatur.

XIIX. Domicilia & habitationes vel mobilia sunt vel fixa. Qui mobilia habebant domicilia & incertis vagabantur sedibus populi, olim Νομάδες dicti, ex qua vox Latina Numidæ corrupta est. v. Strabo *l. 11. & libr. 16.* de Arabibus Numidis. Cæsar *l. 4. de B. Gall. pr.* de Suevis, Germanorum gente longè maximâ. Justin. *l. 2. c. 2.* (1) de Scythis, de quibus etiam Horatius dixit, plaustra eorum vagas

trahere

trahere domos. l. 3. od. 24. ubi Acron. *Scythæ campestres dicti, eo quod in campis, sine tectis sub tentoriis vivant, quæ carpentis moventur, ut Sallustius, in quibus plaustra sedes sunt.* Pompon. Mela *l. 2. Geograph.* de Hamaxobitis. De Sarmenis Ammianus Marcellinus *l. 14. c. 5.* ubi ait Sauromatas, quia pro ædibus (vulgo legatur sedibus) plaustra habeant dictos Hamaxobitas. Sarmatas in plaustro equoque viventes dicit Tacitus. Ammianus Marcellin. *l. 14. c. 4.* de (2) Saracenis & *l. 31. c. 2.* de Hunnis & Alanis. C. Barlæus *de reb. gest. in Brasil. p. 419.* ubi de Tapujis, libero Brasiliæ populo, Thuan. *l. LXVII.* de Tataris Precopensibus. Id. Thuanus de Sæviæ, olim Temezenæ regni Fessani provinciæ, populis. De Freti Magellanici accolis Woodius *in descriptione navigationis ad fretum Magellanicum.* Domicilia fixa sunt villæ, vici, castella, arces, urbes, oppida. Villæ sunt domus fundi agrestis. Vici villarum congeries sine mœnibus; quorum diversam rationem his verbis exponit Tacitus de morib. Germ. *c. 16. Vicos locant, non in nostrum morem connexis & cohærentibus ædificiis: suam quisque domum spatio circumdat, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitiâ ædificandi.* Cujus moris adhuc hodie vestigium in oppido Malqueires in Frisiâ reperiri refert Templius *observat. circa stat. Holland. p. 216.* Castella, vici fossâ murisque cincti; quæ si parva essent, Romanis sequioris ævi dicebantur Burgi, teste Vegetio *l. 4. de re militar. c. 10.* Arces, loca, quæ arcere hostilem exercitum ad tempus possunt. v. Servius ad l. Æneidos. Urbium diversa solet esse magnitudo. v. de Babylone Huet. *propos. 6. p. 553.* Urbes, *tectorum conjunctiones, locis manuque septæ, delubris distinctæ spatiisque communibus*, ut definit Cicero I. de republ. cujus etiam illud est oratione pro Sextio:

Domicilia conjuncta urbes dicimus, inventô & divinô & humanô jure, mœnibus ſepta. Eſt autem urbs ab urbo appellata: urbare eſt aratro definire, & Varus ait, urbum appellari curvaturam aratri, quod in urbe condenda adhiberi ſolet. Verba ſunt Pomponii in *l.* 239. §. 6. *de Verb. Signific.* Unde quæ his carebant, ex uſu Latinæ linguæ (4) non urbes ſed oppida dicebantur. Quanquam Cicero & hiſtoriarum ſcriptores nomina *Urbis* & *Oppidi* ſæpe confundant, extra peculiarem Urbis æternæ appellationem. Hodie autem quælibet civitatum domicilia, tametſi muris aut foſſis cincta non ſint, urbes nuncupantur. V. Keckerman. *prægogn. Syſtemat. polit. p.* 19. ubi contra Danæum diſputat. Quin (5) *urbes Chriſtianæ conſuetudine oppida vocari, quæ proprio Epiſcopo eſſent ornatæ, caſtra, quæ ipſis urbibus eſſent contributa,* obſervavit Sigon. *de regno Italiæ ad A.* 1106. Villa quoque hodie plerisque idem fere ſignificat quod vicus: & quod pagus vicum notat, eſt æquè contra Romanorum conſuetudinem. Vide ſupra §. 15.

(1) Arrianus rerum Indicarum libro, *Scytha arationem non exercent, ſed in plauſtris degentes incertis ſedibus vagantur, neque urbes incolunt, neque templa Deorum colunt.* De Antis ac Slavis Procopius l. 3. Goth. hiſtor. *Vivunt in miſeris tuguriis ſatu longo intervallo ſeparati, nec ibidem diu, ſed mutatis crebro ſedibus.*

(2) Hieronym. commentar. in Iſaiam: *Iſmaëlitarum, hoc eſt, Saracenorum gens in tentoriis habitant, qui quò nox compulerit ſedes tenent, quibus armenta ſunt & pecorum camelorumque greges, qui non habent oſtia nec vectes: non enim verſantur in urbibus, ſed in ſolitudine habitant.* Saraceni ante dicti Scenitæ, de quibus Plenius: *Scenita & ipſi vagi, ſed à tabernaculis cognominati, quæ Ciliciis metantur, ubi libuit.*

(3) Quanquam Germani poſtea voce Burgi vicum denotaſſe videantur. Nam ita Liutprandus Ticinenſis *l.* 3. *c.* 12. *Ipſi domorum congregationem, quæ non clauditur, burgum vocant.* v. Henr. Conring. *Ex. de Urb. Germ.* §. 28.

(4) Non

(4) Non aliter Græci. Hinc Strabo *l.* 3. *Geograph.* ſcribit, Romanos urbes in Luſitania diſjectis mœnibus vicos effeciſſe. Verba ejus ſunt: κώμας ποιήσαντες τὰς πόλεις αὐτῶν. Videatur in notis Caſaubonus.

(5) Plane ut hodie in Portugallia ſeptendecim appellantur civitates (*Cividades*) quæ ſunt principes & Epiſcopis privilegiisque ornatæ: reliquæ villarum nomine tantùm nuncupantur, teſte Linſchotano. *libro, le grand routier de mer p.* 175. v. Limnæum *ad c.* 1. *A. B. §.* 10. *obſ.* 14.

XIX. Reliqua vitæ humanæ adminicula res vel bona vocantur. Ariſtoteles appellat *l. Pol.* 7. τὰ πρὸς τὴν χρῆσιν χρήματα 4. *Nicom.* 1. ubi ſubjungit: χρήματα δὲ λέγομεν πάντα, ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. *Pecunias appellamus omnia, quorum æſtimationem nummus metitur.* Videndum igitur hoc loco, quid nummus ſit, & quæ ejus origo. Nummus eſt corpus ex inſtituto valens omnia, ſive, eſt communis rerum utilium menſura. Quam definitionem optimè illuſtrat Ariſtoteles V. Nicomach. 5. ex quo egregia illa ſunt: ὁ νόμισμα γίνεται πως μέσον: πάντα γὰρ μετρεῖ. *Nummus quaſi medius fit: omnia enim metitur.* Mox. *In indigentia locum ex hominum quaſi compacto & convento quodammodo ſucceſſit nummus: atque ob hanc cauſam* νόμισμα *vocatur à Græcis,* ἀπὸ τοῦ νόμου, *i. e. à lege: quia non natura ſed lege valeat, ſitque in nobis ſitum, eum immutare inutilemque reddere.* Deinde. *In permutationem futuram, ſi fortè aliquare nunc non egeamus, tunc ejus facultatem & copiam fore cum egere cœperimus, velut ſponſor nummus intercedit.* Iterum. *Nummus, ut medius aliquis, res commenſu facto æquat.* Conf. IX. *Nicomach.* 1. *ab init.* Duo igitur præcipuè in nummo ſpectantur, corpus, * quod hodie apud plerosque populos conſtat ex auro vel argento & interdum cupro) & æſtimatio ſive facultas, quam typus publicus (χαρακτῆρα vocat Ariſtoteles) indicat. De

origine nummi ita differit in *l.* 1. *D. de contrah. emtione* Paulus, non obscurè legens vestigia Philosophi I. Pol. 6. & I. magn. Moral. 33. *Olim non erat nummus, neque aliud merx aliud pretium vocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus utilia permutabat; quando plerumque evenit, ut, quod alteri supereſt, alteri desit.* Exemplis multarum gentium hæc confirmat H. Grotius *l.* 2. *c.* 12. §. 3. *in not.* Adde de Dalmatis, & Barbaris Strabonem *l.* 7. *Geogr. pag.* 218. Pausaniam *in Laconicis* de antiquis Polonis & Lithuanis Hartknoch. *l.* 2. *de Polon. c.* 2. Nec desunt hodie exempla. v. de Fetuensibus in Africâ Joh. Müllerum *in descriptione Fetu p.* 253. de Nigritis C. Barlæum *de reb. gest. in Brasil. p.* 101. *sequ.* de Colchis Busbequium *epistol.* 3. de Habessinis Ludolphum *l.* 4. *histor. Æthiopic. c.* 7. *n.* 8. de quibusdam Indiæ populis, ante Hispanorum & Lusitanorum adventum, Boxhorn. *de statu fœderat. Belg. cap.* 25. §. 36. Pergit JCtus: *Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia est, cujus publica & perpetua æstimatio æqualitate quantitatis subveniret. Eaque materia formâ publicâ percussa usum dominiumque non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur.*

* Rarum est pecunia è conchis, quam Dousam, cum Hesperidum insulas omnemque Africam oceano objacentem legeret, mirabundum inspexisse, memorat H. Grotius *l.* 8. *Histor. Belgic. ad A.* 1599. Adde de regno Congo Barlæum *de reb. gest. in Brasil p.* 411. de regno Siamensi Jodoc. Schouten *descripti. regni Siam. tit. de moneta pag.* 267. Equidem & corium, chartam, lignum, hisque similia, nummo materiam præstitisse legimus. Corium formâ publicâ percussum apud Lacedæmonios fuit, quod usum numeratæ pecuniæ

pecuniæ præstat. Seneca V. *de benef.* 14. Verùm non nisi ob temporis necessitates, nec monetæ sed pignoris jure retinendam, donec cum justa & legitima permutaretur. v. Gonzalez *ad c* 18. X. *de jurejurand. n.* 11.

XX. Res in latâ significatione (v. *l. 23. de Verb. signif.*) variè dividuntur à Romani juris auctoribus. Enimverò cum hi non rarò divisiones generales cum specialibus ignorantiâ philosophiæ confundant, ut hac in re Besoldus ipse docet *division. jurid. politic. de jure & division. rerum c. 1. §. 3.* & in universali disciplinâ ad aliorum quoque populorum instituta respiciendum sit, res proposito nostro haut dubiè convenienter distribuemus primùm à fine, quando vel ad necessitatem, vel ad utilitatem, vel ad voluptatem spectant: unde sunt vel *necessariæ*, vel *utiles*, vel *voluptuariæ*. Sub necessariis continentur res, quæ *annonæ* nomine veniunt & similes, v. g. Sal, de sale fossili v. insignem historiam apud Pinsec. *Chron. ad A. MDCXXXIIX. p. 506.*

XXI. Porro à qualitate res vel *nullius* sunt, vel *alicujus*. Res nullius, notione Romanis quoque non insuetâ (V. *l. 51. de Contrah. emtion. §. 11. J. de Rer. Divis.*) dico, quæ non habent dominum; sive proprietatis omninò sint expertes, ut arena maris, aqua profluens, lumen solis, haustus aëris: sive aliquando in dominium venire possint. Et hæ communes etiam dicuntur, sed negativè. Qualis communio, quicquid alii existiment, à principio orbis conditi rectè statuitur. V. D. Pufendorf. *l. 4. de jure Nat. & Gent. c. 4.* Huber. *l. 2. Jurisp. univers. cap. 16. §. 22. sequ.* Et introducto dominio in civitatibus circa res quasdam, v. g. pro derelictis habitas etiamnum deprehendi solet.

XXII. Quæ alicujus sunt res & à subjecto & à modo habendi partiri possumus. (1) A subjecto

ſunt *vel ſacræ*, hoc eſt, Deo dicatæ, (2) *vel publicæ, vel univerſitatis, vel ſingulorum.* Res ſacras publicis ſubjicit H. Grotius *l. 3. de Jur. B. & P. cap. 5. §. 2.* conf. Ariſtotel. VII. *Pol. 10.* (3) Verum hoc non eſſe perpetuum, vel exemplo Romanorum docemur, qui, ut domeſtica ſacra, ita res quoque ejus generis habuerunt, accedente licet Pontificum auctoritate. v. Feſtus *voce ſacer.* Cicero *de Haruſpic. reſponſis.* Conf. *l. 9. §. 1. ad L. Jul. peculat. l. 24. D. de contrab. emtion.* Rebus ſacris, quæ Deo conſecrantur, affines ſunt eccleſiaſticæ, ut vulgò vocantur, quæ adjuvant potius & ſuſtentant divinum cultum, quàm immediatè ei inſerviunt. Ut erant decimæ in rep. Hebræorum. Ad ſacras etiam res apud Romanos aliquo modo accedebant loca religioſa, quæ mortui illatione fiebant à prædii cujusque domino. Horum loco apud Chriſtianos ſunt cœmeteria, de quibus ex profeſſo egit Onuphrius Panvinius *libro de ritu ſepeliendi mortuos apud veteres Chriſtianos & eorundem cœmiteriis.*

(1) Hippodamus apud Ariſtotelem II. *Pol.* 6. agrum dividendum cenſuit in ſacrum, publicum & privatum.

(2) Horatius de arte poeticâ:

Fuit hæc ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere.

(3) Neque verò, quod ſummus imperans diſponere de rebus ſacris poſſit, conſequens eſt, ſactas eſſe publicas. Nam circa privatas res major iisdem poteſtas competit, quas tamen à publicis diſtingui in propatulo eſt.

XXIII. Publicæ res ad univerſum civitatis corpus ſpectant. Hæ vel uſui omnium, qui ſunt de civitate, patent, ut viæ publicæ (v. *l. 24. pr. de damno infecto*) flumina apud multos populos ad piſcandum: vel capiti civitatis attributæ ab hoc in communes populi uſus derivantur. Ut ærarium, quod eſt pecunia ad uſus reip. deſtinata. Florus l. 3. hiſt. c. 13.

c. 13. *imperii patrimonium & reipublicæ nervos* insignivit. In hoc varia quidem, sed apud plerosque populos tributa & vectigalia inferuntur. Vectigalis vocabulum apud Romanos laxius sumebatur. v. Grotium *in spars. flor. ad l. inter publica de V.S.* (1) tamen apud bonos quoque auctores separatur à tributo, ut apud Tacitum *13. Ann. 50.* Est autem tributum pecunia, quæ tributim à singulis subditis, pro portione census solvitur. Habet varias species, vel antiquitati jam notas, vel solertiâ humani ingenii novioribus temporibus repertas. Vectigal verò est pecunia, quæ pro rebus importandis vel exportandis penditur. Cujus itidem variæ sunt species & nomenclationes. Cæterum ab ærario fiscus (domanium vocant juniores. v. de domanio & ejus alienatione Sande *l. 3. tit. 4. def. 1.*) interdum distingui consuevit, & denotat (2) bona Regi assignata, quorum proventu regiæ suæ sumtus toleret. v. omnino Pufendorf. *l. 8. c. 5. §. 8.* Ad res publicas hujus generis referas etiam commentaria reipublicæ, quæ in tabulariis (archiva hodie vocant) recondi solent. Præerat his apud Græcos magistratus, cujus principes dicti ἱερομνήμονες, ὑπομνήμονες, μνήμονες, vel aliis nominibus, teste Aristotele VI. *Pol. 8.*

(1) Planè ut apud Græcos quoque aliud est φόρος *tributum*, aliud τέλος *vectigal*. Favorinus apud Gellium: φόρος κυρίως τὸ ὑπὲρ ἰδίας ἰσοφορούμενης γῆς· τέλος δὲ ὑπὲρ ἐμπορίας συντέλεια. *Tributum propriè quod de terrâ cuique suâ penditur: vectigal quod de mercaturâ.* Hoc modo distincta reperies apud Strabonem tum libro II. Geograph. ubi de Britannia, tum libro IV.

(2) Hoc verus est. Servius ad Virgil. Æneid. XI.

Et campi quod Rex habet ipse Latinus,

Mos fuerat, ut viris fortibus sive Regibus pro honore daretur aliqua agri publici particula, ut habuit Tarquinius Superbus in Campo Martio: quod spatium ab Homero ὁ τέμενος dicitur. Hoc ergo quod Latinus de republicâ habuit, ab Ascanio

nio intelligamus esse promissum. Similiter Xenophon *de Republica Lacedæmonior.* scribit, Laconum Regibus aliquid præcipui agri (ἐξαίρετον γῆν) attributum fuisse. conf. Plutarchum *in Lycurgo.*

XXIV. Similiter res universitatis vel usum præbent omnibus illis, qui in universitate vivunt. Ut pascua, stadia, theatra, in quibus *quem quisque locum occupavit, quasi suum, dum occupat, facit.* ut Cicero loquitur *3. de finib.* quo pertinent etiam cœmeteria ex more apud Christianos populos recepto: vel ad universitatem, quâ universitatem sive corpus, pertinent. vid. *l. 7. §. 1. quod cujusque universit. nom. l. 1. §. 7. de quæstion.*

XXV. Res singulorum quæ sint, solo auditu intelligitur.

XXVI. A modo habendi res sunt vel corporales, quæ naturâ suâ tangi possunt; vel incorporales, quæ tangi non possunt. Illarum aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles: mobilium quædam pondere, numero vel mensurâ constant; quædam non. Ad incorporales jura referuntur, quæ non ineptè alia in re, alia ad rem esse dicuntur in jure Canonico. v. *c. 8. de conceff. præbend. in 6to & c. 40. de præbend. in 6to.* nam apud Romani juris auctores hæc partitio κατὰ λέξιν non reperitur. Jus in re est facultas homini competens sine respectu ad certam personam. Hujus præcipua species est proprium sive proprietas, *cujus alienandi penes eum, qui possidet, est potestas.* Ut optimè definit Aristoteles I. *Rhetor. 5.* Proprietati innexa est possessio, * si optimâ lege consideretur, ut in definitione Aristotelea. Minuunt verò eandem jus emphyteuticum, superficiei, feuda, servitutes, pignora, aut si quæ alia jura apud populos suadente utilitate introducta reperiuntur.

* Possessio enim præambula est dominii, sive ut Paulus

Jus cum Nervâ ait l. 1. de Acquir. vel amittend. poſſeſſ. *dominium rerum ex naturali poſſeſſione cœpit.*

XXVII. Cæterùm proprietas acquiritur vel originariè, puta occupatione; vel derivativè, ſc. acceſſione, de qua §. *19. & ſeq. J. de Rer. diviſ.* traditione, §. *40. J. d. t.* & uſucapione, quæ ob præſumtam dominorum negligentiam legibus multorum populorum introducta. V. totos titulos *Inſt. & Digeſt.*

XXIIX. Jus ad rem eſt facultas competens in aliam perſonam, ut nobis aliquid det vel faciat. Cui reſpondet ex parte debitoris obligatio; niſi eam vocem latius velimus accipere, ut totam inter creditorem & debitorem relationem contineat. Quam licet ad proprietatem quoque referre poſſimus, quatenus de ea, non minus quam de rebus corporalibus, liberè diſponere & alienando & retinendo nos poſſe conſtat. V. *tot. tit. D. de heredit. vel actione vend.* Tamen id hoc loco non conſideratur, ſed potius ad ipſum debitorem reſpectus habetur; ceu contra quem obligatio poteſtatem creditori tribuit nullam, niſi perſonali actione ipſum conveniendi. v. *l. 3. D. de Obl. & Act.* Cæterum jus ad rem Romani JCti oriri dicunt ex contractu vel delicto; qua in re conſentientem habent Ariſtotel. *5. Nicom. circa extrem.* Quod verò iidem contractus in innominatos & nominatos; hos in reales, literales, verbales, conſenſuales diſtingui docent, ex diſciplinâ reip. in quâ ſcripſerunt, eſt depromptum: quemadmodum & illud, quod pacta à contractibus firmitate obligationis diſcriminari tradunt: Nam jure naturæ certiſſimum eſt, ex pactis quoque proficiſci actiones, ſive facultatem alterum conveniendi ex promiſſô; & differentia pactorum à contractibus, ſecretâ lege civili, rectius ab objecto petitur cum Pufendorf. *l. 5. de jur. nat. & gent. c. 4. §. 4.* ut contractus vocentur, qui

qui versantur circa res & actiones in commercium venientes, adeoque dominia & pretia rerum, sive causam (ut à JCtis Romanis insignitur) præsupponunt: quæ verò circa alia ineuntur conventiones (v.g. quibus constituitur civitas, item de matrimoniô, de pace & remittendis injuriis & similes) communi pactorum nomine censeantur. Cui consequens est, pacta fere cum genere humano incepisse: & contractus humanæ indigentiæ & necessitatis impulsu invaluisse. Et primùm quidem ante nummi inventum in usu fuit permutatio. v. Aristoteles I. *Pol. 6.* Postmodum alii provenerunt. Cæterum à pacto differt pollicitatio; secundum * Ulpianum in *l. 3. D. de pollicitat.* Adde de variis contractuum speciebus Grotium *l. 2. de Jur. B. & P. c.* 12. & Pufendorf. *d. l. 5. c. 2. & seqq.*

* Quem malè carpit eruditissimus alioquin Aristotelis interpres Montecatinus *ad l.* 1. *Politicor.*

XXIX. Inter jura in re & ad rem datur interjectum aliquod & ex utroque, si non semper, certè ut plurimum constans. Exemplo sit hereditas, quatenus universitatem quandam juris significat, & sine administratione vix esse potest, propterea que heredi contra possessorem illius universitatis actio ex reali sc. & personali mixta, quæ petitio hereditatis vocatur, competit. Acquiritur autem hereditas vel testamento, vel ab intestato. Huc pertinet etiam communio, quatenus positivè consideratur. v. §. *20. J. de Action.*

XXX. Fusius hæc persequi non patitur instituti nostri modus; ne tamen contra morem aliorum prorsus præterirentur, commovit præcipuè; quod in parte rectoria sæpe quæratur: Melior sit communio, an proprietas? hæc libera an restricta? quos modos acquirendi dominium vel hæreditatem admitti

mitti expediat? item an ex uſu ſit, in quibusdam contractibus uſurarum nomine quid præſtari? & multa ſimilia. In quibus profectò ſine tractatione hac multa otiosè repeti, ſæpe etiam ordinem turbari neceſſum eſſet. Et rectè Ariſtoteles I. *Pol. 6. De omni poſſeſſu bonorum & ratione pecuniaria inſtituto ſibi modo tradendum eſſe exiſtimavit.* Ante Ariſtotelem Plato quàm multa *libro de Legibus XI.* in modis acquirendi & contractibus compoſuit legibus? Fateor de tallbus etiam Jurisconſultos agere, verùm quatenus diſpiciunt, quid circa ea juſtum ſit.

SECTIO SEXTA.

DE SUMMA POTESTATE, & SUBJECTIONE.

I. TRanſtio & ſeries dicendorum.

II. SUMMÆ POTESTATIS SYNONYMIA. Inſignitur ea hodie contra Romanorum morem *majeſtas*, *jurisdictio*, *merum imperium*; *magiſtratus.*

III. DEFINITIO Ariſtotelis, Grotii, & Auctoris.

IV. DIVISIO *prima & ſumma*, *in regularem & irregularem.*

V. *Secunda* à ſubjecto in *perſonalem & realem*, quæ examinatur.

VI. *Tertia* ab objecti qualitate, in *ordinariam & extraordinariam.*

VII. *Quarta* ab objecti quantitate, *in uſufructuariam & patrimonialem.*

IIX. *Quinta* à forma accidentali; *in perpetuam & temporariam*, de cujus exemplis diſquiritur.

IX. Appendix ad præmiſſas partitiones pertinens.

X. AN detur ſumma poteſtas.

XI. ORIGO ſummæ poteſtatis.

XII. Occaſio.

XIII. Et modus generationis. Unde ſumma poteſtas æſtimanda.

XIV. FINIS, ſalus imperantium & ſubditorum promiſcua.

XV. SUBJECTUM, Unus, pauci, omnes.

XVI. Ap-

XVI. Appendix quæſtionum quarundam, quæ in jure publico rectius tractantur.
XVII. OBJECTUM, jura majeſtatis, eaque majora vel minora.
XIIX. Majora diſpeſcuntur in ſuas ſpecies.
XIX. FORMA ESSENTIALIS eſt ſummitas.
XX. FORMA ACCIDENTALIS conſiſtit in titulis, ſymbolis, & ſimilibus.
XXI. CAUSA EFFECTRIX, cives.
XXII. SUBJECTIONIS DEFINITIO.
XXIII. ORIGO, &
XXIV. Modus generationis.
XXV. FINIS.
XXVI. SUBJECTUM, ſubditi.
XXVII. OBJECTUM.
XXIIX. FORMA.
XXIX. EFFECTRIX.

§. I.

SEquitur forma civitatis, quæ eſt vel eſſentialis, vel accidentalis. Illam rurſus in totalem & partialem partiri poſſes, ſicut in homine alia forma eſt totius corporis, anima ſc: alia oculi, vel pedis. Forma eſſentialis totalis conſiſtit in unitate pacto primo, ut ſupra diximus, compactâ: *cum civitas aliud non ſit, quam concors hominum multitudo*, ut Auguſtin. 1. de Civit. Dei c. 15. ait, & amicitia ſit μέγιστον τῶν ἀγαθῶν ταῖς πόλεσι, *maximum bonorum civitatibus* Ariſtot. *II. Pol. 2.* v. & Xenophontem *l. 4. memorabil. p. 169. Arctiſſimum atque optimum omni in republicâ vinculum incolumitatis, quæ ſine juſtitiâ nullo pactô eſſe poteſt.* Cicero apud Auguſtinum l. 12. de Civit. Dei c. 21. Cujus & illud eſt: *Da unum & populus eſt: tolle unum & turba eſt.* Hanc unitatem ſive concordiam conſervat Respublica, proles ſecundi pacti: ἡ γὰρ πολιτεία βίος τις ἐστι πόλεως. *Reſpublica namque vita eſt quædam civitatis.* Ariſtot. *IV. Pol. 11. Anima*, Iſocrat. in panathenaic. & in Areopagitico. *Forma*, Livio l. 3. c. 33. & alibi. Eſt autem πολιτεία ſive respublica (nam hæc ſynonyma ſunt, quicquid dicat Jul. Cæſ. Scalig. *3. Poetic. c. 120.*)

c. 120.) τῶν τὴν πόλιν οἰκούντων τάξις τις, ordo quidam civitatem inhabitantium. Ariſt. *III. Pol. 1.* Cujus & illud eſt *in d. libr. 3. c. 4.* ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις, τῶν δὲ ἄλλων ἀρχῶν, ἡ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. *Eſt reſpublica ordo civitatis, cæterorumque imperiorum, & maximè illius, in quô ſumma rerum eſt:* conf. *IV. Pol. 1. in calce & c. 3.* Reſpublica igitur ex ſummâ poteſtate & ſubjectione componitur, & πᾶσα πολιτικὴ κοινωνία συνέστηκεν ἐξ ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων, *omnis ſocietas civilis ex iis qui imperium habent, & ex iis, qui parent, conſtat:* Ariſtot. *VII. Pol. 14.*

II. Summa poteſtas apud veteres diverſis nominibus inſignitur, ſumma rerum, ſummum rerum judicium, ſumma fortuna, ſummum imperium; à Cicerone & aliis interdum dicta ditio. Servius ad I. Æneidos Virgilii: *ditione, id eſt, poteſtate: omnis enim poteſtas dictis conſtat, id eſt, imperio.* Juſtin. 1. hiſtor. c. 8. *Nec aliud ditionis Athenienſium præter urbem ipſam reliquit.* Græcis eſt τὸ κύριον, κυριεῦον τῆς πόλεως, ἄκρα ἐξουσία, κυρία ἀρχὴ, ἡ πρώτη ἀρχὴ, κύριον πολίτευμα. In civitatibus polycraticis libertas: quo pertinet illud Taciti initio Annalium: *Urbem Romam à principio Reges habuere: LIBERTATEM & Conſulatum L. Brutus inſtituit.* Et de morib. Germ. *c. 37. Regno Arſacis acrior eſt Germanorum LIBERTAS.* Cato apud Lucanum:

Tuumque
Nomen LIBERTAS & inanem proſequar umbram.

Theſeus apud Euripidem *Supplicibus:*

ὃ γὰρ ἄρχεται
Ἑνὸς οὐδὲς ἀνδρὸς ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις.
Non enim regitur (hæc urbs)
Ab uno viro, ſed eſt libera civitas.

Unde civitates, quæ à pluribus reguntur, non rarò

appellantur liberæ. Apud recentiores frequentiſſimè majeſtas, interdum jurisdictio vel merum imperium audit. Planè Romani majeſtatis voce dignitatem, ſplendorem & magnificentiam, etſi non ſummæ conditionis perſonarum, ſignabant. Hinc Suetonius *in Tiberio c. 30. Quin etiam*, inquit, *ſpeciem libertatis quandam induxit, conſervatis Senatui & magiſtratibus, & majeſtate priſtina & poteſtate.* Cicero *contra Piſonem* dixit: *majeſtatem Conſulatus.* Plinius *l. 8. ep. 6. majeſtatem Senatus & judicum.* JCti *in l. pen. de juſt. & jure l. 9. de jurisd. majeſtatem Prætoris.* Alibi legas matronalem majeſtatem, orationis, nummorum & ſimilium rerum. In civitate autem non ſemel Cicero *l. 2. de oratore, in partit. orator. & alibi, amplitudinem ac dignitatem civitatis*, item *imperii dignitatem* definivit. Hodie tamen ex uſu antiquo retentum eſt, quod exilibus civitatibus majeſtatis vocabulum non tribuatur. Iisdem Romanis jurisdictio erat poteſtas jus dicendi in cauſis civilibus, alterius auſpiciis exercenda. v. *l. 1. l. 4. cui mandat. eſt jurisd. l. 2. de jurisd.* Niſi quod Seneca *1. de clem. 1.* laxiore & ſummum imperium comprehendente ſignificatu utitur, quando ſub perſona Neronis dixit: *Romanos ſub ſua jurisdictione eſſe.* & Cicero 2. Agrar. *Romanos ſub jus, jurisdictionem, poteſtatem ſuam, omnes nationes, provincias, terrarum denique orbem ſubjugaſſe.* (1) Verùm, Accurſio auctore, idolo quondam Jurisprudentiæ, inolevit vulgo, ut jurisdictionis vocabulum ad quamlibet poteſtatem, ſive ſummam ſive inferiorem, produceretur. *Arcano quodam conſilio illorum* (ſi vera eſt conjectura H. Conringii *p. 1. ad Lampad. §. 52.*) *qui legum peritiâ ſolos ſe juri dicundo aptos arbitrati, omnia reip. negotia prætextu jurisdictionis commiſſa voluerunt ſibi arrogare.* Placuit hæc notio etiam H. Gro-

H. Grotio *l. 1. de jur. Bell. & P. c. 3. §. 1. & l. 2. c. 7. §. 27. c. 20. §. 40.* aliisque eruditis. Quod autem jurisdictionis, idem & meri imperii fatum fuit: Etenim cum Romani voce hac publicam & ſpeciali lege datam Magiſtratibus quibusdam in cauſis criminalibus jus dicendi, inque reos criminum animadvertendi poteſtatem denotarent, Interpretes eandem ad poteſtatem etiam ſummam extenderunt. (2) Hinc Bartolus & alii confiſcationes, occupationes bonorum vacantium, poteſtatem condendi ſtatuta, vectigalia imponendi, & ſimilia ad merum imperium retulerunt. V. Klock. *1. conſ. 8. n. 115. ſequ.* Fern. Vaſquius 1. *Contr. illuſtr. 4. n. 1. & l. 4. c. 1. n. 1.* Regna & Principatus nihil aliud eſſe quam merum imperium dixit. Magiſtratus autem erant, qui ad jus reddendum de cauſis civilibus & privatis publicâ autoritate conſtituti, interdum ex ſpeciali conceſſione merum imperium habebant. (3) Quanquam & hoc vocabulum ſummis poteſtatibus hodierno uſu applicari ſoleat. v. Vaſq. *d. l. præfat. n. 123. l. 1. c. 1. n. 18.* Bœcler. *l. 14. Notit. Imp. c. 1.*

(1) Adde, ſi libet, quæ dixi diſſertat. *de Superioritate territoriali § 2.*

(2) Idem Bartolus *ad l. 3. de jurisdict. n. 81. ſequ.* ſex meri imperii gradus conſtituens, in primo collocavit poteſtatem legum ferendarum. Adde Zaſium *ad d. l. 3.* Sutholt. *de jurisdictione § 396.*

(3) Hinc Alvarottus, Baldus, & alii Principem appellant ſummum magiſtratum. Bartolus & alii, magiſtratus in quinque ordines diſtribuentes, in primo ponunt ſuperilluſtres Papam & Imperatorem. v. Sutholt. *de jurisdict. §. 183.*

III. Τὸ κύριον definit Ariſtot. *III. Pol. 4.* Παντα χοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως, *imperium in civitate ubique*; ſive, ut Tacitus loquitur, *regimen in omnia civitatis.* Grotius l. 1. de jur. B. & P. c. 3. §. 7. *cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humanæ*

arbitrio irriti possint reddi. Quæ definitio, etsi nonnullis displiceat, facile defendi potest. Nam in rebus se mutuo respicientibus, qualis haut dubiè est summa potestas, etiam negativas circumscriptiones admitti constat; & qui eremitarum aut Adami, primi orbis incolæ, exemplum objiciunt, non cogitant de civitate heic sermonem esse. Nos & hanc addimus: *Est facultas eminens ordinandi civitatem cum omnibus suis partibus ad suum finem.*

IV. Quod autem de vocabulo civitatis supra diximus, esse πρὸς ἓν ἢ ἀφ' ἑνὸς, seu analogum, ut vocant, æquè ad summam potestatem pertinet. Ergò summa quoque potestas primæ vel secundæ classis, sive, ut cùm aliis loquar, regularis vel irregularis erit, & de illa datam definitionem potissimum intelligi oportebit.

V. Solent multi à subjecto summam unius potestatem in personalem & realem partiri; illam personæ imperantis, hanc universæ civium multitudini inhærere asserentes. V. Auctorum nomina apud Cellarium *l. 2. politic. c. 7. §. 18.* add. Limnæum *ad Capit. Imp. Rudolph. 2. art. 32.* Carpzov. *de Lege Reg. c. 13. sect. 1.* D. Schutzium 1. *Disp. jur. publ. 3. §. 2.* Verum ut omittam, niti hos falso proposito, quâsi ex naturæ instituto summum imperium penes populum esse semper debeat; si binæ in una rep. ponuntur potestates, necessum foret, in singulis diversas quasdam reperiri proprietates, quibus inter se discriminentur; tum summam unam fore, alteram non summam: quorum neutrum convenit primi ordinis sive regulari majestati. Appositè Seneca ep. 85. *Quod summum est, adjectionem non recipit: Quid enim supra summum erit?* Adde, rei unius nonnisi unam formam esse, essentialem sc. qualis est summa potestas. Fateor quidem in iis, qui reguntur, jus aliquod exiſtere

exiſtere interdum poſſe: Sed non propterea jus illud majeſtatis realis nomine inſigniendum puto. v. Houtuyn. *not. polit. gen.* §. *98. n. 2.* * Largior quoque in nonnullis ſecundi ordinis civitatibus v. g. mixtis, Achaicis, clientelaribus, aut quocunque nomine appellentur, duplicem quaſi ſpeciem ſummæ poteſtatis occurrere. Quo reſpexit Georg. Hornius *in Ulyſſe peregrin. l.* 1. in παμβασιλεία penes Regem utramque majeſtatem eſſe. An autem realis una, altera perſonalis ob id rectè nuncupetur, omnino ſubſiſtas.

* Vide de Imperio Romano Germanico D. Schilter. *l.* 1. *Inſtit jur. publ. tit.* 19. §. 13.

VI. Porrò ſummam, poteſtatem nonnulli in ordinariam & extraordinariam ſive abſolutam dividunt. V. Cravetta *conſ.* 296. A. de Petra *de poteſt. Princ. c.* 4. *c.* 9. Jacob. Omphalius *de funct. Princ. l.* 2. *cap.* 2. Verùm abſolutam poteſtatem non agnoſcunt Covarruv. *l.* 3. *var. reſolut. cap.* 6. *n.* 8. Fern. Vaſquius *l.* 1. *controv. illuſtr. c.* 5. *n.* 15. *ſequ. c.* 26. *n.* 18. *ſequ.* alii apud Struvium *c.* 5. *Syntagm. feudal. aphor.* 6. *num.* 4. Nobis ſe probat diviſio hæc, ſi rectè explicetur. Nam aliqua ſummæ poteſtatis negotia ſunt aſſidua ſive ordinaria; aliqua, ut Senecæ *ep.* 66. verbis utar, in materiâ infelici expreſſa, quæ ob imperioſas neceſſitatis rationes extraordinariæ poteſtati locum faciunt. Hanc θεσπικὴν poſſis appellare. Alii rationem ſtatus vocant. ut ſupra diximus *in prædia* §. 2. H. Grotio audit dominium * eminens ſive ſupereminens, ſocietati civili in partes & res partium (ſub quibus etiam actus & jura continentur) boni communis cauſſa competens. V. *l.* 1. *de jure B. & P. c.* 1. §. 6. *& l.* 3. *c.* 1. §. 15.

* Hæc duo mavult diſtinguere D. Schilterus *de jure obſid. c.* 2. *ad n.* 7. *& c.* 8. *manuduct. philoſoph. moral. ad juriſprud.*

§. 71. dominium eminens reip. civili, ſupereminens herili attribuens.

VII. Poſſes etiam ab objecti latitudine vel anguſtiâ ſummam poteſtatem (1) in uſufructuarium & patrimonialem diſtinguere. Hæc alienabiliter habetur, velut privatum ſummi imperantis patrimonium. V. Grot. *l. 1. de jur. B. & P. cap. 3. §. 12.* Illa alienari nequit; quemadmodum vox uſusfructus innuit, (2) quæ hactenus & non aliter in ſummas poteſtates quadrat. Verùm hæc diſtinctio, etſi frequenter in regnis occurrat, vix invenitur in civitatibus polycraticis, præterquam ubi ſunt diſſimilares, de cujus generis rebuſpubl. infra in loco diſſeretur.

(1) Hobbeſius *part. 2. du corps politique. ch 2. §. 11.* non agnoſcit hanc diviſionem, imperia omnia patrimonialia ſtatuens. Perperam: quoniam ſine jure alienandi populum civitas ſalva eſſe poteſt

(2) Quod verò Bodinus *introduct. in notit. rerump. c. 28. § 3.* negat, dominium & proprietatem manere penes populum; reſponderi poteſt, libertatem, quæ loco proprietatis eſt, inesſe populo, quatenus hic pacto primo eſt colligatus; & eam in ſummum imperantem non tranſtulit. Huberus *l. 2. Publ univerſ. c. 16 §. 28.* maluit cum jure mariti in re dotali, aut heredis fiduciarii in re fideicommiſſo obnoxia, comparare.

IIX. Rectè etiam ſumma poteſtas diſtinguitur in perpetuam & temporariam. Nam quod Bodinus ejusque ſectatores negant, ſummam poteſtatem certo includi poſſe tempori, non habet rationem, ſi modò cætera rectè ſeſe habeant. Equidem ſi de dignitate, quæ majeſtas veteribus dici ſolebat, quæratur, dubium non eſt, quin major ſit in eo, cui jus perpetuum datum eſt, quam cui temporarium, quia ad dignitatem facit habendi modus. Verùm ad naturam poteſtatis immutandam duratio nihil valet. Ut locum heic habere poſſit illud Pauli

l. 66.

l. 66. de Rei Vindicatione. *Non ideo minus rectè quid noſtrum eſſe vindicabimus, quod abire à nobis dominium ſperatur, ſi conditio legati vel libertatis extiterit.* In exemplis tamen inveniendis difficultas non parva ſuboritur. Grotius *l. 1. c. 3. §. 11.* Dictaturam Romanorum huc adfert, nec diſſentit H. Conringius *p. 2. ad Lampad. §. 8.* ſi Dictatura, ut erat optimâ lege, conſideretur. Contra id factum nollent Bœclerus, Pufendorfius, &, qui hoſce profert, D. Obrechtus *diſſert. de extraord. populi Rom. Imper. §. 39.* quia Dictatoria poteſtas, ſi detractâ larvâ res inſpiciatur, nonniſi fiduciaria fuerit. Ego ſubſiſto. Quanquam veteres cum Grotio idem ſenſiſſe videam. Nam Dionyſ. Halicarnaſſ. *l. 5. Antiqu. Rom. p. 331.* de Dictatore Largio dicit: πρῶτος ἐν Ῥώμῃ μόναρχος ἀπεδείχθη πολέμου δὲ καὶ εἰρήνης καὶ παντὸς ἄλλου πράγματος αὐτοκράτωρ. Ibidem docet: Dictatoris nomen non æquaſſe magnitudinem poteſtatis, quam habuerit. Ἐστὶ γὰρ αἱρετὴ τυραννὶς ἡ δικτατωρία. *Nam electitia quædam Tyrannis eſt Dictatoria.* Addit: Ideo hoc nomen inditum, ne odioſo vocabulo cives Romani offenderentur. Similes Dictatoribus in Italiæ Civitatibus ſequioribus temporibus fuerunt Poteſtates dictæ, eamque functionem habentes ſummo jure in rebus bellicis pariter ac civicis imperabant. V. Carolus Cangius *gloſſar. voce poteſtas.* Aliud exemplum ponit idem Grotius *d. l.* in tutoribus, vel curatoribus regni, qui ita conſtituuntur, ut populo non ſubſint. Quo nomine dicam ei ſcripſerunt Bœcler. & Ziegler. *in comment.* D. Schüz. *v. 1. ℣. P. Ex. 3. §. 11.* Becman. *D. 12. medit. Pol. §. 10.* Verùm ſalva res eſt: nam Grotius non de omnibus tutoribus Regum pupillorum loquitur, ſed de quibusdam, qui ſummam ſc. auctoritatem à populo acceperunt, usque donec in ſuam tutelam pervenerint regii pupilli.

pilli. De quibus in annotatis Michaelis Palæologi exemplum ex Nicephoro Gregorâ adducit. Et aliud Johannis Briennenſis Exregis Hieroſolymitani, qui Balduino II. Imp. Hieroſolymitano conſtitutus tutor, extat apud Carolum Cangium *l. 3. Hiſt. Gallo-Byzantinæ.* Aliud Odonis (ſive Eudonis, ut quidam vocant) Burgundiæ Ducis, Caroli Simplicis tutelâ à Gallis donati, atque, ut majore auctoritate regnaret, in Regem coronati, apud Buſſier. *l. 6. Hiſt. Franc. p. 467.* conf. laudatum Cangium *in Gloſſario voce heredes.* Neque aliâ ratione Philippus Germanicum ſuſcepit Imperium, quandoquidem jam à patre Henrico VI. Fridericus trimulus adhuc Rex conſtitutus erat, ut apertè prodidit Abbas Urſpergenſis *in vitâ Philippi.* conf. Godofridus Monachus *ad A.* 1196. Exemplum Optimatum temporariorum ex Friſia nuper nobis protulit D. Huber. *l. 1. J. P. univerſ. c.* 16. §. *48. & c. 37.* de quo ipſe viderit. v. Temple Remarques *p.* 211. Cæterum ex hiſce judicium ferri poteſt, an rectè dixerit Hobbeſius *in Liviath. c.* 19. *& part. 2. du corps politiqu. ch. 2. §. 9. &* 10. reges electivos non habere ſummam poteſtatem. * Quod ante ipſum multos alios quoque exiſtimaviſſe notat H. Grotius *l.* 1, *de J. B. & P. c. 3. §.* 10. *n. 5.* & rectè refutat. Nam ſucceſſio quoque quondam ab electione cœpit; & Reges ſanguinis jure ad imperium pervenientes non ſummos eſſe poſſe, exemplo Regum apud Lacones conſtat. Agatarchides de rubro mari ex interpretatione Laur. Rhodomanni de Sabæorum Rege: *Rex toti genti imperans prærogativam habet in conſeſſu à populo ſcitam, quâ honore ſuo præditam, quâ muneris omnino expertem. Honore enim Regem dignantur, qui multis imperitat & libero quæ decuerint arbitrio agit, nulli ſubjectus cenſuræ: exſors vero eſt & quoli-*

bet

bet privato inferior quod accepta regni cura regale egredi palatium ei nefas. Secus si fiat lapidibus à populo obruitur. Ita enim antiquum jubet oraculum. Non minus hinc sequitur, legem commissoriam, cujus exempla memorat Bœclerus *ad 1. H. Grot. c. 3.* §. 16, non obstare, ut ne summum sit imperium. Nam hæc pura est imperii traditio, licet sub conditione, quam resolutivam vocant JCti, resolvatur, & quidem volente summo imperante, in cujus potestate erat, conditionem accipere. Diodorus Siculus ex Athenæo refert Semiramidem petiisse à Nino summam potestatem per triduum eaque impetrata, assumtis insignibus regiis, eâ ita usum, ut ipsum Ninum in carcerem conjectum interfecerit. Quod sive verum sive fabula sit (nam aliter narrat Xenophon) liquet, ad breve tempus posse in aliquem transferri summam potestatem.

* Atque hinc, nisi fallor, est, quòd Aula Romana Reges, qui nascendo regnum accipiunt, electis præferat, & his Serenissimi tantum det titulum, illis insuper Potentissimi. V. H. Grotius *ep.* 839. 821. 899. Ex eodem quoque principio Galli regno suo prærogativam quærunt. V. Matth. Parisiens. *ad A.* 1239.

IX. Poterant hæ summarum potestatum differentiæ fusius explicari. Verùm instituto nostro ista sufficiant: quandoquidem in jure publico universali, ubi ad multas illationes opus est illâ doctrinâ, professâ operâ de hac re tractandum est.

X. Nunc de quæstione, an res sit? dispiciemus: quò pertinet etiam origo rei, occasiones, & modus nascendi. Esse summas potestates nemo unquam dubitavit, &, si destitueremur experientiâ, ratio ipsa doceret. *Quacunque enim è pluribus constant, & fiunt unum aliquod commune, sive è continuis sive ex sejunctis, in cunctis conspicitur & quod imperat &*

quod pàret. Ut bellè differit Ariſtotel. I. *Pol. 3.* Et Cicero *Lib. 3.* de Legib. init. *ſine imperio*, inquit, *nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.*

XI. Origo ſummæ poteſtatis eadem eſt, quæ civitatis. Ut ex ſupra dictis facile liquet. Quo pertinet elegantiſſimus Ovidii locus *lib. 5. Faſtorum.* Fingit enim ex honoris & reverentiæ conjugio ortam eſſe majeſtatem, cum antea nec ætatis nec dignitatis haberetur ratio, ſummaque imis eſſent permixta.

Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis impoſuere toris:
Hinc ſata Majeſtas, quæ mundum temperat omnem,
Quaque die partu eſt edita, magna fuit.

& paulò inferius.

Protinus intravit mentes ſuſpectus honorum:
Fit pretium dignis: nec ſibi quisque placet.

l. 3. faſtor. dixerat:

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet.

XII. Occaſio non una fuit. Cicero 2. de Officiis: *Subjiciunt ſe homines imperio alterius & poteſtati pluribus de cauſis. Ducuntur enim aut benevolentiâ, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantiâ, aut ſpe ſibi id utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis promiſſionibusque capti, aut poſtremò, ut ſæpe in noſtrâ rep. videmus, mercede conducti.* conf. Ariſtoteles V. *Pol.* 10. unde hic Ciceronis locus exemplis illuſtrari poteſt.

XIII. Modus generationis fit per pactum, de quo itidem ſupra *ſect. 3.* §. 7. Eſt autem pactum illud fundamentum & quaſi primum principium, unde ſummam poteſtatem præcipuè oportet æſtimari: nam reliqua v. g. adminiſtratio, leges, tituli, inſignia,

gnia, cum similibus, externa sunt, & non rarò imperitos fallunt, vel certè non rarò in causâ sunt, ut dubitetur, ad quam reipublicæ speciem hæc vel illa civitas referri debeat. v. & Polyb. *l. 6. c. 9.* Ita Plato ipse IV. de Legibus: *Lacedæmoniorum respublica quô nomine sit appellanda, non facile possum dicere: Ephori enim ibi mirum in modum tyrannicè imperant: nonnunquam tamen præ cæteris civitatibus populari gubernationi apparet simile. Negare autem eam esse Optimatum rempublicam, est omnino absurdum. Regnum quoque in eâ perpetuum.* conf. Aristotelem *II. Politic. 4.* v. tamen Polyb. *l. 6. c. 43. 44.* Contra Laconicam cum Creticâ, Mantineâ & Thessalia, inter aristocratias refert Maximus Tyrius, *oratione 6. quæ de rebusp. est.* conf. Nicol. Cragium 1. *de Rep. Lacedæmon. c. 4.* At mihi valdè placet quod Isocrates *in Panathenaico* dixit: Lycurgum instituisse democratiam aristocratiâ temperatam. Sanè Plutarchus *in Lycurgo* ex Lycurgi instituto populo tribuit potestatem repudiandi aut acceptandi decreta senatus, senatores legendi & magistratus creandi. Aristoteles etiam testatur. IV. *Pol. 9.* præter multa instituta popularia, populum Senatores eligere & Ephoros, & hos quidem ex universâ multitudine. Secutis temporibus jus vocandæ concionis, quod ex instituto Lycurgi tantum penes Regem & Senatum fuit. (v. Plutarchum *in Agide*) ad Ephoros translatum fuit, Pausaniâ teste: v. apud Livium *l. 34. c. 31.* In concione autem actum de legibus, si quæ ferendæ, de bello, pace, fœderibus & aliis rebus summis. Cæterum oligarchicum haud dubiè temperamentum fuit, senes fuisse magnorum judiciorum dominos tota vitâ, jus vitæ & necis habuisse & alia id genus, nec rationes reddidisse, etsi multa sordidè & ambitiosè decrevissent. Quæ omnia prodidit Aristote-

ſtoteles II. *Pol.7.* & IV. *Polit.9.* Eadem ratio fuit Cretenſis reipublicæ, cujus conſtitutionem Laconicæ reſpondere dixit Ariſtoteles II. *Pol.8.* & Polybius *l.6.hiſtoriar.* δημοκρατικὴν ἔχειν διάθεσιν *ſtatum popularem referre.* Quanquam temperamentis quoque non caruerit, & juxta Plutarchum *in Agide* mixta fuerit ex arbitrio populari regioque, in quâ regimen penes Optimates, maximarum rerum poteſtatem habentes, exiſteret. Conf. Meurſium *l.3. de Cretâ c.8.* Carthaginenſium quoque reſp. popularis fuit, quanquam ob temperamenta de ejus ſtatu diverſè ſcripſerint veteres. v. Ubb. Emmium *deſcript. Reip. Karthaginenſ. ab init.* v. & Polyb. *d.l. c.49.* Quarè facilioris doctrinæ cauſa ſequentes obſervationes, uſui hac in re maximo futuras, præſcribemus. *PRIMA eſt:* Adminiſtratio ſæpe differt ab interiore poteſtatis conſtitutione. Sic Prudentes notant; nullam hodie oligarchiam vel democratiam ſubſiſtere poſſe, niſi illa ſpeciem Principatus, hæc ſpeciem oligarchiæ induat. Ariſtoteles IV. *Pol.12.* & *VI. Pol.1.* Idem poſtquam notaverat III. *Polit.11.* Regnum Laconicum νόμων ἔχειν μᾶλλον εἶδος, ἢ πολιτείας *non reip. ſed inſtituti ſpeciem habere.* ((1) Reges quippe Spartani honoribus domi cumulabantur, ſed nervis imperio regio inciſis) ſapienter addit: ἐν ἁπάσαις γὰρ ἐνδέχεται γίγνεσθαι τοῦτο ταῖς πολιτείαις. *In omnibus enim rebuspublicis hoc fieri uſu venit.* (2) Hinc diſtinctio Bodini, quem plerique juniores ſequuntur, licet eam alii rejiciant, v. Grot. in excerpt. *p.872.* inter ſtatum civitatis & adminiſtrationem, magni utique eſt facienda. V. Severinus *de ſtatu reip. Germ. c.6.§.4. Huic ſimilis eſt obſervatio ſecunda:* Summam poteſtatem ex legibus non eſſe dijudicandam. Πρὸς γὰρ τὰς πολιτείας τὰς νόμους τίθεντες πάντες, ἀλλ' ὑπὸ τὰς πολιτείας

ὡς

πρὸς τὰς νόμους. ait Aristot. IV. *Pol. 1.* circa extr. *Ad respublicas enim leges scribunt omnes, sed non respublicas ad leges.* Et interdum leges aliud significant, aliud usu obtinet. Quod post conversiones rerump. maximè fieri, idem Philosophus IV. *Pol. 5. in fin.* sapienter animadvertit. *Non enim subitò,* inquit ille, *mutantur, sed modica decerpentes amant prima.* Apud Thucydidem l. 2. histor. de Periclea Athenienſium tempestate jactatur: Ἐγίγνετό τε λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή. *Verbo quidem status popularis, re autem vera penes virum in civitate principem summa rerum erat. Tertia est:* A vocabulis & insignibus iusirmum esse argumentum ad vim imperii. Sic apud Romanos Principatus frequentissimè inferius quid regno signat, & tamen Augustus, ut populo fucum faceret, Regis remittebat nomen, quod ex superbia in invidiam venerat. Appianus Alexandrinus præfatione in Romanas historias. *C. Cæsar, ubi principatum suum constabilivit, speciem quidem reip. nomenque reliquit, sibi tamen imperium in omnes usurpavit: & sic in hodiernum uni parent omnia: quem non Regem dicunt, propter religionem opinor jurisjurandi veteris, sed Imperatorem nominant. Quæ appellatio communis est eorum etiam, qui ad certum tempus præsunt exercitibus: sed revera omnino Reges sunt.* Contra aliquando regna fuere appellata, quæ non nisi Principatus erant. H. Grotius l. 3. hist. Belgic. ad A. 1594. de gentibus Transrhenanis, quæ Amasio includuntur earumque Regibus, quos olim habuere. *Neque id nomen infinitæ potestati; sed quomodo per omnem Germaniam summum arbitrium penes plebem & Principes erat:* De Burgundiæ Rege Ditmarus *l.* 7. (3) Talia olim regna in Germaniæ & Scythiæ populis: nam ut Procopius I. Gothicor. observavit: *Barbari Du-*

ces

ces ſuos Reges vocabant. Tales & olim in Italiâ Reges ſub aliorum Regum imperiis, ut auctor Servius *ad X. Æneidos.* Sic apud Æſchylum in Perſis:

Βασιλεῖς βασιλέως ὕποχοι μεγάλε.
Reges Regis magni ſubices.

Sic Evagoras Cypri Rex ſub Persâ fuit, Porus & Taxiles Reges ſub Alexandro. v. Grotium, 1. *de jure B. & P. c. 3. §. 10.* Idem in aliis quoque nominibus uſu venit. Optimè Polybius *l. 6. Hiſtor. ab init.* συμψεύδονται καὶ συγχρῶνται πάντες οἱ μόναρχοι, καθ' ὅσον ὅτοι τ' εἰσὶ, τῷ τῆς βασιλείας ὀνόματι. *Monarcha quivis, Tyranni quoque, quantum poſſunt, ementito regni nomine abutuntur.* (4) Ariſtoteles IV. *Pol. 7. Reſpublicas ad oligarchiam declinantes magis appellare ſolent ariſtocratias.* Conf. eundem III. *Pol. 3. de voce civis.* Auguſtinus 19. de civitat. Dei c. 16. *Iniqui etiam Reges ſe patrumfamilias nomine appellari gaudem:* Tertullianus: Gratius eſt pietatis nomen quam poteſtatis; etiam familiæ magis patres, quam domini vocantur. Veriſſimè Procopius *Vandalicorum I.* ubi agit de voce Fœderatorum, ex verſione Grotii: *Longa dies non ſolet ſervare voces in quô primum repertæ ſunt ſenſu; dum pro ſuo arbitratu res ipſas immutant homines, quibus ea primum vocibus nuncupatæ ſint, nihil ſolliciti.*

(1) V. Nicol. Cragium *l. 2. de Rep. Lacedam. cap. 1.* His ſimilis Dux Venetorum, quem St. Disdier de la Ville & Rep. de Veniſ. part. 2. vocat, *un veritable fantome & un embre de Prince.*

(2) Differunt enim fere, ut apud Romanos JCtos poſſidere & eſſe in poſſeſſione: quorum illud juris, hoc facti eſt.

(3) Complura quoque ſub Romano Imperio. *Romani inſtrumenta ſervitutis etiam Reges habebant,* ait Tacitus *in Agricolâ c. 14.* & de Marcomannorum Regibus *de morib. Germ c. 42. n. 4.* Hinc *ſervientem Latio purpuram,* Lucanus dixit. Seneca ſub perſonâ Neronis: *In meâ poteſtate eſt, quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regale decus circum-*

circumdare oporteat. Strabo l. 17. Geograph. de regionibus Asiæ, ut & Arabia ac Æthiopia, quâ ad Romanos spectabant: Τάυτης δὲ τῆς συμπάσης χώρας ἤ μὲν βασιλίυεται. *Earum partem Reges tenent.* Masinilla apud Livium, gratias egit Senatui, quod Scipio eum Regem appellasset. De Arioviſto Dio: Τὴν κύρωσιν τῆς Βασιλείας ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων εἰλήφει. *Populus Romanus regnum ei ratum fecerat.* Adde H. Grotium *l. 3. de J. B. & P. c. 15. §. 9. & in not. & ad Acta Apostol. XVII, 7.*

(4) Planè ut Plato *l. 8. de Republ.* obſervavit, imperitum vulgus in democratia ἀναρχίαν ἐλευθερίαν, quemadmodum ἀσωτίαν μεγαλοπρέπειαν nuncupate

XIV. Finis ſummæ poteſtatis in civitate regulari eſt promiſcua ſummi imperantis & eorum, qui reguntur, utilitas. Vix enim alia mens fuiſſe videtur hominum è naturali ſtatu migrantium. Hinc *ſervandæ juſtitiæ causâ videri olim bene moratos Reges conſtitutos,* docet ex ſententiâ Herodoti & majorum civitatis Romanæ Cicero 2. *officiorum* & juxta Ammianum *l. XXIX. Finis juſti imperii, ut ſapientes docent, utilitas obedientium æſtimatur & ſalus.* Pufendorf. *l. 7. c. 9. §. 3.* Quicum convenit illud Socratis apud Xenophontem *l. 3. Memorab. à princ. Rex creatur, non ut ſui ipſius curam habeat potiſſimum, ſed ut eligentes eum bene beateque agant,* A fine hoc civilia imperia & civiles reſp. appellamus, quibus opponuntur reſp. heriles. V. Ariſtot. III. *Pol. 3.* Callicratides Pythagoreus apud H. Grot. ad Lucam *V, 5.*

XV. Subjectum ſunt perſonæ, ſive veræ ſive myſticæ. Ἀνάγκη δ' εἶναι κύριον ἢ ἕνα, ἢ ὀλίγους, ἢ τὸν πόλλους. *Neceſſe n. eſt poteſtatem aut unum, aut paucos, aut multos habere.* ait Ariſtoteles III. *Pol. 5.* & Tacitus 4. *Ann. 33.* Cunctas nationes & urbes populi, aut primores, aut ſinguli regunt. Cicero *l. 2. de divinat.* ſe à Platone, Ariſtotelis præceptore, ejusque Philoſophia didiciſſe, profitetur: *Reſp. te-*

neri

neri tum à Principibus, tum à populo, aliquando à singulis. Hinc eſt, quod reſpublicæ in univerſum dividantur in μοναρχίας (quod vocabulum Cornelius Nepos latinè effert *ſingulare imperium*) & πολυαρχίας, hæ in *ολιγαρχίας & δημοκρατίας, ſi voces iſtæ, ut ſolent, generaliter accipiantur. Apud Platonem in politico quærit hoſpes: *Annon monarchia, id eſt, principatus unius, una quædam eſt gubernationum civilium,* Socr. *Eſt.* Hoſpes. *Poſt hanc paucorum potentiam ponere poſſumus?* Socr. *Sane.* Hoſpes. *Tertiam verò multitudinis gubernationem, quam popularem vocant?* Socr. *Prorſus.* Poſtea monarchiam in regnum & tyrannidem, paucorum imperium in ariſtocratiam & oligarchiam dividit. conf. Laërtium *in Platone* ſive *l. 3. vitar.* Idem Plato III. de LL. *Duæ,* inquit, *gubernationum civilium quaſi matres quædam ſunt, ex quibus ſi quis alias dixerit originem ducere, rectè utique dicet. Quarum alteram monarchiam, id eſt, Principatum unius, alteram democratiam, id eſt, populi appellare decet.* Lucius Ampelius circa extremum memorialis, quem Salmaſio debemus. *Rerump.* inquit, *tria ſunt genera: aut enim ſub Regibus ſunt, ut Seleucia Parthorum: aut Senatus, ut Maſſilia Gallorum: aut ſe ipſi regunt, ut Athenienſes ſolebant. Eſt & quartum genus, quod Romani commenti ſunt, ut ex his tribus unum efficerent.* Verùm hoc quartum genus huc non pertinet: loquimur enim heic de poteſtate & civitate primi ordinis, quibus non rectè accenſeri reſp. mixtas, quas vocant, ſuo loco faciemus planum.

* In hac generali ſignificatione vocem ὀλιγαρχίας ſumunt, pro omni ſc. paucorum imperio, etiam herili & violento, Thucydides *l. 1. hiſtoriar.* Plutarchus *libro de monarchiâ.* Herodotus *l. 3.* Similiter δημοκρατίας Ariſtoteles, Polybius, Plutarchus, vid. Sepral. *de ration. ſtat. l. 7. proem.* Quæ etiam Atticis ſcriptoribus δῆμος appellatur. Hinc & illud:

κεῖνα-

καταλύειν τὸ δῆμον, *dissolvere statum popularem.* De aliis notionibus democratiæ, v. H. Grotius *appendice epistol.* 209.

XVI. Ad hunc locum pertinet quæstio, quæ in Græciâ creberrima quondam fuit seditionum materies, prolixè tractata ab Aristotele III. *Pol. 7. seq.* an uni ob insignem præstantiam (qui *velut Deus quidam cæteros mortales supereminet,* ut loquitur Aristotel. d. l. c. 9.) paucis ob Nobilitatem; divitiarum aut virtutum abundantiam, universæ multitudini ob numerum majorem; summa potestas debeatur? Ubi notandum, neutrum titulorum horum satis esse validum, ut perfectum jus conferat absque conventione sive pacto secundo, de quo supra diximus. V. H. Grotium *l. 2. de Jur. B. & P. c. 20. §. 9. n. 2.* Huber. *l. 2. Jurispubl. universal. c. 8. §. 35. sequ.* Sunt & aliæ quæstiones hujus loci; nostris temporibus agitari solitæ, quas inter *PRIMA:* An summa rerum ex naturæ instituto semper sit penes populum? Quod contra Monarchomachos haut dubiè negandum. Si enim liber homo tradere se alteri privato in servitutem potest, V. Grot. *excerpt. p. 90.* cur populus sub unius imperium, sæpius non herile, concedere nequeat? Et verò eò adigit non rarò conditio reip. ob dissidia, turbas, aut bella vel civilia vel externa, sine unius imperio interituræ. Interdum aliæ rationes commovent. Jam & populi, rep. populari utentes, in alios populos liberum aliquando exercent imperium. Experientia quoque testatur, regale nomen ab omni retro memoriâ sanctum semper fuisse habitum. * Ut jam alia argumenta mittamus. *SECUNDA* est, an pauci vel omnes capaces sint summæ potestatis? Quod unus negavit Fridericus Hornius, sed frivolis rationibus. Si enim in unum transferri summa rerum potest, cur paucis tradere, aut sibi eam retinere nequeat popu-

lus, nihil vetat. Apud Euripidem eſt in Supplicibus:

Οὐ γὰρ ἄρχεται
Ἑνὸς ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐλευθέρα πόλις.
Δήμῳ δ' ἀνάσσει διαδοχαῖσιν ἐν μέρει
Ἐνιαυσίαισιν.

Hæc juris ſui
Servire domino civitas uni negat.
Rex ipſe populus annuas mandat vices
Honoris huic illive.

v. Pufendorf. *l. 7. de jure N. & G. c. 5. §. 5.* Add. Æſchyl. *in excerpt.* Grotii *p. 24.* Add. Sophocl. *in Oed. colon. p. 407.* Grot. *in excerpt. p. 94. TERTIA.* An infideles & hæretici ſummam poteſtatem tenere poſſint? Quod affirmandum. Nam jus naturæ nullibi eos excludit, nec divinæ literæ à verâ fide alienis dominium adjudicant. v. *Daniel. II, 37. & 1. Petr. II, 13.* Quod autem *Deuteron. XIII, 15.* alienigenæ arcerentur ab imperio Judæorum, id peculiare illi genti erat, & intelligendum ſi populus eſſet ſui juris (ſecus quam Zelotæ poſteris temporibus interpretabantur.) Etenim Nabuchodonoſori Judæos parere jubet Jeremias, ſicut & ipſi Prophetæ Chaldæorum & Perſarum Regibus paruerunt. v. *Jerem. XXXIIX, 17. Ezechiel. XVII, 12. ſequ.* Atque hanc legem videntur ſibi præſcripſiſſe Chriſtiani veteres, ut cuivis imperium legitimè nacto fidem ac obedientiam præſtarent, neque ulli ſub ſpecioſis nominibus res novanti accederent. v. Tertullianus *apologetico.* *QUARTA* denique eſt. An fœminæ jure naturali, divino & civili ſint capaces ſummæ poteſtatis? Quod Bodinus & alii negant, ſed fruſtra innixi Romanorum legibus; & jus divinum de domeſtico tantùm imperio loquitur, in quo maritus utique primas habere debet. Idem dicendum de

natu-

naturali jure, niſi quod hoc ob ſexus præſtantiam mares fœminis præferri, magis decorum eſſe indicat. Verum quæſtiones has accuratius explicare, eſt diſciplinæ, quæ jus publicum univerſale pertractat.

* V. quæ dixi diſſertat. de quæſtione hac peculiari, in cujus ſect. IV. monita quædam & temperamenta proponuntur.

XVII. Objectum ſunt negotia, quæ ab adjuncta qualitate vocantur jura majeſtatis ſive imperii; ab Italis autem, quos noſtrates imitati, regalia. Quæ vox tamen multiplici ambiguaque JCtorum ſequioris ævi interpretatione ita contorqueri cœpit, ut eruditi eâ parcius utendum eſſe non temerè cenſeant. V. Bœcler. *ad l. 2. H. Grot. c. 6. p. 228.* & confer qui de regalibus commentaria ſcripſerunt, Sixtinum, Bocerum, ab Einſidel, de Jehna, & alios. Cæterùm quænam ſint imperii jura, quibusve indiciis cognoſci debeant, non unâ ratione traditur aut explicatur. Fridericus Hornius *l. 2. de civit. c. 4. §. 10.* D. Theod. Meier *l. 3. analyſ. Ariſtot. c. 4. §. 61.* ad Dei poteſtatem reſpiciunt, atque inde humanæ poteſtatis, quæ Dei vices in terris ſubeat, imaginem capiunt. Nimirum hi nituntur hypotheſi, quaſi à ſolo Deo ſumma poteſtas ἀμέσως proficiſcatur, cum ea potius ſit hominum in civitatem coëuntium productio, ut deinceps dicam. Adde, Deum in homines, tanquam opificia ſua, infinitum jus habere; poſſe ob peccata parentum etiam poſteris aut immaturam mortem aut ſervitutem immittere, & cum id facit, ut facit aliquoties, nemini facere injuriam; qualis pollentia rectoribus rerump. non convenit. Scilicet veriſſimum eſt Poetæ illud:

Nihil eſt quod de ſe credere Princeps
Non poſſit, cum laudatur Dis æqua poteſtas.

Veteres Itali, & in illorum ſcholis edocti noſtrates,

ex Legibus Regni Germanorum in Italiâ; quæ *2. feud. 56.* leguntur, argumenta petunt, intolerabili errore: cum hujus regni leges imperium Germanorum in Germania, quemadmodum nec alia regna, obligare haud possint; excepto, ubi usu sive consuetudine sunt approbatæ. Verum nolo nunc latius neque in has neque in aliorum opiniones inquirere. Simplicissima utique & verissima est deductio à fine ipsius civitatis, & summæ potestatis. Nam cum finis quilibet contemplatione mediorum vim habeat mensuræ, & quousque se protendit ille, eousque patere debeat instrumentorum usus; omnia illa negotia civilis erunt potestatis, sine quorum curatione salva esse civitas non potest. V. H. Conring. ad *part. 1. Lampad. de rep. Rom. Germ. §. 15. & sequent.* Quare quæ res maximè valent ad hunc finem obtinendum, propriè & primariò regalia sunt, & suo merito majora appellantur; quoniam ut integra & primi ordinis maneat civitas, à summo imperante avelli haut possunt. Quò pertinent illa elogia regalium majorum, quando appellantur personalia, personalissima, quæ personæ & ossibus Principis adhærent, merè regalia, ipsi coronæ annexa, sacra sacrorum, reservata Principis &c. V. Sixtin. *l. 1. de regal. c. 2. n. 2.* Regalia autem, quæ minora dicuntur, & emolumenta tantum quædam Rectoribus rerumpublicarum conciliant, quoniam absque iis summa potestas commodè explicatur, (2) naturaliter & secluſis pactis abesse queunt. Quo referas jus circa ἀδέσποτα, jus circa thesauros, jus circa feras, silvas, & similia.

(1) Videantur quæ dixi *dissert. de superiorit. territ. §. 9 in fine & in notis.*

(2) Ita apud Romanos jus venandi omnibus commune erat, perinde ut hodie apud Hispanos, de quibus vide Huber. Leodium *vitâ Friderici Palatini l. 6. & l. 10. ubi historia*

est

eſt de Carolo V. & Habeſſinos v. Job. Ludolf. *l. 2. hiſtor. Æthiopic. c. 9. n. 23.* Hodie in plerisque Europæ regnis ſecus ſe habet. Sed & jam olim id jus ſummos imperantes ſibi vindicaviſſe, indicio eſt Baruch. III, 17. *Principes gentium dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram, quæ in avibus cœli ludunt.* In Hiſpania & Anglia jus Regum eſt, bona pupillorum Nobilium, qui vaſalli ſunt, ad annum usque vigeſimum primum adminiſtrandi, & quicquid in horum educationem non impenditur, fiſco ſuo vindicandi; ad hoc nuptiis nobilium conſenſum impertiendi, quod poſterius in Gallia quoque obtinet & Japonia, de qua Bernh. Varenius *deſcript. regni Japon. c. 12.* In Sinenſium imperio Imperator poteſt jus civitatis dare vocabulis antea non uſitatis. Idem ut cœli filio tribuitur jus de mortuis novos dandi titulos, & animas eorum puras declarandi. Ut nuper memoravit P. le Comte *nouveaux memoires ſur l'Eſtat preſent de la Chine* p. 9. Quidam Rectores etiam injuſta aut honeſtati contraria jura ſibi vindicarunt, uti jus bona naufragio amiſſa aut furto ablata fiſco inferendi. V. Diſſertat. *de ſuperioritat. territor.* §. 56. Huc pertinet etiam jus coxæ luxandæ, ſive jus cum Vaſallorum ſponſis prima nocte concumbendi, quondam à Comitibus Lugdunenſibus uſurpatum, ſi hiſtoricis credimus. V. Nicol. Henelius *otii Pratislavienſ. c.* 47. conf. de Scotia Pufendorf. *l. 6. p. 1 §. 10.* Planè ut olim apud Scythas, & poſtea in inſulis fortunatis novæ maritæ virginitatem Rex aut Dynaſta delibabat, teſte H. Grotio *l. 8. hiſtor. Belgic. ad A. 1599.* In iisdem inſulis ſorores uxores ducere jus Regibus tantum, ut apud Jorchas Peruanos. Grot. *d. l.* Add. Carol. Cangium *gloſſar. voce Marcheta.* In inſula Ceylon ædes ſuas calce dealbare, duasvé contignationes in iis habere capitale fere eſt & Regi ſoli reſervatum, cui & ipſi ſoli licet ſellâ cum fulcro dorſali uti & capras alere. Robert Sinox *relat. hiſtor. de inſula Ceylon.* & ex eo *Act. Erud. Lipſ in Supplem. t. p.* 46.

XIIX. Regalia majora variè pro cujusvis ingenio diſpeſci enumerativè conſueverunt. Obvia eſt partitio Ariſtotelis *IV. Pol. 4.* quâ magiſtratuum creandorum, indicendi belli & finiendi, vitæ & necis, fiſci denique, & repetundarum juribus ſummam poteſtatem abſolvit: quibus nonnulla alia adjecit *l. Rhetor. 4.* Aliam habet Grotius *l. 1. c 3. §. 6.*

aliam Lampadius *d. p. 1. §. 15.* aliam D. Zieglerus *l. 1. de jur. Majeſt. c. 3.* aliam Frideric. Hornius *l. 2. de civit. c. 2. §. 1. & ſequ.* aliam Pufendorf. *l. 7. de jure nat. c. 4. §. 1.* Add. Arniſæus *l. 2. de jurib. majeſt. c. 2. integro.* Neque temerè heic aliquid reprehendas, niſi quòd nonnunquam diverſa negotia malè & citra cauſam vel miſceantur, e. g. jus judiciorum cum jure conſtituendorum magiſtratuum; vel alteri ſubjiciantur, e. g. juri circa bellum, jus tributorum colligendorum, jus fœderum & legationis, quorum uſus tamen non minus ad pacem quam ad bellum ſpectat. Quod ſi verò & cæteris noſtram adjungere licebit ſententiam, non inconcinna forte erit diſtributio à quantitate & qualitate jurium. *A quantitate* ſunt vel *univerſalia* v. g. jus circa conſultationes, imperia, ſub quibus etiam leges continentur, & judicia; vel *particularia*, quæ ſe offerunt vel in ſubjecto civitatis, v. g. jus circa religionem, exiſtimationem, collegia ſive univerſitates civium; vel in objecto, ut jus circa munimenta regionis, importanda vel exportanda, nummos & ſimilia; vel in formâ accidentali, ut jus circa bellum, inducias, pacem & fœdera; vel in cauſſa efficiente, ut jus circa miniſtros reip. circa legatos mittendos & miſſos ab aliis recipiendos, tum circa inſtrumenta cætera, ærarium, pœnas & præmia. *A qualitate* ſunt vel *ordinaria*, vel * *extraordinaria*, quæ ſc. ex certo civitatis ſtatu habituque pullulant, & effectus ſunt poteſtatis extraordinariæ ſive dominii eminentis, de quo ſupra, partes tantum non omnes civitatis pervagantia. De ſingulis hisce juribus in jure publico univerſali ex profeſſo agitur.

* Hæc minus rectè à nonnullis inter regalia minora referuntur; quandoquidem in dominio eminente ſplendor majeſtatis maximus eſt, ipſaque interior vis & quaſi eſſentia continetur, ut rectè vidit Bœcletus *Diſſert. Polit* 8

XIX. For-

XIX. Forma eſſentialis poteſtatis hujus eſt ſummitas. Ne enim detur progreſſus in infinitum, conſiſtendum erit in aliquo ſive cœtu ſive perſona, qui ſuperiorem, excepto Deo, reſpiciat neminem. Unde ſequitur, in civitate regulari majeſtatem eſſe.

1. Liberam ab externis. Αὐτάρκης γὰρ ἡ πόλις, τὸ δὲ δοῦλον οὐκ αὐτάρκες. * *Sui juris civitas eſſe debet, quod autem ſervit, minimè ſui juris eſt.* ait Ariſtoteles *IV. Pol. 4.*

* Agathias l. 3. de Dilimnitarum gente agens, *non*, inquit, *ſubditi ſunt, quia ſuis legibus vivunt & libertate fruuntur.* Αὐτόνομοι γὰρ εἰσι τῇ ἐλευθερίᾳ.

Æſchylus *Perſis:*

Οὐ πω δέδοικε κέκλητας φωτὸς ὑπ' ὐτάκτοις,
Liber ignarusque domini, juris is populus ſui eſt.

Demophoon Rex Athenienſium apud Euripidem *Heraclidis.*

οὐ γὰρ Ἀργείων πόλει
Ὑπήκοον τήνδ', ἀλλ' ἐλευθέραν ἔχω,
Non enim Argivorum urbi
Subditam hanc, ſed liberam habeo.

2. Inviolabilem, ita ut ſummus imperans à nemine vel judicari vel puniri poſſit.

3. Solutam legibus (1) non naturæ, non divinis, (2) ſed civilibus. An & fundamentalibus quas vocant? Variè reſponderi ſolet, verum ſolidiſſima haut dubiè eſt reſponſio, leges hujusmodi quidem obligare, poteſtatem autem ita devinctam fieri irregularem, ſive obligatio cadat in exercitium actus, ſive directè in ipſam facultatem. V. H. Grotium *l. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 16.* quem ita explicandum reor.

(1) Euripides

Οὐ τοὺς κρείσσονας χρὴ κρατεῖν ἃ μὴ χρεών·
Non fas potentes poſſe, quod facere eſt nefas.

(2) In ſtatu tamen populari lex civilis etiam ejus latores tenet, quia ſc. hi ex præſumtâ populi voluntate ut ſinguli reſpectu latarum legum conſiderantur: planè ut Reges quoque ratione actuum, qui ab iis non quà talibus, ſive ut perſonam

ſonam civitatis ſuſtinent, ſed quibusvis aliis fiunt, legibus à ſe latis obligantur. V. H. Grotius *l. 2. de J. B & P. c. 4. §. 12. & l. 2. c. 14 §. 5. & c. 20. §. 24.* Certè populum in ſtatu populari collectivè conſideratum leges à ſe latas poſſe mutare, non eſt dubitandum

4. Indiviſam, imò indiviſibilem; ut in plurium imperio *jura non ſingulorum tota ſint, ſed pro partibus indiviſis, atque intellectu magis partes habeant quàm corpore.* Ut Ulpiani verba huc accommodem *l. 5. de ſtipul. ſervor.* Eſt autem axioma hoc intelligendum de majeſtate regulari, ceu quæ demum perfecta eſt, ubi omnia ad felicitatem civilem componendi habet arbitrium, & quidem indivisè. Planè ut Ariſtoteles *X. Metaph. 1.* menſuram vocat πανταχῆ ἀδιαίρετον. Aliorum de hoc axiomate diſputationes vel tricas jam non moror. Illud adhuc addendum, non dividi majeſtatem, cum temperatur. Temperationes enim & ſimulacra, quæ pro veris rerum momentis & pro jure reip. venditari inter artes politicas ſolenne eſt, pertinent tantum ad adminiſtrationem, non ad ſtatum reipublicæ, de quo ſupra §. 13. Hinc ſcitè Ariſtoteles *IV. Pol. 9.* in fine dixit: Δεῖ ἐν τῇ πολιτείᾳ τῇ μεμιγμένῃ καλῶς, ἀμφότερα δοκεῖν εἶναι, καὶ μηδέτερον. *In republicâ optimè temperandâ utrumque & neutrum ut ineſſe videatur oportet.* *Exempli gratiâ. Si Rex nolit quicquam valere, niſi à Senatu approbetur, vel à judicio quodam vetet appellari, non ideo firma eſt illatio, majeſtatem eſſe diviſam. Nam hujusmodi profeſſiones non jus tollunt, ſed declarant voluntatem; & à negatione actus ad negationem potentiæ non valet conſequentia. Ita Romani Imperatores, quando malebant quædam Senatui imputari, quàm ſuo arbitrio, Senatus-Conſulta fieri curabant; verum ne nihil contra voluntatem ſuam ſtatueretur, ante per Candidatos ſuos orationes in Senatu habebant.

bant. *l. unio. §. 4. de officio quæstor.* V. Grot. *d. l. 1. c. 3. §. 18.* Conf. de Conventibus Procerum in regno vetere Francorum Bœclerum *de reb. secul. in Carolo M. p. 19. in Lothario p. 107.* de Galliâ Gramond. *l. 1. Hist. Gall. ad A. 1614. & l. 5. ad A. 1620.* de conventibus Provincialibus in Germaniæ Principatibus Disſert. *de consultat. LL. & judic. §. 4. & 5.* Rurſus ſi Rex cauſas ad ſe pertinentes judiciis ſubmittat, non ideo abſolutus eſſe deſinit. Plinius in panegyrico: *Dicitur actori atque etiam procuratori tuo, in jus veni, ſequere ad tribunal.*

* Alia exempla adduxi *Diſſertat. de lege clauſulâ ne abrogari poſſit munitâ ſect. 1. §. 7.* Addatur Pufendorf. *l. 7. de Jur. Natur. & Gent. c. 6. §. 12.* De Belgio ſub Auſtriacis Nicol. Burgundus l. 1. Hiſtor. Belgic. *Subſidia*, inquiens, *& tributa imperabantur non promiſcuo jure, veluti in ſolutis regnis, ſed conſenſu civium, hoc unum ex imagine libertatis retinentium, ut peteretur, quod negari jure non poteſt neceſſitatem æſtimantibus.*

XX. Ad formam accidentalem pertinent tituli, ſymbola ſive inſignia, exiſtimatio apud externos, & ſimilia. Ad accidentia hæc refero. Etenim, ut ſupra dictum eſt, à titulis & ab inſignibus ad ſummam poteſtatem minus tutò argumentamur. Inſignia autem apud populos variant. Maximè uſitata ſunt (1) corona, (2) ſceptrum, (3) gladius, (4) ſolium. Inter *σύμβολα τῆς βασιλείας* (ut Herodianus *l. 1. Hiſtor.* vocat) Romanorum Imperatorum erant in veſtitu cum multa alia (de quibus in *Tit. Codicis de veſtibus holoberis*) tum purpurei etiam calcei; de quibus eſt apud Ammianum Marcellinum *l. 22. hiſtor. c. 9.* lepida narratio, in frœnis equeſtribus gemmæ (de quibus *in tit. C. nulli licere frœn. equeſtr.*) in literis & reſcriptis encauſtum *l. 6. de diverſ. reſcript.*; in luctu veſtes albi & citrini coloris, teſte Curopalate: in proceſſu ignis prælatio. Inſignibus annume-

rantur ſigilla, (5) quorum uſus antiquiſſimus intelligitur ex fœdere Smyrnæorum cum Magneſiis (quod extat apud Seldenum *in marmoribus Arundellianis*) ubi fit mentio communis ſigilli, τῷ ἐπάρχοντι κοινῷ, ut eſt in fœdere.

(1) Apud Senecam in Thyeſte *frontis nota regia.* Apud Heſychium voce Διάδημα: Στέμμα βασιλέως, κεφαλῆς κόσμος, βασιλέως σύμβολον. De coronis notum eſt Catoli Paſchalii opus, *libro nono & decimo* agens de coronis & diadematis Regum. De tiaris diademate & coronis, v. Gutacker *miſcell. poſth. c.* 24. Grotius *ad Ezechiel. XXI*, 27. De coronis v. omnino du Cange *Diſſert. ad Joinvill. p* 289. *ſeqq.*

(2) Hinc apud Hometum primo Iliados:

Σκηπτοῦχος βασιλεύς, ὅτι ζεὺς κῦδος ὄπασσεν.
Sceptriger Rex, cui Jupiter honorem dedit.

Juſtinus l. 43. c. 3. de Romanis, cum adhuc ſub Regibus agerent: *Per ea adhuc tempora Reges haſtas pro diademate habebant, quas Græci ſceptra dixere.* Apud Græcos in ſceptris Regum poſita erat aquila, ut notavit Scholaſtes Ariſtophanis *in Avibus.*

(3) De gladio videatur Bœclerus *ad l.* 3, *hiſtor. Taciti cap.* 5.

(4) Minerva apud Eutipidem in Jone;

Εἰς θρόνους τοξουχικοὺς
Ἵδρυσον.
In thronis regiis (Jonem)
Colloca

(5) Regii ſigilli cuſtodem eſſe eſt apud Barbaros ſupremæ dignitatis ac potentiæ munus. Ant. Matia Gratianus *l.* 1. *de Bell. Cyprio* loquutus de Turcis Grot *ad Tobiam l.* 24.

XXI. Cauſa efficiens ſummæ poteſtatis ſunt cives, ex quibus delato imperio unus imperantis, reliqui ſubditorum nomen hoc reſpectu induunt. De quibus deinceps. Qui eam à Deo ajunt immediatè conferri, confundunt cauſam univerſalem cum particulari, ordinariam cum extraordinariâ. De quo in jure publico univerſali pluribus.

XXII. Poteſtati reſpondet ſubjectio. Τὸ μὲν γὰρ ἄρχεσθαι καὶ ἀρχειν ἔιδει διαφέρει. *Parere enim & impe-*

imperare differunt inter ſe ſpecie, ait Ariſtoteles *l. Pol. 8.* Eſt autem ſubjectio, *qualitas ſubditis inhærens, obligans ad fidem, obſequium & reverentiam ſummo imperanti præſtanda.*

XXIII. Origo ſubjectionis eadem eſt quæ ſummæ poteſtatis. Hinc fruſtra diſceptatur inter Danæum *1. Pol. Chriſtian. c. 4.* & Keckerm. *1. Pol. ſyſt. 1.* utrum hæc an illa prior fuerit? * quoniam relata & correlata, ut vocantur, uno eodemque momento naſcuntur & exiſtunt.

* *Pertinent enim ad alios & ſic formata ſunt, ut tota ſignificatio illarum diſcedat à nobis. Frater ſum, ſed alterius. Quod comparatur ſine altero non intelligitur: quod jungitur, ſine altero non eſt.* Verba ſunt Senecæ l. 5. de benefic. c 8.

XXIV. Modus generationis fit per pactum; cui hodie ex more plerorumque populorum ſolet accedere ſacramentum, quod homagium barbarâ voce nuncupatur. V. ſupra *ſect. 3. §. 7.* Eſt autem * homagium, *aſſeveratio religioſa ſubditorum, de fide, obſequio, & reverentiâ ſummo Imperanti præſtandis.* De differentiâ homagii & fidelitatis ſacramenti v. Schilter. *l. 1. ſ. ſ. P. tit. 19. §. 10.*

* Id apud Moſcovitas oſculo cruci affixo præſtatur: nam id perinde apud Ruſſos religioſum eſt, atque ſi ſublatis tribus digitis ſacramentum dicerent. Thuanus *l.* 120. *ad A.* 1588.

XXV. Finem ſubjectionis optimè explicat his verbis Cicero *3. de LL. Vir bonus, & ſapiens, & legibus parens, & civilis officii non ignarus utilitati omnium plus quam unius alicujus vel propriæ conſulit.* Nam ut Ariſtoteles *III. Pol. 3.* Τῶν πολίτων, καίπερ ἀνομοίων ὄντων ἡ σωτηρία τῆς κοινωνίας ἔργον ἐστί. *Civium, etſi diſſimilium, opus & munus eſt ſocietatis ſalus.*

XXVI. Subjectum ſunt ſubditi, quos aliqui ſervos appellant, aut ſaltem his æquiparant ex Baldi doctrina Cravetta *conſ. 6. n. 110.* Petr. Weſenbec. *conſ.*

conſ. 57. n. 10. (1) & alii. Malè id quidem, ſi de civitate regulari loquuntur: nam juſta imperia ſapere docent; quod verè eſt liberum eſſe, & ab tyrannide affectuum immunem, ſoli Numini & animæ ſuæ ac publico bono mancipatum: qualis mancipatus eſt ipſiſſima hominis libertas. Hinc rectè Ariſtoteles *III. Pol. 4. in calce.* ἡ πόλις κοινωνία τῶν ἐλευθέρων ἐστί, *civitas eſt communio hominum liberorum.* conf. *IV. Pol. 4.* (2) Cujus eſt aurea hæc ſententia *V. Pol. 9. in calce,* ὃ δεῖ οἴεσθαι δουλείαν εἶναι τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ σωτηρίαν. *Non eſt putanda ſervitus vivere reip. convenienter, ſed ſalus.* conf. *VI. Pol. 4.* Cæterum (3) ſequior ætas ſubditos homines ligios dixit.

(1) Hobbeſius etiam *part. 2. du corps politique ch. 4. § 9.* omnes eſſe ſervos ait, ſed appellari liberos, propter honorem & qualitatis cum ceteris ſubditis communem: quo qui careant, ſervi nuncupentur. Sed non mirum, ita ſenſiſſe Hobbeſium, qui respublicas civiles & herules easdem eſſe cenſuit.

(2) Similis illa Plutarchi libro de auditione: *Rationi qui parent, ſoli digni ſunt, qui pro liberis habeantur. Soli enim hi vivunt ut volunt, qui quid velle debebant didicerunt. Inerudita autem & rationis expertes inclinationes atque actiones exilem quandam ignobilemque voluntatis libertatem multa cum pœnitentia conjunctam habent.*

(3) V. pl. Meurſium *gloſſario*, Voſſium 3. *de vitiis ſerm. latini c.* 20.

XXVII. Objectum ſunt omnia imperio civili non excepta. Eximuntur verò quædam ſive naturâ ſuâ, ſive voluntate civium. Quorſum applices Senecæ illud *3. de benefic. 20. Errat*, inquit ille, *ſi quis putat ſervitutem in totum hominem deſcendere: pars enim melior excepta, corpora obnoxia ſunt & aſcripta dominis, mens ſui juris eſt.* Et rectè Tertullianus: *Oportere nos in omni obſequio eſſe ſubditos Magiſtratibus, Principibus & poteſtatibus, ſed intra limites diſciplinæ.* Idem in apologetico: *Nulla lex* (civilis ſc.) *ſibi*

ſibi ſoli conſcientiam juſtitiæ ſuæ debet, ſed eis à quibus obſequium exſpectat. Et tamen animus hominis, licet immortalis & liber, ſummo imperanti ejusque honeſtis juſſibus obligatur; non quidem directè, ſed obliquè & ἐμμέσως, interponente ſe & efficaciam conciliante jure divino atque naturali, quod morem geri ſummis imperantibus jubet. Hinc (1) rectè ſe habet doctrina ſcholarum: leges civiles obligare in conſcientiâ, ſi modo hoc ſcopo ſint latæ; (2) nam earum aliquæ ſatis habent, actum feciſſe irritum. V. g. lex quæ teſtamentis ſolennitates præſcribit. V. D. Struvii *Synt. jur. civil. Ex. 2. §. 13. ſequ.*

(1) Perperam diſſentiente Hobbeſio *part. 2. du corps politique: ch. 6. §. 3.*

(2) Eodem recidit diſtinctio Suarezii *l. 1. de LL. c. 1.* an lex ſit data de exercitio actus, ſive aliquid fieri vel non fieri præcisè injungat, v. g. ut ſolvantur tributa: an verò lex data ſit de ſpecificatione actus, ſive actui formam aut ſolennitates circumponat. Priore caſu legem neglectam vulnus conſcientiæ infligere: poſteriore actum tantum irritum efficere.

XXIIX. Forma conſiſtit in fidè, obſequio, & reverentiâ. Fides ex pacto reſultat, cui ex natura rei inſunt obſequium & reverentia. * Hujus ſigna variant apud populos, prout hi vel civili vel deſpotico imperio utuntur; aut illa diuturnis moribus introducta ſunt.

* Apud Barbaros quondam mos fuit, ante ſummum imperantem proſterni. Euripides *Oreſte:*

Προσκυνῶ σ', ἄναξ, νομαῖον βαρβάροισι σεβασμόν.
Adoro te, Rex, procidens barbaro more.

Idem Eutipides Phœniſſis:

Γονυπετεῖς ἕδρας σεβασπίλους,
Σ' ἄναξ, τὸν βαρβάρου νόμου τύπωσα.
Supplex te, Rex, venerans genubus
Patrio advolvor de more tuis.

Et in Troadibus Hecuba objicit Helenæ:

Καὶ σεβασμάτων ὑπ' ἄλλων ἤθελες.
Et adorari à barbaris volebas.

Conf. de Perſarum Rege Cornel. Nepot. *in Conone cap. 3.*

— Apud

Apud Imperatorem Turcicum hodie etiam ſummæ dignationis Purpurati nonniſi brachiis deculſatim ventri impoſitis comparere poſſunt. *Tous les Grands de la Porte ſans exception*, inquit Tavernier relation du Serral du grand Seigneur, *même le premier Vizir, n'ozent y paroitre, que les bras croiſez & les mains l'une ſur l'autre devant l'eſtomac pour marque d'une profonde ſoumiſſion.* In Ruſſia Magnum Ducem qui ſcripto adeunt, diminutiva nominis ſui appellatione ſe inſigniunt, ut Petruske loco Petri, Ivvaske loco Joannis. In Sinenſium imperio qui alloquuntur Imperatorem, in genua procumbunt. V. plura hujus generis apud Becmannum *Notit. dignitat. Illuſtr. Diſſ. 6.*

XXIX. Cauſa efficiens eadem eſt, quæ ſummæ poteſtatis. Verum hæc & alia multa exponere prolixius diſciplinæ eſt, quæ circa jus publicum univerſale occupatur.

SECTIO SEPTIMA.

DE CONSULTATIONE, IMPERIIS, ET JUDICIIS.

I. FORMA CIVITATIS SPECIALIS conſiſtit in tribus PARTIBUS.

II. (1) CONSULTATIONE; cujus conſiderantur *finis*. Unde ſunt conſultationes in ſpecie, vel præconſultationes.

III. *Subjectum*. Unde ſunt vel comitia, vel Senatus.

IV. *Objectum*, ſive negotia, de quibus conſultatur.

V. *Forma*.

VI. (2) IMPERIO, quod eſt vel ANIMATUM, ſive ſummorum imperantium, ſive magiſtratuum.

VII. Vel INANIMATUM, nempe LEX; cujus explicantur *Definitio*.

IIX. *Diviſio prima* in naturalem & voluntariam.

IX. Voluntariæ rurſus, in ſcriptam & non ſcriptam.

X. *Diviſio ſecunda* in generalem & ſpecialem.

XI. *Diviſio tertia* in publicam & privatam, ubi etiam agitur de legibus fundamentalibus.

XII. *Origo* legum.

XIII. *Finis*.

XIV. *Objectum*.

XV. *Forma*.

XVI. (3) JUDICIIS, quorum conſideratur *definitio*.

XVII. *Diviſio prima* in criminalia & civilia.

XIIX.

XIIX. *Diviſio ſecunda* in univerſalia & particularia.
XIX. *Diviſio tertia* in ſumma & inferiora.
XX. *Origo* judiciorum.
XXI. *Finis.*
XXII. *Subjectum.*
XXIII. *Objectum.*
XXIV. *Forma* generalis.
XXV. & ſpecialis.
XXVI. *Affine* judiciis eſt arbitrium.
XXVII. Concluſio hujus tractationis.

§. I.

PRæter formam totalem, hoc eſt, ſummam poteſtatem & ſubjectionem, ſunt formæ partiales ſive ſpeciales, quæ modo hanc modo illam civitatis partem efformant, & proinde ſeorſim conſiderari poſſunt. Optimè Ariſtoteles *IV. Pol. 14. omnium rerump. tres ſunt partes, de quibus quod cuique conducat bono legum ſcriptori videndum eſt; quibus bene affectis remp. bene affectam, & ex differentia harum inter ſe reſpublicas quoque differre neceſſum eſt. Harum trium autem partium una quidem eſt, quæ de rep. conſultat,* (τὸ βελευόμενον περὶ κοινῶν) *altera verò quæ in imperiis cernitur,* (τὸ περὶ τὰς ἀρχὰς) *tertia quæ ad judicia pertinet,* (τὸ δικάζον.) Nempe omnis ſocietas civilis, ut ſupra *ſect. 4.* docuimus, utilis ac juſti communione conciliatur, illarum enim duarum rerum ſoli homines notionem adepti ſunt. Utilitatem autem conſilia perſcrutantur, juſtum præſcribunt imperia, judicia id factis attemperant. Non obſtat quod idem Philoſophus multò plures partes enumeret *IV. Pol. 4.* & alibi. Eæ enim pertinent vel ad ſubjectum, vel ad effectricem cauſam civitatis, ut ipſe non obſcurè innuit ibidem, quando partem judicialem & conſultatricem comparat cum animalis anima, reliquas cum corpore.

II. (1) Primum locum meritò occupant conſultationes; his enim proſpicitur, ut recte aliquid conſtituatur. Euripides

Γνώμη

Γνώμη μὲν ἀνδρὸς ἓν μὲν οἰκοῦντι πόλεις,
Ἓν δ' οἰκοῦσ', εἰς τ' ἂν πόλεμον ἰσχύει μέγα.
Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας
Νικᾷ.

Conſilia ſunt, queis nititur domuum ſalus
Et urbes: Eadem plurimum in bello valent,
Unumque mentis providæ multas manus
Vincit repertum.

conf. Eccleſiaſt. Salom. *VII, 20. IX, 14. ſequ.* Ergo finis conſultationum eſt ſingulare utile, quod legibus comprehendi non potuit. Interdum tamen eæ inſtituuntur, ut futuræ deliberationi viam pandant & quaſi præparent. Quod genus (2) προβουλίαν Græci vocarunt, & oligarchiis accommodatum eſſe ſcribit Ariſtoteles *IV. Pol. 15.* conf. eundem de rep. Spartanâ *II. Pol. 7. & VI. Pol. 8.* de conſiliis ſemeſtribus Auguſti Suetonium in *Auguſt. c. 35.* de veteribus Germanis Tacitum *de mor. Germ. c. 11.* de Francis Conring. *in Exercit. de civib. Imperii* §. *20. ſequ.* de Polonis Cromer. *l. 2. de Polon.* ubi de comitiis agit. De collegio in rep. Venetâ Contarenum, Jannotum, & alios.

(1) Ariſtoteles VI. Pol. 1. ab init. βουλευτικὸν ſive partem quæ verſatur in deliberando vocat κύριον τῆς πολιτείας, *quæ quaſi regnet in republicâ.*

(2) Προβούλιον etiam ſive anteconſilium; item prædeliberatio, cujus ſignificationis inſigne exemplum habet Petr. Lambec. *l. 3. Commentar. Biblioth. Cæſar. p. 766.*

III. Subjectum & cauſa efficiens ſunt conſultatores. Ineunt autem conſilia vel omnes promiſcuè è populo, vel ſaltem qui populum repræſentant, & hinc vocantur comitia ſive conventus populi: nec tantum in democratiâ, ſed & in regnis atque oligarchiis uſitata ſunt; vel tantum ſelecti è populo, * quos Senatum dicunt. Porrò *vel omnes deliberant de omnibus, vel omnes de quibusdam, vel quidam de omni-*

omnibus, vel quidam de quibusdam conſultant. ut docet Ariſtot. *IV. Pol. 14.* conf. *III. Pol. 1. in med.*

* Ita Cicero I. *contra Rullum* Senatum & conſilium commune diſtinguit. Apud Livium 3. hiſtor. 17. eſt: *comitia in foro ſunt: Senatus in curia.* Gellius l. 15. N. A. c. 27. ex Lælio Felice propriè dicit eſſe comitia, cum totus populus coit; concilium, ſi pars populi convenit. Verum hoc non eſſe perpetuum, & concilium etiam de totius populi Romani conventu accipi, ex multis Ciceronis & Livii locis demonſtrat Paulus Metula *de Comitiis Roman. c. 1.*

IV. De objecto ita diſſerit Philoſophus *I. Rhetor. 4. Sunt*, inquiens, *quinque fere numero maxima ac præcipua eorum quæ conſiliis agitari ſolent. Agitur enim de vectigalibus & reditibus publicis, de bello & pace, de cuſtodia regionis, de iis quæ importantur & exportantur, & de legum conſtitutione.* conf. *d. l. IV. Pol. 14.*

V. Forma generalis conſiſtit in loco & tempore. Hinc concilia vel ſtata ſunt ſive ordinaria, vel extraordinaria ſive indictiva. Ut docet Ariſtot. *III. Pol. 1. in med.* Specialis forma comitiorum inprimis & ſenatus, ſunt actus ſingulares, puta convocatio, comparitio, ſtatio vel ſeſſio, propoſitio conſultandorum, ſuffragia, (hæc feruntur verbis vel factis; facta ſunt varia aperta vel occulta: ad aperta pertinet χειροτονία ſive manuum protenſio; (1) diſceſſio apud Romanos, quæ fiebat apud eos vocante Præcone, ut Feſtus notat, hac formulâ: *qui hoc cenſetis, illuc ite, qui aliâ omnia in hanc partem*; item conſurrectio, cum aliis ſedentibus alii ſurgere jubentur: ad occulta refer globulos, (2) fabas, aut ſimilia. Verba vel ore proferuntur vel (3) ſcriptô. Utraque ſunt ſimplicia & plana, vel oratoria & elaboratæ dictionis ornatu compta. Dicuntur autem vel cum vel ſine rationibus & quidem vel ſtatim poſt propoſitionem factam, vel morâ quadam interpoſitâ;

viritim vel per collegia,) decretum, executio & tandem eventus.

(1) Qua etiam uſi Lacedæmonii, ſi obſcurum eſſet de plauſu & acclamatione, qua loco calculorum utebantur, judicium, v. Nicol. Cragium *l.* 1. *de Rep. Lacedæm. c.* 8. de Romanis v. Gellium *l.* 14. *Noct. Atticar. c.* 7.

(2) Antiquitus fabis ſuffragia fuiſſe lata, diſcimus ex Herodoto *in Erato.*

(3) Apud Romanos tabularum fuit uſus: nam non ſolum in creandis magiſtratibus, ſed etiam in judiciis populi, in legibus jubendis & vetandis, item in judicio perduellionis, ut tabulæ uſurparentur lege Caſſiâ, Papiriâ, Cælia, cautum. Adde Ariſtot. *II. Pol.* 6.

VI. Imperium eſt * vel animatum ſive loquens, vel inanimatum. Illud iterum vel ſummum eſt, & ſumma poteſtas inſignitur, de quâ egimus; vel dependens, quod magiſtratum vel magiſterium Latini, Græci, ut auctor eſt Ariſtot. *III. Pol.* 7. τιμὰς h. e. honores vocant. Εἴπερ ἄνευ ἀρχόντων ἀδύνατον εἶναι πόλιν. *Siquidem absque magiſtratibus fieri non poteſt, ut civitas maneat.* ait Ariſtot. *IV. Pol.* 4. Vocatur etiam Poteſtas. Hinc Paulus JCtus. Poteſtatis verbo plura ſignificantur: in perſona magiſtratuum imperium. Conſtantinus *l.* 9. *C. de judic.* ibi ſive ad majorem poteſtatem referenda ſit Ammianus Marcell. *l.* 15. & 30. Hinc apud poſterioris ævi ſcriptores: Poteſtas Patavica, Poteſtas Bononienſis. Diſtinguuntur autem magiſtratus vel à qualitate objecti, unde alii ſunt neceſſarii, alii utiles, alii ad ornatum & elegantiam facientes. V. Ariſtotelem *VI. Pol.* 8. *toto.* ubi ſpecies enumerat: vel à quantitate; cum quidam uni, quidam pluribus etiam diverſi generis negotiis præponuntur. V. omnino Ariſtotel. *IV. Pol.* 15. ubi obſervat in parvis civitatibus oportere magiſtratus tanquam obeliſcolychnia facere, quæ parte una carnibus aſſandis, alterâ lychnii præſtabant uſum.

* Apud

* Apud Ciceronem est tertio de LL. *Magistratum esse legem loquentem, legem autem mutum magistratum.*

VII. Inanimatum imperium est lex, *justi injustique regula.* ut definit Seneca *4. de benefic. 12.* vel est *regula actuum moralium obligans ad id quod rectum est.* Quæ definitio est Hug. Grotii *l. 1. c. 1. §. 9.* & locum habet præcipuè in civitate regulari. Quanquam cum tyrannide etiam leges multas bonas posse consistere, ostendat Aristides in eâ, quâ Rhodios ad concordiam hortatur. Pufendorf. 1. de Jur. N. & G. c. 6. §. 4. definire maluit *decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat.* Planè ut Chalcidius ad Timæum. Quid est lex nisi jussum scisens honesta prohibens contraria? Aristotelis definitio *10. Eth. 9.* quod sit λόγος ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ δύναμιν ἀναγκαστικὴν ἔχων; *sermo ab alicujus prudentiâ & mente profectus vim cogendi habens*, est à posteriori, ut loquuntur, quia oratio est causa sine qua non, & coactio ad effectum pertinet. Altera ejusdem *1. Rhet.* λόγος ὡρισμένος καθ' ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως μηνόων πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα, *sermo constitutus ex communi civitatis consensu indicans quomodo quidque fieri debeat*, & (conf. *III. Pol. 9.* & *l. 1. Dig. de Legib.* ubi Papinianus transtulit *sponsionem*) respicit ad ψηφίσματα Atheniensium. Hæc enim fere Athenis, ut rogationes Romæ, cum Leges aut Plebiscita ferrentur, fiebant. V. Car. Sigon. *l. 2. de rep. Athenienf. c. 4.* Quanquam & Principum constitutionibus aptari queat, ubi Principum potestas ex populi consensu nata.

IIX. Lex dividitur à causâ efficiente (1) in naturalem & voluntariam sive positivam. Aristoteles *V. Eth. 10. Jus aliud naturale est, aliud legitimum: naturale, quod ubique eandem vim habet, non quia ita videtur vel minimè. Legitimum quod à principio*

utrum hoc an illo modo fiat nihil refert: ubi verò constitutum fuerit refert. Verùm quia (2) jus naturale non tantum civili sed & naturali statui est commune, alienum erit ab hoc loco de eo prolixius agere. V. supra *sect.* 1. §. 9.

* Thomas & ceteri Scholastici quatuor legis species faciunt, *æternam*, *naturalem*, *humanam* & *divinam*. Quas species recenset & explicat Dominic. Soto *l.* 1. *de just. & jur. quæst.* 3. *art.* 3. Verùm æterna lex huc non pertinet. Rectius ergo retinetur divisio vulgaris, & voluntaria lex subdividitur in divinam & humanam.

(2) Plane egregia de jure naturali habet Aristoteles *l. Rhetor.* 13.

IX. Porro lex voluntaria est vel scripta, vel non scripta sive consuetudo. Aristoteli τὸ κατὰ γεγραμμένα, & τὸ κατὰ ἦθη. Illa fit voluntate legislatoris expressâ; hæc tacita, & usu populi. V. §. 3. & 9. *J. de jur. nat. & gent. l.* 32. §. 1. *de Legib.* Plato apud Laertium libr. III. Νόμων διαιρέσεις δύο· ὁ μὲν αὐτῶν γεγραμμένος ἐστὶν· ὁ δὲ ἄγραφος· ᾧ μὲν ἐν ταῖς πόλεσι πολιτευόμεθα, γεγραμμένος ἐστὶν· ὁ δὲ κατὰ ἔθη γινόμενος, ἔστιν ἄγραφος κωλεῖται. *Legis divisio bipartita est: alia est enim scripta; alia non scripta. Quibus igitur resp. regimus, leges scriptæ sunt; quæ verò in more posita sunt, hæc leges non scriptæ appellantur.*

X. A subjecto leges sunt vel generales, vel speciales. Hæ singulis personis, certove personarum ordini aut causæ jus ultra commune tribuunt. Apud Romanos stante adhuc republica leges privis hominibus (sc. singulis, unde privilegium dicebatur) irrogari erat vetitum. At mutato statu & hoc mutavit. Tamen non privilegium sed constitutio personalis insigniebatur, quando Princeps personæ singulari ob meritum vel indulgebat, vel quam pœnam irrogabat, vel sine exemplo subveniebat. *l.* 1. §. 2. *de Constit. Princ.* Privilegii autem notio juri, quod certo

perſonarum ordini certisque cauſis datum, adhæreſcebat. V. D. Strauch. *de ſtatutis à ſummo Principe* §. *28. ſequ.* Hodiè vox privilegii & legis ſpecialis, quam definivimus, promiſcuè uſurpari conſuevit. Dividuntur autem privilegia vel à fine, in gratioſa & remuneratoria; vel à ſubjecto, in perſonalia & realia: vel à formâ, quod lucrum adjiciant, v. g. privilegium monopolii; aut ab onere eximant. v. g. immunitas à tributis: vel ab adjunctô, in odioſa & favorabilia; perpetua & temporaria.

XI. Ab objectô leges aliæ ſunt publicæ, aliæ privatæ. Illæ ad ſtatum reipublicæ pertinent. Vocantur à quibusdam fundamentales, mendosè meo judicio, ſi hâc voce intelligantur (1) pacta, quibus ſummæ poteſtati modus ponitur: Nam hæc fiunt in ipſa ſummæ poteſtatis conſtitutione. At publicæ leges propriè ſic dictæ feruntur à ſummâ poteſtate, & reſpiciunt ordinem atque decus rerum eidem ſubjectarum. v. g. in republicâ paucorum & populari electionem magiſtratuum. Item ſi Regis (qui talis tantum eſt nomine) poteſtas in ordinem redacta, poſtquam videlicet *lex auctoritatis plena hominum regina facta eſt, non autem homines legum Tyranni*, ut loquitur Plato ep. 8. Ad publicas aliquo modo referri poſſunt leges, quæ mores atque diſciplinam civium, v. g. veſtitum aut convivia, ſpectant, & rectiſſimo nomine cenſoriæ appellantur, (2) comprehenduntque ſub ſe leges ſumtuarias. Ex his liquet, quid privatæ leges ſint.

(1) Et propterea in Polonia vocantur pacta conventa, in Germanico Imperio Capitulationes.

(2) Apud Cretenſes erant leges, quæ ſobrietatem præcipiebant, comporationes ac vinolentiam graviter prohibebant, ad quas pertinebat lex, cujus verba à Platone recitantur, *μὴ συμπίνειν ἀλλήλοις ἐις μέθην. Sumptuarias leges ex vbetru Lycurgi & axonibus Romam translatas, diuque ob-*

ſervatas & ſeneſcentes paulatim, reparâſſe Syllam Dictatorem, notavit Ammianus Marcellinus *l.* 16. *rer. geſtar. c.* 5. Huc pertinebant apud eosdem Romanos lex Cæcilia, lex Oppia, lex Orchia, lex Fannia, lex Didia, lex Licinia, lex Julia, & aliæ. v. Macrob. 2. *Saturnal.* 13. Gellium 2. *N. A.* 24. Apud Maſſilienſes maxima dos erat centum aurei, & ultra quinque in veſtitum, ac totidem in ornatum aureum inſumere non licebat. Ut auctor Strabo *l. IV. Geograph. p* 125. Menander Comicus *Virta*, meminit legis novæ, quâ convivarum in nuptiis numerus definitus. V. H. Grotius *excerpt. ex Poetis p.* 728.

XII. De origine legum ita exiſtimat Juſtinus initio hiſtor. *Principio rerum populi nullis legibus tenebantur. Arbitria Principum pro legibus erant.* & Pomponius in *l.* 2. de origine jur. *Initio civitatis noſtræ populus ſine certâ lege, ſine certo jure primum agere inſtituit, omniaque manu à Regibus gubernabantur.* Probat hoc Joſephus *l.* 2. *contra Apionem* * argumentô non ineptô, quod legum vox nuſquam in toto Homeri opere compareat. Verùm immoderatio animi & concupiſcentia alieni effecit, ut poſtea leges ubique conſtituerentur, exiſtimareturque, *ut corpora noſtra ſine mente, ſic civitatem ſine lege, ſuis partibus, ut nervis ac ſanguine & membris, uti non poſſe.* ut Cicero loquitur *pro A. Cluentio.* quo conferri poſſunt, quæ egregia habet Ariſtoteles *III. Pol.* 11. & 12.

* Saltem tutô hinc colligas, legum uſum non adeo frequentem fuiſſe. Tamen apud Heſiodum, Homero ſupparem, vox νόμος occurrit.

XIII. Finis legum eſt, ut imperium ad earum normam conſtanter adminiſtretur. Hinc belle Ariſtotel. *d. l. Qui legem vult imperare, Deum vult imperare; qui Regem ſive hominem, belluam: quod non ſemper ratione, ſed plerumque cupiditate ducatur.*

XIV. Objectum ſunt negotia civium quæcunque: οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι πᾶσι ἀπάντων, *leges enim præci-*

præcipiunt de rebus omnibus. ut Aristoteles loquitur *5. Eth. 3.* modo sint futuræ, & indifferentes. Nihil autem refert, publicæ res sint an privatæ; sacræ an profanæ. Sunt tamen quædam, quæ sub leges non cadunt. v. g. res, de quibus fiunt deliberationes. v. Aristoteles *III. Pol. 12.*

XV. Forma consistit in jussione, & promulgatione, quâ innotescit populo. Fit hæc vel vivâ voce (quod antiquitus factum oportuit ante inventas literas. V. Aristotel. *probl. sect. 19. & 28.)* vel scripturâ in chartâ, olim in tabulis ligneis, eburneis, vel æneis.

XVI. Judicium, ut definit Aristotelea *V. Eth. 10.* ἐστὶ κρίσις δικαίου καὶ ἀδίκου, *justi & injusti* (inter litigantes) *dijudicatio.* conf. *I. Pol. 2. in fine* & *VII. Polit. 8.* Vel potius, *est facultas de litibus sive controversiis forensibus, post litigantium disceptationem, cognoscendi easque sententiâ finiendi.* Quanquam respectu litigantium definiri quoque cum Cujacio possit: *legitima causæ disceptatio, quæ fit apud judicem, à parte actoris & rei, litis finiendæ gratia.*

XVII. Judiciorum præcipua divisio est ab objecto in civilia & criminalia. *Omnia enim judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causâ reperta sunt.* ut ait Cicero *pro Cæcina.* Differunt hæc duo quam maximè; etenim qui in civilibus jus dicit, inter duos litigantes de damno invicem certantes versatur, quos ipse investigato jure, quod inter eos medium est, ad æqualitatem reducere studet. At in criminalibus non jus litigantium quæritur, nec judex inter duos semper jus dicit. Ex officio enim inquirit, etsi nemo actor sit. Sæpe etiam etsi gravissimè peccatum, damnum tamen nemini illatum. Sæpe læso nulla ratione satisfieri damnumve restitui potest.

Non igitur quod partium litigantium, ſed quod reip. intereſt, quæritur. *l. 9. §. 5. de public. & vectigal.* Eodem recidit diviſio Platonica XI. de LL. in ἴδια *privata*, & δημόσια καὶ κοινὰ, *publica ſive communia.*

XIIX. Ab objecto quoque alia ſunt univerſalia, alia particularia, his vel illis cauſis diſceptandis v. g. peregrinorum, pupillorum, mercatorum, deſtinata. In cujusmodi judiciis ariſtocratici quid eſſe obſervavit & in Carthaginenſi republicâ laudavit Ariſtoteles *II. Pol. 9.* Species hujusmodi complures recenſuit Ariſtoteles *IV. Pol. 17. p. 290.*

XIX. Porro à formâ alia judicia ſunt ſumma, alia inferiora. In illis quæ judicantur, vim habent poſtremæ ſententiæ; in his ſecus.

XX. Judicia protinus cum civitatibus ipſis extitêre: * *nihil enim eſt exitioſius civitati; nihil tam contrarium juri ac legibus, nihil minus civile & humanum, quàm compoſitâ & conſtitutâ rep. quicquam agi per vim.* ut Cicero differit *3. de LL.* conf. *l. nullius 14. C. de judæis.* & Ariſtoteles, paraphraſte Heinſio, *I. Pol. 2. ubi exercentur judicia, ut oportet, ibi ordo civitatis conſervatur & quaſi anima: conſervatur inſtitutio, vindicantur leges. Tota quippe juris vis dependet à judiciis. Ea enim id quod juſtum eſt dijudicant, vera juris regula ac norma, quæ tanquam rationis arma corruptiſſimis naturæ armis opponuntur.*

* Plato *VI. de LL.* negat, civitatem revera civitatem eſſe, niſi debito ordine judicia fuerint conſtituta.

XX. Finis judiciorum eſt, ut lites inter cives vel ſubditos dirimantur & jus cuique reddatur, tum *ne tenuiores propter imbecillitatem circumveniantur, neque locupletibus ad ſua vel tuenda vel recuperanda obſit invidia.* ut loquitur Cicero II. de offic.

XXI. Subjectum ſunt actor, reus, judex. In criminalibus actoris vices interdum ſuſtinet fama publica,

publica, ſeu crimen, quod publicæ rei intereſt puniri. Litigantium locum ſubeunt interdum procuratores. Adhiberi etiam ſolent Advocati, ut cauſæ patrocinium præſtent linguâ vel calami miniſterio.

XXII. Objectum ſunt cauſæ. Has ita partiri poſſumus, quod (1) publicæ ſint ſive ſtatum reip. tangant, vel privatæ. Sive eæ (2) inter imperantes & ſubditos, ſive ſubditis inter ſe, ſive civibus cum exteris intercedant, (3) civiles vel criminales (4) numeroſæ, vel paucæ. Ariſtoteles *IV. Pol. 17.* octo cauſarum ſpecies ſine ordine ullo enumerat, quas facile erit ad diſtributiones jam factas redigere.

XXIII. Forma alia generalis eſt, alia ſpecialis. Illa conſiſtit in ordine ſive modo, ut vocant, procedendi, qui diſpar eſt ac varius, & cuique fere civitati ſuus ſibi proprius. Sua Perſis, ſua Ægyptiis, ſua Græcis, & illa his meliora, auctore Diodoro Siculo. Accidunt his locus & tempus.

XXIV. Formam ſpecialem conſtituunt diverſi actus, quales ſunt (1) expoſitio cauſæ, quæ hodie plerumque fit per libellum (2) in jus vocatio (3) litis conteſtatio, cum ſc. reus intentioni actoris contradicit. (4) probatio, quæ eſt rei dubiæ demonſtratio (5) ſententia, quæ vel definitiva eſt, ipſam cauſam terminans; vel interlocutoria, cum ſc. judex interfatur. (6) interdum * appellatio, ubi judicia ſunt inferiora, & reſtitutio in integrum. *Nempe appellatio iniquitatis ſententiæ querelam, reſtitutio verò erroris proprii veniæ petitionem, vel adverſarii circumventionis allegationem continet.* ut loquitur Hermogenianus *in l. 17. de minorib.* & denique (7) executio. v. Ariſtoteles *VI. Pol. 8.*

* Hæc vel verbis fit vel facto. Ita in Turcia qui appellant, Sultanum igne capiti impoſito, in Perſia Regem papiracea veſte induti accedunt, teſte Rigaltio *hiſtoir de l' Empire Ottom.*

tom l. 1. c. 11. Jus Canonicum etiam approbavit appellationem, quæ facto fit, in *cap. dilecti 52. X. de appellation.*

XXV. (1) Affinia judiciis sunt arbitria, (2) quibus vel amicè componuntur controversiæ; vel observatô judiciorum ordine: quæ apud Romanos dicebantur arbitria ex compromisso. Ad illa pertinet (3) dictum Aristotelis *I. Rhetoricor. 13.* ὁ μὲν διαιτητὴς τὸ ἐπιεικὲς ὁρᾷ, ὁ δὲ δικαστὴς τὸν νόμον. *Arbiter æquitatem intuetur, at judex legem.* conf. *II. Pol. 6.*

(1) Prolixam judicum & arbitrorum comparationem habes apud Ciceronem *oratione pro Roscio Comœdo.*

(2) Hæc duo genera arbitriorum etiam Proculus notavit in *l. societatem 76. D pro socio.*

(3) Locum hunc Aristotelis explicat H. Grotius *l. 3. de Jur. B & P. c. 20. §. 47.*

XXVI. Hæc de consultationibus, imperiis, & judiciis nunc sufficiant; nam quemadmodum ea administrentur, in parte rectoriâ est exponendum.

SECTIO OCTAVA.

DE FORMA ACCIDENTALI, HOC EST, BELLO, PACE, FOEDERIBUS.

I. AD FORMAM ACCIDENTALEM pertinent.
II. PAX, quæ definitur.
III. FOEDUS, cujus traditur *homonymia.*
IV. *Definitio.*
V. *Divisio* (1) *à subjecto* in personale & reale
VI. (2) *ab objecto*, quod aliud ad commercia, aliud ad belli communitatem, aliud ad alias res spectet.
VII. (3) *à forma*: in æqualia & inæqualia.
IIX. NEUTRALITAS, quæ definitur.
IX. BELLUM, quod definitur.
X. INDUCIÆ, quæ definiuntur.
XI. REPRESSALIÆ, quæ definiuntur.
XII. Conclusio hujus tractationis.

§. I.

§. I.

AD formam civitatis accidentalem rectè referuntur pax & bellum. Διήρηται δὲ πᾶς ὁ βίος εἰς ἀσχολίαν καὶ εἰς σχολὴν, καὶ πόλεμον καὶ εἰρήνην. * *Dividitur enim omnis vita in negotium & otium, bellum & pacem.* ait Philosophus *VII. Pol. 14.* Idem *l. c. 3.* dixerat. *vitam civilem tributam esse in usum belli & pacis.* Continentur autem sub pace fœdus & neutralitas; sub bello induciæ, accipiunturque hoc loco strictius, accommodatò ad civitates significatu: cum alias pax & bellum ad statum naturalem omnem pertinere possint.

* Cicero Philippica octava: *Inter bellum*, inquit, *& pacem nihil est medium.* Libanius progymnasmat: Δύο καιροὶ πάντα διαιτῶσι τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, λέγω δὴ πόλεμον καὶ εἰρήνην. *Sunt tempora duo, penes quæ totius vitæ est arbitrium, nempe bellum & pax.* Equidem civitas una potest aliam civitatem eodem tempore & hostem & amicam habere. Enimverò id evenit tantum ratione vel certorum actuum, puta commerciorum, vel certorum locorum. Hujus tamen rariora sunt exempla, nisi quod de Cæsareæ, Sarniæ, ceterarumque insularum, Normannico littori præjacentium, incolis Guilielmus Camdenus descript. Britann. in insulis Britannicis memorat; *veterum Regum Angliæ privilegio perpetuas hîc esse quasi induciας, & Gallis aliisque, quamvis bellum exardescat, ultrò citroque huc sine periculo venire & commercia exercere licere.* Conf. Seldenum *l. 2. de mari clauso c. 22.* At cum Fœderati Belgæ, Ann. 1608. proponerent, ut facta pace, quicquid æstivum ultra circulum jacet armorum permitteretur arbitrio, Hispani pacem bello misceri, prodigio ajebant simile, apud H. Grotium *l. 17. Histor. Belgic.* Planè ut olim Argivorum postulatum Lacedæmoniis stultum videbatur, ut Cynarius ager, medius inter Argos & Spartam, belli maneret materia, teste Thucydide *l 5. historiar.*

II. Pax est *civitatum inter se perpetua & destinata quies ab armis actibusque hostilibus.* Dixi *civitatum inter se:* nam pax ipsius civitatis, quæ nihil aliud est, *quam ordinata imperandi atque obediendi concordia*

cordia civium, ut Auguſtinus definit *l. 19. de civit. Dei c. 13.* huc non pertinet. v. ſupra *ſect. 6. §. 1. Perpetua* dicitur ſaltem ex propoſito eorum, qui pacem colunt. *Quies* heic ſtatum ſignificat. Alii per pactum vel conventionem definiunt, ſed nimis anguſtè; cum pax eſſe queat, ubi bellum non præceſſit, puta ubi civitas primum nata eſt, aut inter civitates longè diſſitas.

III. Quando pax peculiaribus pactionibus eſt munita, ſolet fœdus appellari. Fœderis vox apud Romanos latè patuit, ut etiam ad pactiones pertineret, quæ imminutionem imperii continent, & civitates faciunt irregulares, quales ſunt, quæ Achaicæ clientelares aut vectigales dicuntur, de quibus infra pluribus. * Imò ad deditionem porrigebatur, ut apud Livium *l. 9. c. 20. Theates Apuli impetravêre, ut fœdus daretur: neque ut æquo tamen fœdere, ſed ut in ditione populi Romani eſſent.* Quanquam Idem IIX. *c. 2.* hæc inter ſe diſtinguat his verbis: *Campanorum aliam conditionem eſſe, qui non fœdere, ſed per deditionem in fidem veniſſent.* conf. Sigon. *l. 1. de antiquo jure Ital. c. 1.*

* Menippus apud Livium l. 34. c. 57. *Eſſe tria genera fœderum. Unum, quum bello victis dicerentur leges. Alterum, quum pares bello æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent. Tertium eſſe, quum qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coëant.* At Bottemans *Var. Lect. c.* 16. quantum attinet primum genus, refragatur: deditios enim, ſi accuratè loquamur, in ditione, non fœdere eſſe. Neque tamen dubium, alios bene latinos auctores ita uſurpaſſe. Apud Phædrum eſt l. 1. fab. 32. *Quare Regem me non creatis icto fœdere.*

IV. Fœdus in propria ſignificatione definiri poteſt, *ſtatus duarum vel plurium civitatum, ſub pacto de amicitiâ colendâ, vel auxiliis præſtandis, vel commerciis exercendis ſociatarum, ſine imminutione imperii.*

perii. Statum dico non conventionem, quod generis loco plerique alii ponunt, fœderis ſc. vocem non ſtantis ſed efficientis ſenſu accipientes. Dixi porrò, *ſociatarum:* Nam ſi plures civitates uno tempore ſine ſocietate aliam invadunt, propriè fœdus non eſt. ut docet Frachetta *ſemin. B. & P. diſc. 92.* eò referens Cruciatas ſeu paſſagia, quæ vocant, hoc eſt expeditiones Chriſtianorum populorum in terram ſanctam. De quibus Æneas Sylvius *epiſt. 414.* ad quam legenda *integra diſſertatio* D. Bœcleri.

V. Fœdera à ſubjecto ſunt vel perſonalia, vel realia. Illa intra perſonam ſtant: hæc ad rem pertinent, & quamvis mutatâ perſonâ manent ſtabilia.

VI. Ab objecto variè diſpeſci poſſunt. Nam quædam fœdera ad commercia, quædam ad belli communitatem, quædam ad res alias ſpectant. Pactiones de commerciis paſſim occurrunt in hiſtoriis, inprimis recentioribus. V. Grot. *2. c. 15. §. 6.* Leonem ab Aitzma in *hiſtoriâ pacis p. 730. ſequ.* ubi exhibet celebre illud fœdus inter Henricum VII. A. R. & Philippum Archiducem Auſtriæ A. 1495. initum. Alia attexuit *libro de jure mercatorum* Marquardus *in part. 2.* Fœdera bellica vel ad inferendum bellum vel tantum ad propulſandum comparantur. Unde alia offenſiva, * Græcis συμμαχίαι, alia defenſiva, Græcis ἀμμαχίαι, dici conſueverunt. Illa Beſoldus in *Theſauro Practico* & Speidelius perperam definiunt; ubi ab omnibus fœderatis iidem amici aut hoſtes judicantur, ſine diſputatione de jure. Juſtum enim & honeſtas ſemper tacitè excepta intelligi debent. Potro ad alias quoque res fœdera pertinere diximus: v. g. ut ne in confinio alterius alter arces habeat, ne ſubditos alterius alter defendat, ne iter alterius hoſti præbeat.

* Suidas:

* Suidas: Συμμαχία, inquit, ἐπιμαχίας διαφέρει. Συμμαχία γάρ ἐστιν, ὅταν τις τὸν αὐτὸν ἔχῃ τῶν συμμαχομένων ἐχθρὸν καὶ φίλον. Ἐπιμαχία δὲ ὅταν τις μόνῳ τῷ συμμαχομένῳ ἀδικουμένῳ βοηθῇ, εἰ μὴ τοι καὶ ἀδικεῖσθαι συμπεφύτευται

VII. A forma, hoc est, obligatione, fœdera alia sunt æqualia, cum utrinque paria præstantur, * alia inæqualia, v. g. si quis auxilia promittat nec restipuletur, aut majora promittat. V. Grot. *d. l.* §. 7. Rursum alia definita, alia indefinita; quale illud Pontificis Romani & Ducis Ferrariensis cum Henrico II. Gall. Rege. apud Thuanum *l. 16. Histor. Ipse amicos Regis pro amicis, hostes pro hostibus sine exceptione habere teneatur.* conf. Livium *l. 38. c. 8.* ubi de Ætolis. Porro fœdus interdum nullo tempore circumscribitur, duraturum quousque causa fœderis durabit: interdum certo tempori includitur.

* Quam variè fœdera inæqualia accipiantur. v. H. Grotius *l. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 21.*

IIX. *Pax inter duos pluresve belligerantes* vulgò dicitur *neutralitas.* Hæc neutralitas interdum * bonâ gratiâ belligerantium constat, & fœderibus firmatur. Ut Antiochi legati apud Livium *l. 35. c. 48. Non secum ut adversus eos arma capiant, sed ut neutri parti sese conjungant, petere.* V. Bœcleri *dissertatio, cui titulus: Quies in turbis.* Si qui neutrarum est partium belligerantibus se medium interponat, vocatur *arbitrium*, sive, hodiernâ latinitate, *mediatio.* Unde *pacis procuratores*, ut eos Cicero *XII. Philipp.* at vulgus mediatores vocat.

* De Duce Curoniæ Joach Pastorius l. 7. Flori Polonic. p. 618. *Optimus ille Dux, lege feudi Poloniæ Reip. innexus, à Rege tamen jam dudum impetraverat, ut à belli Suecici consortio immunis, atque adeo utrique dimicantium amicus maneret; quia pactis Sturmdorfianis paci inter partes conciliandæ destinatus pararius, non miscendus jam armis videbatur.*

IX. Bel-

IX. Bellum eſt *ſtatus civitatum per vim certantium, quà tales ſunt. Statum* dixi, quoniam hæc vox eſt generalis & præſcindit ab operatione ſive concertatione: Addidi *civitatum:* ut hinc removeantur bella civilia, quoniam civitatis eſſentiam labefactant; item * bella privatorum, dimicationes pugilum, pugnæ cum beſtiis, quæ per ſimilitudinem quandam bella nuncupari poſſunt. Particula autem reduplicativa, *qua tales ſunt*, ſignificat, quatenus hoſtes invicem ſunt in ſtatu per vim certantium. Uſuvenit enim ſæpiſſimè, ut eodem tempore diverſa inter diverſas civitates exiſtant bella; ubi quidem utrobique profectò eſt ſtatus certantium per vim: verum inter eos, qui non ſunt hoſtes, non eſt bellum, quia certant quidem, ſed non quà tales ſunt.

* De quibus *ſect. ult. in fine.*

X. Induciæ *ſunt ſtatus hoſtium, à vi ad certum tempus abſtinentium, manente belli cauſa.* Tempus illud etiam in annos centum extendi poſſe, aſſerit Grotius *l. 3. c. 21. §. 1. in fin.* & probat exemplis apud Livium. Verum ut hoc ſimpliciter negare nolim, ita magis mihi in plerisque exemplis placet, quod Vittorio Siri *tom. 2. del Mercur. l. 2. p.* 1131. judicavit, cum memoraſſet inter Ferdinandum Catholicum & Alphonſum Portugalliæ Regem (1) in centum annos & unum A. 1479. factas inducias, ſubjiciens: *poſuiſſe eos, ut fieri ſoleat, finitum pro infinito.* Hinc inducias in centum annos factas pacem vocat Livius *l. 7. c. 20.* Adde Zieglerum *l. 1. de jur. majeſt. c. 39. §. 2.* Cæterum quando induciæ condicuntur, ut ad breve admodum tempus ſit vacatio vel ceſſatio armorum, manente belli apparatu, hodie armiſtitia dici ſolent; (2) eaque intellexit credo Paulus *in l. 19. de captiv. & poſtlim. reverſ.* inducias definiens: *eum in breve & in præſens tempus convenit, ne invicem*

ſe

ſe laceſſant, & Varro, quando belli ferias dixit κεῖλα μεταφορικῶν. apud Gellium *l.* 1. *Noct. Attic. 25.*

(1) Talem pacem ad ſpatium centum annorum & unius diei Veneti à Bajazete Turcarum Imperatore A. 1500. certis conditionibus impetrarunt, teſte Cromero *l.* 30. *Rer. Polonic. ad d. A.* Guſtavus Suec. Rex A. 1541. cum Chriſtiano Dan. Rege pacem fecit quinquaginta annorum. Loccen. *l.* 6. *hiſtor. Suec. ad d. A.*

(2) Eodem pertinet quod Donatus ad Terentii Eunuchum dixit: *Inducia ſunt pax in paucos dies, vel quod in diebus dantur, vel quod in dies otium præbeant.*

XI. Affines bello ſunt repreſſaliæ, quæ definiri poſſunt, *executiones violentæ civitatis, ob juſtitiam in cauſa liquidâ ſibi civibusve ſuis negatam vel eluſam ab externa civitate, contra ejus ſubditos quoscunque.* V. Grotium *l.* 3. *de jur. B. c.* 2. Vocem repreſſaliarum varii variè, (1) at melius illi, qui ab Italico ripreſa ſeu iterum prehenſione, ut ita loquar, derivant; quod optimè congruit cum Grotii reprenſaliis, Anglorumque Vidernahmio. (2) Quidam vocant literas Marcæ (hinc Gallorum Droit de marque) quia in finibus ſeu limitibus territoriorum potiſſimum exercentur. (3) Nonnulli clarigationem à Latinis dici putant.

(1) V. Voſſius 3. *de vitiis ſerm. latin. c.* 42.

(2) Marcha vocatur in chatta Regis Aragoniæ A. 1326. v. Cangius *in gloſſar. voce Marcha.*

(3) Ut Budæus, Turnebus, Hotomannus. Provocant hi ad Livium *l.* 8. *hiſtor.* 14. Enimverò ibi captura non facta fuit ob delictum alienum.

XII. Hæc de bello & Pace, quantum inſtituto noſtro ſufficit. Huc verò præterea etiam referenda felicitas vel iniquior fortuna, amor externorum vel odium, cum ſimilibus.

SECTIO

SECTIO NONA.

DE CAUSA EFFECTRICE CIVITATIS.

I. CAUSA EFFECTRIX Universalis est divina providentia.

II. PARTICULARIS vel PRINCEPS, personæ summorum imperantium.

III. Vel MINUS PRINCIPALIS, eaque ANIMATA, administri summorum imperantium, qui spectantur vel IN GENERE ratione constitutionis, ubi subjectum & modi constituendi præcipuè consideranda.

IV. Vel IN SPECIEBUS, quales sunt *consiliarii.*

V. *Magistratus.*

VI. *Judices.*

VII. *Legati*, eorum varia genera.

IIX. Finis.

IX. Subjectum.

X. Objectum.

XI. Forma.

XII. *Milites* & eorum varia genera.

XIII. INANIMATA, *Pœna*, quarum consideratur definitio.

XIV. Finis.

XV. Objectum.

XVI. Forma.

XVII. *Præmia.*

XVIII. *Ærarium.*

§. I.

CAusam effectricem Philosophi partiuntur in universalem & particularem; hanc rursus in principem & instrumentalem. Effectrix universalis est divina providentia, quam fortunæ vel fati vocabulo perperam appellant Gentiles prisci & Machiavellus. Nam fortuna reapse non est causa propriè sic dicta rerum ullarum, sed ejusdem planè naturæ cum casu, ut egregiè differit Aristoteles *II. Physic. 4.* & si bona, nihil est aliud, quàm similitudo eventus cum hominis desiderio. Agnovit tamen ipse Machiavellus *integrò cap. 25. de Principe*, res humanas non solum humanâ prudentiâ aut viribus humanis gubernari, sed esse præterea aliud quid perquam validum, à quo rerum illarum prosperitas aut

infelicitas ſuſpenſa ſit. Ad quem locum pluribus videatur *in animadverſionibus* D. Conringius. Et profecto ſepoſitis etiam ſacris literis arcana illa cura lucidiſſimè conſpicitur in rebus perquam multis, inprimis in conſervatione (1) & amplificatione civitatum quarundam prorſus inſolitâ ac humanam ſapientiam exſuperante, (2) & rurſum intra fatales terminos coercitâ; tum in præmiis & (3) pœnis (4) in præmonitione periculorum per (5) ſigna cœli (6) terræ motus, (7) eluviones aquarum (8) aliaque omnia, nec non (9) ſomnia: adhæc (10) in tuendis contra caſuum adverſa viris Principibus. Quæ & alia exemplis oſtendere infinitum foret. In heroicis Regibus & Principibus excellenti virtute conſtruendis ac ornandis, ut alii exempla eorum intuentes DEUM auctorem & virtutis agnoſcant. v. Chytræum *l. 19. ad A. 1558.* ubi de Carolo V. Grotius *ad Matth. XVIII, 10.* Illud omittere non poſſum, ſingulis civitatibus ſuos attributos eſſe Angelos ex Daniele magno conſenſu & Judæos & Chriſtianos veteres collegiſſe, idque velut extra controverſiam omnem poſuiſſe Clementem Alexandrinum. (11) Quidam numeris etiam vim adſcripſerunt, præſertim in convertendis civitatibus, ut Platonici olim & ſuperiori ſeculo Bodinus *methodi hiſtor. c. 6.* Nec defuerunt, qui à certâ ſiderum poſiturâ cauſas proſperarum aut adverſarum rerum in civitatibus accerſerent. Enimverò uti dudum contra illam Platonicorum ſententiam eruditè diſputavit Ariſtoteles *V. Pol. 12.* Ita hos bene refutavit Gerardus Joannes Voſſius *l. 2. Theolog. Gentil. c. 48.* Conf. Bœcler. *ad 1. Vellej. c. 4. n. 8.* Forſtner. *ad XV. Annal. Tacit. 9.* & quæ de vi aſtrorum circa religionem differit H. Grotius *l. 4. de Ver. Rel. Chriſt. §. 11.*

(1) V.

(1) V. Eſaiam X, 5. XLV, 1. XLVI, 11. Hoc qui non videt in hiſtoria univerſa veteris populi Romani, nihil profecto videt: qui non attendit, non mirator præcipuum uſum ac fructum hiſtoriæ. ait Caſaubon. *comment. in Polyb. p.* 191. De iisdem Romanis Ammianus Marcellinus l. 14. hiſtor. c. 6. *Tempore quo primis auſpiciis in mundanum fulgorem ſurgeret victura, dum erunt homines, Roma, ut augeretur ſublimibus incrementis, fœdere pacis æterna Virtus convenit atque Fortuna, plerumque diſſidentes.* De Urbe Roma Claudianus:

Hanc Urbem inſano nullus qui Marte petivit,
Lætatus violaſſe redit.

Conf. H. Grotium *l. 1. de Verit. religion. Chr. §. 12.*

(2) Exemplo iterum Romanorum, quibus Euphrates, Rhenus & Danubius fatales fuere.

(3) Dio Caſſius obſervavit, *per ſeptingentos ab urbe conditâ annos neminem, qui collegam ſuum magiſtratu & honore dejeciſſet, per unicum annum ſuperfuiſſe.* Illud quoque multis exemplis comprobatum, pœnarum atrocium inventa in auctores ipſos recidiſſe. v. de Peryllo vaccam ex ære conſtruente, in quam concremandi conjicerentur, à Phalaride primum conjecto, Plutarchus *in paral. c.* 34. Plinius *l.* 34. *c.* 8. Val. Maximus *l.* 9. *c.* 2. v. & exemplum notabile apud Cominæum *l.* 10.

(4) Herodotus *l.* 6. hiſtor. veriſſimè dixit: *φιλέει σημαίνειν σφι τὰ μέλλει μεγάλα κακὰ ἢ πόλι ἢ ἔθνει ἔσεσθαι.* *Quoties ingentes eventura ſunt calamitates vel civitati vel nationi, ſolent ſignis pranuntiari.* v. Joel. *II*, 30 *ſequ.*

(5) Quò pertinent Cometæ, quos nova imperia portendere, apud omnes ferme gentes recepta eſt ſententia. Cicero *II. de natur. Deorum* obſervavit, Stellas illas, quas Græci cometas, Romani cincinnatas vocant, bello Octaviano magnarum calamitatum fuiſſe prænuntias. Prodigia quæ Conſtantinopolitanum excidium præceſſere memorat Petr. Bizarus *l. XII. Genuenſ. hiſtor. ad A.* 1453. Virgilius I. Georgic. loquens de bellis, quæ poſt Cæſarem interfectum fuerunt:

Nec diri totiès arſêre cometæ.

Lucanus I. Phaſal.

Igneta obſcure viderunt ſidera noctes,
Ardentemque Polum, flammis cœleque volantes,
Obliquus per inane faces crinemque timendi
Sideris, & terris mutantem regna cometen.

Manilius II. Aſtronomix̄́ων cap. 9. effectus cometarum enumerans:

Civiles etiam motus cognataque bella
Significant:

Adde Tacitum *XIV. Annal.* 22. ubi ait de cometâ vulgi opinionem eſſe, tanquam mutationem regni portendat. Tale etiam judicium Ludovici Pii fuit de cometâ, qui A. DCCCXXXVII. apparuit. v. A. vitæ Ludovici Pii. Aliud exemplum exhibet A. vitæ S. Leodegatii Auguſtodunenſis, à Duchesnio editæ c. 7. Aliud de Cometâ, qui præceſſit mortem Philippi eamque & debilitatem regni ſignificavit, apud Rigordum vitâ Philippi Auguſti, Francorum Regis. v. & Pium V. *lib.* 4. *ep.* 45. Solet Deus his quoque rebus iram ſuam in populos atque adeo in ipſos Principes non obſcurè quandoque ſignificare. Cometas nova imperia portendere apud omnes gentes recepta fermè ſententia eſt, ait Grotius *ad Matth. II.* 1. Sic cometa, qui A. MCCLXIV. apparuit, portendere viſus eſt mutationem regni Siciliæ & Urbani Papæ IV. mortem, ut eſt apud Guilielmum de Podio-Laurentii *c.* 49. & in Chronico incerti A. qui à Catello editum eſt. Baluz. ad Lup. *ep.* 20. Plinium *l. II. N. H. c.* 25. Witichindum *l.* 2. *Annal.* Tales ἐκβάσεις multas hiſtorias probare, obſervavit H. Grotius, quanquam nimia credulitate eas non arripiens, *ep.* 1310. *A.* 1640. Extat Henrici Eckſtormii *hiſtoria Cometarum ab A. M.* 1657. *ad Ann. Chr.* 1618. Stanislai Lubienici *Theatrum Cometarum ad A.* 1665. Amſtelod. A. 1669. editum. Diverſum ſentientium judicia in unum volumen congeſſit Andreas Boſius *ſub titulo: de ſignificatu Cometarum.*

(6) *Nunquam Urbem Romam tremuiſſe, ut non futurè eventus alicujus id prænuntium eſſet*, notatum Plinio. Sua ætate in eadem Urbe S. Gregorius idem obſervavit. v. Carol. Sigonium *l.* 20. *de occidental. Imperio ad A.* 558. De terræ motu in Judæa ſub Herode M. v. Joſeph. *l.* 1. *de Bell. Judaic. c.* 13.

(7) Non impune unquam effuſas intumuiſſe aquas, aut fruſtra ventos inſolentiore tumultu increpitaſſe, ſuis nullæ non gentes experimentis, moxque inſecutis cladibus, didicêre, ait Henr. Meibomius *Chronic. Riddagshuſan. ad A.* 1164. memorabile eam in rem exemplum adducens. H. Grotius *l.* 2. *Ann. Belgicor. ad An.* 1569. *Oceanus*, inquit, *quantâ vix unquam eluvie littora perrumpens, ſtragem præſentem attulit, futurum indicavit.*

(8) Hujus

(8) Hujus generis multa à curiosis observari solent portenta. v. Ammianus Marcellinus *l.* 19. *c.* 12. *& in not. Lindenbr.* Pertinent huc regalia fulmina, *quorum vi*, Cæcina apud Senecam ait, *tangi vel comitium, vel principalia urbis libera loca: eorumque significationem regnum civitati minari.* v. tamen Senecam *l* 6. *Quæst. natur.* 3. Cujus ostenti exemplum est apud Petr. Pizarum *l.* XIX. *Histor. Genuens. ad A.* 1521. Leporis incursus per exercitum, infelix omen, ut multis exemplis comprobavit Stephan. Joann. Stephanius *notis ad l.* XI. *Histor. Dania Saxon.* Casum statuæ mortem, quibus posita, præsignificasse, insignibus exemplis ostendit Emundus Figrelius *de statuis illustr. Romanor. c. ult.* Omen ludicrum eventus motuum Belgicorum est apud Reidanum *l.* 1. *Annal Belgicor, ad A.* 1568. Complura omina comportavit Berneggerus *observat.* 5. *& observat.* 11. *& observat.* 20. Scheffer *memorabilibus Suetica gentis c.* 3. Verum non temerè captanda omina. v. H. Grotius *l. VII. Hist. Belgic. ad A.* 1598. *de balanâ in littus ejectâ*, & omnino Polydorus Virgilius *libris de prodigiis.*

(9) Occasione memorabilis somnii complura alia annotavit P. Pizarus *de bello Veneto l.* 2. *ad An.* 1382. Add. Freinshem. *ad.* 3. *Curtii c.* 3. *n.* 2. *&* 3. H. Grotium *l.* 1. *de Verit. religion. Christian.* §. 17. *& in notis* Scheffer *memorabilibus Suetica gentis c.* 4. Severi apud Herodian. 2. 9. Somnium Ciceronis notabile de Octaviano Augusto apud Dion. Cassium *l.* 45. *p.* 271. *II. ad Maccab. XV*, 11. 12. ubi Grotius. Neque tamen dubitandum sæpe verum esse, quod Euripides dixit:

Φροντὶς ὀνειροι χαίρετ· ὡδὲν ἦτ' ἄρα.
Somnia valete levia: quippe estis nihil.

v. Siracides XXXIV, 1. *seqq.* In aulâ Neronis ob somnium Cesellii Bassi gliscebat luxuria spe inani consumebanturque veteres opes, quasi oblatis quas multos per annos prodigeret, memorante Tacito *XVI. Ann.* 1. 2. 3.

(10) Exemplorum plena est historia. Vide quæ attuli Dissertat. *an summa rerum semper sit penes popul. sect.* 2. §. 9. Adde de Jacobo VI. Scotiæ, contra Gauriæ Comitum insidias mirabiliter servato, Reidan *l.* 17. *Annal. Belgic. ad A.* 1600. & prolixius Jonhstonum. *l.* 8. *Eer. Britann. ad d. A.*

(11) Reidanus *l* 13. *Ann. Belgic. ad An.* 1596. *Prætereundum*, inquit, *haut videtur, quod observatum nonnullis, decimum quemque annum, in senarium numerum desinentem,*

novas & memoratu dignas res attuliſſe. Etenim ſextus poſt ſexagéſimum annus initium Belgarum motibus dedit. Septuageſimus ſextus Gandavenſi pace nobilitatus. Decimus ex eo annus turbatas res & ancipitem reip. ſtatum novatione Liceſtrii vidit. V. & Lipſium 1. *de conſtantia c.* 16. Bernegger, *ad Tacitum quæſt.* 153. Baco de Verulam, *ſermon. fidel.* 56. His opponere licet Remp. Laconicam, ſeptingentis annis neque periculis neque caſibus ullis labefactatam. Ut de ea teſtantur Iſocrates *orat. de pace & in Panathenaica*, Cicero *pro Flacco*. V. Nicol. Cragius 1. *de Rep. Lac. c.* 4 Cum è Pompejanis unus bellum adverſus Cæſarem redintegrandum eſſe optimèque ſperandum diceret, quia aquilæ ſeptem in caſtris Pompeji eſſent repertæ. *Optimè*, inquiebat Tullius, *ſi nobis pugnandum eſſet cum graculis.*

II. Effectrix particularis & quidem princeps ſunt perſonæ ſummorum imperantium. Inſtrumentalis alia animata eſt, alia inanimata (τῶν ὀργάνων τὰ μὲν ἔμψυχα, τὰ δὲ ἄψυχα, ut Ariſtoteles loquitur *I. Pol. 3.*) Animata ſunt ſummorum imperantium adminiſtri.

III. Adminiſtri ſummorum imperantium ſpectantur vel in genere, quatenus conſtituuntur; vel in ſpeciebus, quales ſunt conſiliarii, magiſtratus, judices, legati, milites. In conſtitutione conſideranda præcipuè ſubjectum & modus. Nempè conſtituuntur vel ex omnibus, vel ex quibusdam certis ſeu definitis, ut vel cenſu, vel genere, vel virtute. ut loquitur Ariſtoteles *IV. Pol. 6.* Modus autem conſtituendi fit vel electione, vel citra electionem: electio iterum vel ſorte, vel ſuffragio, vel ſorte & ſuffragio ſimul. Suffragium profertur vel verbis, ſcriptura aut ore prolatis; vel factis, puta manuum protenſione; item palam vel occultè; abſque rationibus vel cum rationibus; juratò vel injuratò; à paratis vel imparatis. Citra electionem contingit emtione, ſucceſſione, aut ſimilibus.

IV. Con-

IV. Consiliarii *sunt ministri reip. prudentiâ & consiliis remp. juvare idonei.* Hodie alii intimi, alii simpliciter consiliarii dicuntur. Illi in sanctiore aut privato concilio arcana reip. expediunt, olim amici Regum, apud Græcos apocleti vocitati.

V. Quid magistratus sint, diversè docent Doctores politici. Aristotelis hæc est sententia *IV. Pol. 15.* ita differentis: *ut simpliciter dicam, hi maximè dicendi sunt magistratus, quibus jus est de quibusdam & deliberandi, & judicandi & imperandi, hocque maximè: imperare namque est magistratus magis proprium.* Bodinum contra disputantem redarguunt Piccartus & Giphanius in commentariis. Quid magistratus apud Romanos fuerint, accuratè explicavit Sigonius *l. 3. de antiquo jure provinciarum c. 5.* Enimverò cum supra dictum sit, tres partes esse civitatis consultationes, imperia & judicia, ex imperiis autem magistratus præcipuè æstimentur: non tantum secundum Aristotelis sed & Romanorum definitionem, confusionis vitandæ causæ magistratus haut dubiè simpliciter & planissimè definitur, *minister reipublicæ, cui facultas imperandi est attributa.*

VI. Judex *est minister reip. existimans* περὶ τῶν δικαίων τοῖς ἀμφισβητοῦσιν *de justis inter litigantes.* ut loquitur Aristoteles *IV. Pol. 4.*

VII. Legati vox apud Romanos extensa fuit etiam ad missos à municipiis, ad expedienda eorum negotia. V. *tot. tit. D. de legation.* imò ad eos, qui sui commodi causa aberrant, & liberâ legatione fungî dicebantur. V. *l. 14. D. dicto titulo.* conf. Zamosc. *l. 1. de Senat. Rom. p. 62.* & Alber Gentil. 1. *de legat. c. 8.* Propriè legatus est *minister reipublicæ, missus ab eo, qui summam potestatem habet, ad sui similem ob publicum aliquod negotium expediendum.* Differunt autem multifariam. Nam primò quidam

liberam, ut facto opus est, negotia tractandi potestatem habent, ac dicuntur plenipotentiarii, Græcis αὐτοκράτορες: Quibusdam ex diverso stricta & circumscripta sunt mandata. Formularios quidam vocant. v. Kulpis *c. 2. de legat. §. 1.* Benè personatus scriptor de supremat. Princ. Germ. *c. 6.* (1) *plenipotentiarii*, inquit, *nomen non esse honoris, sed potestatis; neque, ut quidam faciunt, plenipotentiarium legato characterem habenti opponi posse: nam vel legatos primi gradus, vel etiam secundi ordinis ministrum, mandatum tractandi liberrimum habere posse.* Hinc cum Anno seculi hujus nono & tricesimô Fœderati Belgii Deputati nomen Plenipotentiariorum sumerent, at Hispani hunc ipsis titulum tribuere causarentur, Richelius, summus in Galliâ eo tempore administer, non esse ajebat, quare difficiles hac in re se præbeant Hispani, nec iisdem fraudi esse hoc vocabulum, cum privatis etiam licitum sit, negotiorum suorum causa plenum alteri mandatum dare, apud Victor. Siri *tom. 2. del mercur. l. 2.* Deinde quidam sunt primi ordinis legati, qui Ambassadores hodie nuncupantur, (2) voce ab Ambascia Germanicæ originis descendente, ut ostendunt loca scriptorum à Lindenbrogio producta *in glossario.* Ab his distinguuntur secundi ordinis legati, missi, nuncii, ablegati, envoyés, aut quocunque alio titulo insigniti. Illi faciem reip., ut alibi Cicero loquitur, secum afferunt, ac proinde eô quo mittens honore sunt colendi, quà mos & ratio non refragatur. Hi repræsentatitio isto charactere atque circumpositô splendore destituuntur, missi propterea, ut sumtibus parcatur & negotia facilius ad exitum deducantur, nullis ceremoniarum tricis obstantibus. Postremò alii legati sunt *perpetui*, quos primus sciticissimè dixit Camdenus *in hist. Elisab. ad A. 1563. & 1568.*

1368. assiduos, non certi alicujus negotii causa moram trahentes in externâ republica, sed perpetuâ fungentes legatione; vulgo Residentes ob id appellati, quibus dignitate superiores *Ambassadores ordinarii.* Les Orientaux ne mettent pas difference entre un Ambassadeur & un Envoyé, & ils ne connoissent ny les Ambassadeurs, ny les Envoyes Ordinaires, ny les Residens. La Louber du Royaume de Siam *part. 3. c. 11. n. 1. p. 416.* Alii certo negotio sunt præpositi, quô confectô domum redeunt. Dicuntur ob id extraordinarii & temporarii. (3) Legatos assiduos antiquitati ignoratos fuisse, docet H. Grotius *l. 2. c. 18. §. 3.* Verum Richardus Zouchæus *de legati judice competente p. 66.* allatis exemplis contrarium probare annititur. Quanquam facile responderi possit, legatis illis certa negotia data, eosque non assiduos fuisse, tametsi præter solitum conficiendis rebus diutius immorarentur. Alioquin ac in universum usus legatorum statim cum ipsis rebuspublicis cœpit.

(1) Quæ notanda contra Gregorium Leti *ceremon histor. politico.* contendentem adversus Vicquefortium & communem fere usum, principem locum debeti legatis, qui libera potestate sunt instructi, V. Eruditi Lipsienses *in Actis A. 1685. mense Julio.*

(2) Vicquefortius ab Hispanica voce *Embiar*, hoc est, ablegare, deductum existimavit.

(3) Hoc genus legatorum ante duo hæc secula incognitum fuisse, observavit Vicquefortius *l. 1. de l'Ambassadeur sect. 1. in calce.* addens: Polonos non libenter eos admittere. Turcarum Imperatorem legatos assiduos in aliorum Regum aulis non habere, magno ipsius damno, notavit Rigaltius *in histor. Ibrahami Turcar. Imp. ad A. 1640. p. 171.* Mendosum legati nomine speculatorem in Angliâ egisse scribit Grot. 1. *hist. Belgic. p* 117.

IIX. Finis in definitione ponitur, nempe ut negotia reip. expediant. Unde confestim liquet,

minus propriè legatos dici, qui eum titulum honoris & ornamenti causa apud exteros gerunt. V. Relat. nouvell. d' Espagne *tom. 2. p. 15. sequ.* ubi Regina Hispaniæ Nitardo suo tribuit titulum legati honorarii.

IX. Subjectum est * is qui mittitur, & ad quem mittitur & hic quidem summæ potestatis compos. Bene Cicero apud Dionem *l. 45.* & in Philippicis. *Ad extraneos mitti legationes: at cum civibus per legatos agere turpe & absurdum esse. Legibus & judiciis agendum suppliciisque, si hujus juris copia non sit, vi armata persequendum, quicunque ex cive in hostem desciuit; in rebellionis crimine præsertim ne dubitandum quidem; cum scelerato etiam cive nullam esse conditionis, æquitatis, legationis communitatem.* Planè interdum, ubi civitas fit irregularis, v. g. in bellis civilibus, ubi resp. in partes ivit, disputatio à ratione ad necessitatem transit.

* Etiam fœmina, quanquam tarissimè. Exemplum unum, forte primum & ultimum habet Vicquefort. *l. 1. de l' Ambassadeur sect. 1.* v tamen Zouchæum *jur. part 2. p. 240.*

X. Objectum sunt negotia belli & pacis, & quæcunque cum exteris negotia, publica sc. Hinc Agentes, quos vocant, distinguuntur à legatis propriè dictis. Etenim magis in privatis quam publicis rebus occupantur, & nullos accipiunt codicillos dignitatis. conf. *A. de jure supremat. c. 6.*

XI. Forma consistit in mandato, quod diploma legationis literas fidei & credentiales vocant. Quanquam hodie, ubi de certo negotio tractandum, præterea diploma facultatis sive instrumentum procuratorium soleat exigi, ut constat ex Petro Suave *l. 2. histor. Concilii Trident. p. 120.* & Leone ab Aizma *in histor. pac. ad A. 1652. p. 689.* ubi Angli à Pavio Fœderati Belgii legato præter literas credentiales desiderabant

derabant plenipotentiam (Gallis pouvoir dictam) quam ille velut supervacuam neglexerat. * Solet præterea libellus commonitorius (vulgo instructionem vocant) legato dari, quem nonnulli cum literis fidei & mandato procuratorio perperam miscent: Etenim hoc extero, quocum agendum, exhibetur & eidem obligat mittentem; at instructio seu libellus commonitorius arcana plerumque continet mandata, & missum mittenti obligat.

* Pontanus narrat de duobus Regibus Neapolitanis, Ferdinando & hujus filio Alfonso, diversa eos usos consuetudine: Ferdinandum consuevisse legatis dicere: *Mando vobis, ut hoc negotium rectè administretis, & do vobis potestatem mutandi decreti, sicut videbitur.* Alfonsum, qui forte incommodi aliquid rei huic inesse videbat, contrarium servasse, & res deliberatas legatis committentem dixisse: *Mando vobis hoc negotium, & prohibeo, ne quidquam in decreto hoc mutetis.*

XII. Ad instrumenta præterea pertinent milites. *Oportet enim civitates & in se ipsis habere arma & ad imperium, propter eos qui parere nolunt: & adversus eos qui extrinsecus injuriam facere aggrediantur.* Aristotel. *VII. Pol. 9.* Milites apud Romanos erant personæ, ad justum bellum lectæ, in numerum relatæ, & sacramento obstrictæ. In universum definiri possunt homines, ad usum armorum idonei, qui bello tractando adhibentur. Sunt autem diversa nomina militum. Nam à fine alii sunt præsidiarii, ad locorum aut corporis custodiam destinati, quorum hi à Romanis Prætoriani, à Græcis σωματοφύλακες dicebantur; alii in expeditione versantes. A modo constituendi quidam sunt conductitii sive mercenarii, quidam lecti sive evocati, quidam socii. Conducuntur verò vel domi, vel foris. Deinde à genere armorum quidam hastati, aut sariſſophori (vulgò Piqueniers) quidam gladiati, quidam sagittarii aut sclo-

sclopetarii, quidam cataphracti. conf. Aristot. *VI. Pol. 7.* ubi militem dividit in ὁπλιτικὸν & ψιλὸν, *gravis & levis armaturæ.* Adde funditores, nam, ut Vegetius I. de re milit. 6. ait, *in omnibus veterum præliis funditores militasse nullus ignorat.* Ubi multa alia in laudem fundarum. Rursus alii sunt pedites, alii equites, quos illis antiquiores esse observavit Aristoteles *IV. Pol. 13.* At * illos apud Romanos magis æstimatos fuisse constat. Recentior ætas auctoribus, ut videtur, Germanis novum genus adinvenit Dragonarios, quos imitatione antiquitatis dimachas appellare possumus; alii malunt equites desultorios vocitare. Postremum ratione quantitatis milites considerantur ut singuli, vel ut sunt in ordines collecti. Apud Romanos divisa fuit militia in legiones, quarum quæque quinque millibus aut amplius constabat. v. Polyb. *l. 1. histor. p. 21. Plena legio peditum sex millibus centum fundatur*, ait Vegetius *l. 11. de re milit. c. 6.* Legio in decem cohortes, quarum singulæ quingentorum militum, sed & plurium usque ad mille. v. Savilis de *militiâ Romanâ.* Apud Hollandos cohortes in vexilla peditum sc. & turmas, quarum tres velut ala communi imperio reguntur. H. Grotius *l. 5. Ann. p. 111. 112.* v. de turmarum Præfectis Grot. *ad Act. Apostolor. XXIII, 23.* Hæ porro in numeros. Ad instrumenta militum pertinet pulvis pyrius, cujus descriptio est apud Grot. *2. hist. Belgic. p. 164.* v. de Artilleriâ *Journal des Sçavans A. 1685. p. 369.*

* Valerius Consul apud Livium l. 3. histor. 6. *Præstate virtute peditem, ut honore atque ordine præstatis.*

XIII. Instrumentalis inanimata sunt pœnæ, præmia, & ærarium. Rectè enim Solon dixit, & Cicero in Bruto probavit: *remp. duabus contineri rebus, pœnis nempe & præmiis.* Et jam dudum in proverbium

verbium abiit, pecunias esse nervum rerum. conf. Aristot. *I. Pol. 7. in fine.* Pœna est malum passionis propter malum actionis. Quæ definitio est H. Grotii *2. de jur. B. & P. 20. 1.* & rectè se habet, si vocabulo actionis etiam omissio intelligatur.

XIV. Fines pœnarum sunt, * ut emendetur is qui peccavit, ut satisfiat patienti injuriam, ut exemplum edatur aliique deterreantur. Quos tres fines ita concinnè Græci efferunt: νεθησίαν, ἀποκλήρωσιν, παράδειγμα.

Seneca 1. *de clement.* 22. *In vindicandis injuriis hac tria lex secuta est, qua Princeps quoque sequi debet, ut aut eum quem punit, emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ut sublatis malis securiores cæteri fiant.* Conf. Gellium 6 *N. A.* 14.

XV. Objectum est malum actionis seu delictum, quod est factum sponte admissum, honestati & juri contrarium, eoque animadversione dignum. Quod si dolo committatur, verum; sin culpâ, quasi delictum dicitur.

XVI. Forma est malum passionis; cujus considerandæ quantitas, hoc est, æstimatio, & qualitas: quò pertinet divisio pœnarum in capitales, quibus vita adimitur, & non capitales. Sub illis continentur decollatio, suspendium, submersio in aquis, vivi defossio, supplicium rotæ, vivicomburium, impalatio, dissectio in partes sive distractio per equos: Sub his mulcta pecuniaria, publicatio bonorum, infamia, relegatio vel ex certô loco, vel ad certum locum, quæ dicitur hodie confinatio; perpetuus carcer, damnatio in metallum, ad triremes, aliave opera publica, stigmatis inustio (quod apud Romanos literis fiebat, unde Plauti *in Casin.* joco homo literatus) excœcatio, decalvatio, fustigatio, abscissio auris, digitorum, manus, linguæ. Verùm utrarumque species omnes, recensere nimis longum foret.

foret. * V. Camill. Borellum *2. magistr. edict. à p. 333. ad p. 393.* ubi addit, pœnitere se, quod tam multa pœnarum genera enarraverit.

Adde Carpzovium *Quæst. crim.* 128.

XVII. Præmia alia ex merâ gratiâ, alia ob merita tribuuntur: deinde alia rem, alia honores imprimis & gloriam conferunt. Ad honores pertinent (1) statuæ, monumenta sepulcrorum, pyramides, tituli, insignia, v. Aristot. *I. Rhetor. 5. n. 26. sequ.* (2) torques (3) coronæ (quæ apud Romanos erant triumphales, civicæ, querneæ) elogia publicè dicenda & similia.

(1) V. Emundi Figrelii *de statuis illustrium Romanorum librum singularem.*

(2) V. Joannis Schefferi *Syntagma de antiquorum torquibus.*

(3) V. Gellius *l. 5. N. A. c. 6.*

XIIX. De ærario jam supra non minus commodô loco egimus. Quanquam & huc pertineat. *Nam opus est, ut civitates pecunia aliquam copiam habeant & ad usus proprios suosque, & ad bellicos.* Aristotel. *VII. Pol. 9.*

SECTIO DECIMA.

DE CIVITATUM REGULARIUM DIFFERENTIIS.

I. Differentiæ civitatum diligenter excolendæ.

II. REGULARIUM PRIMA est divisio, *in* OPTIMAS & NON OPTIMAS. Illæ vel ex voto sunt tales, vel plerumque, vel pro subjecta materia.

III. ALTERA ab objecto civitatis in MEDITERRANEAS & MARITIMAS.

IV. TERTIA à subjecto summæ potestatis, in REGNA, ARISTOCRATIAS & POLITIAS.

V. REGNORUM *antiquitas.*

VI. *Homonymia & definitio.*

VII. *Di-*

VII. *Diviſio* Ariſtoteſea.

IIX. *Diviſio* accuratior *prima* à modo conſtituendi, in *ſucceſſiva*, quæ rurſum aliquas habent differentias.

IX. Et *electiva*, ad quorum cognitionem obſervationes quædam ſubjunguntur & traduntur eorum *differentia ratione* vel *eligendorum*, unde ſunt electitiæ puræ aut temperatæ, aut etiam mixtæ ex ſucceſſivo & electivo.

X. Vel *eligentium*.

XI. Diviſio altera à modo adminiſtrandi, in *tutoria*, aut *ab aula potiſſimo adminiſtrata*.

XII. Item in *regiè, ariſtocraticè* aut *populariter temperata*.

XIII. ARISTOCRATIARUM *definitio*.

XIV. *Diviſio prima* à modo conſtituendi in *electivas*.

XV. Quæ rurſus ſunt vel *voti reſtricti*, vel *voti liberi*.

XVI. Et *ſucceſſivas*.

XVII. *Diviſio altera* à modo adminiſtrandi, in *puras & temperatas*.

XIIX. *Diviſio tertia* in *urbicas*, & per *univerſam civitatis regionem ſparſas*.

XIX. POLITIARUM *definitio & diviſio prima* in *puras & temperatas*.

XX. *Diviſio altera* in illas, *quæ tribus ſive ſodalitates civium habent*, & *quæ iis carent*.

XXI. *Diviſio tertia* in *urbicas*, & *per vicos ſparſas*.

§. I.

SUpra diximus, ſummam civitatum partitionem eſſe in regulares & irregulares *ſect. 2. §. 5.* Utræque rurſus diverſa genera & diſſimilitudines habent, ad quæ politicum diligenter attendere oportet; planè ut medicus variorum humani corporis ſtatuum notitiam comparare ſibi debet. * Verè enim dici poteſt: aliam remp. alias doctrinas poſtulare. V. omnino Ariſtotel. *IV. Pol. 1. & capitibus ſequentibus.* & *VII. Pol. 8. in med.* & *IIX. Pol. 1.* Proveniunt autem differentiæ hæ bonam partem à diverſo genio populorum. Quam in rem Plato *IIX. de republicâ* Æſchyli illud inducit:

Ἄλλον ἄλλη πρὸς πόλει πεπαγμένον,

Alterum hominem alteri civitati convenientem.

v. idem

v. idem Plato *l. XII. de LL.* apud Schilter. *Jur. publ. p. 38.*

* Huc Taciti illud IV. Annal. 33 pertinet: *Ut olim plebe validâ, vel cum patres pollerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur, ſenatuique & optimatum ingenia qui maximè perdidicerunt, callidi temporum & ſapientes credebantur: ſic converſo ſtatu neque alia rerum, quam ſi unus imperitet, hac conquiri tradique in rem fuerit.*

II. Regularium prima & ſumma eſt diviſio in optimas & non optimas. *Primam* dico, quia ad conſtitutionem optimæ reip. omnium cauſarum conſpiratio neceſſaria eſt: in non optimâ ſatis eſt, quamlibet unam deeſſe cauſarum. Optimarum autem alia eſt ex voto, κατ' εὐχὴν Ariſtot. *IV. Pol. 1.* ἁπλῶς ſive *ſimpliciter*, iidem *VII. Pol. 9.* κάλλιστα πολιτευομένη. *ibid.* alia plerunque, ταῖς πλείσταις πόλεσι. Ariſtot. *IV. Pol. 11.* alia pro conditione ſtatus præſentis, πρὸς ὑπόθεσιν. Ariſtot. *d. l. in fine. & VII. Pol. 9.* Optima ex voto eſt civitatis ſimulacrum, quæ nuſquam reperitur, humanô tantum ingeniô in id evecta, ſupra quod aſcendi non poteſt; quandoquidem quicquid excellens uſpiam vel magnificum pulcrumque eſt in ſe complectitur. Hinc quidam Utopiam, alii civitatem magneticam, alii à primo auctore Platonis remp. vocitant. V. ſupra *pædiam §. 11.* Conring. *de prudent. civil. c. 14. p. 348.* Ad hanc ſpeciem referendæ laudes Corinthi apud Pindarum *Olymp. od. 13.*

Ἐν τᾷ δὲ Εὐνομία ναίει, κασίγνητά τε, βάθρον πολίων,
Ἀσφαλὴς Δίκα, καὶ ὁμότροπος
Εἰράνα, παμπλάτων
Ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι
Παῖδες ἐμβούλου θέμιτος.

Ita

In hac Eunomia habitat, ſororesque,
Fundamentum civitatum,
Firma juſtitia, & comes indole
Pax eadem, cata opum
diribritrices, aurea
Filia altricis Themidis.

Et quod Euripides Hippolyto vocat:

Ἑλλανίας,
Φανερώτατον ἄστρ' Ἀθήνας.
Græciæ
Lucidiſſimam Stellam Athenas.

v. Grot. *in excerpt. p. 876.* Plerunque optima eſt, quæ virtutem non quærit exſuperantem vulgi captum, & proinde civitatibus plerisque conveniens eſt. Optima pro conditione ſtatus præſentis ab hoc loco eſt aliena, quoniam & irregulares civitates ita optimas eſſe nihil vetat. Pertinet huc Ariſtotel. illud IV. Pol. 11. in fine. *Licet alia forma ad virtutem ſit expetibilior; alia tamen propter convenientiam cum moribus & natura civium magis conducere ſolet.* Idem dixit V. Pol. 9. *Paucorum dominatus & ſtatus populi bellè ſe habere poſſe, tametſi exierint optimo gradu.*

III. Altera diviſio ab objecto civitatis, eſt in mediterraneam, & maritimam. Hæc mare adjacet vel omni vel maximâ ex parte; aut notabili ſaltem ad accedendum & egrediendum loco. Unde civitates maritimæ ſunt vel in continenti poſitæ, vel inſulares. Tales olim pleræque Græciæ civitates, teſte Ariſtotele *II. Pol. 8.* In his civitatibus præcipuè conſideranda univerſitas nautarum, (quorum diverſa ſunt miniſteria. V. Ariſtotel. *III. Pol. 3.*) deinde regio terreſtris cum ſuis littoribus & (1) portubus (v. *l. portus 59. de Verbor. ſignificat.*) & mare cum domiciliis maritimis, hoc eſt navibus, quæ vel

militares, quarum uſus in bello, vel mercatoriæ, vel piſcatoriæ, vel curioſæ.

(1) Hi vel naturales ſunt, vel artificiales. Portus naturalis deſcriptio eſt apud Virgilium I. Æneidos.

Eſt in ſeceſſu longo locus : inſula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque ſinus ſcindit ſeſe unda reductos.
Hinc atque hinc, vaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli : quorum ſub vertice late
Æquora tuta ſilent.

V. Boſii *introduct. in notit. rerump. c* 27. §. 2. Beemannus *hiſtor. Geograph. c* 3. *part.* 3 §. 8. *ubi de diſtinctione portuum in reales, d' entrata & di mareа.*

(2) Extat elegans Joannis Schefferi diſſertatio *de varietate navium*, ubi naves in univerſum dividit in μακρὰς, ſeu longas, & στρογγύλας, ſive oneratias.

IV. Tertia diviſio eſt à formâ, & quidem ſumma poteſtate, (1) in regnum, ariſtocratiam & politiam. v. ſupra *ſect. 6. §. 13.* Ariſtoteles III. Polit. 5. *Vocare conſuevimus ſtatuum, qui reguntur ab uno, ſpectantium ad commune bonum, regnum : paucorum autem ſtatum, pluriumtamen uno, optimatum poteſtatem, vel quia optimi viri imperant, vel quia ſpectant ad id, quod optimum eſt civitati & communicantibus ipsâ : quando autem multitudo civitatem rexerit, ad commune bonum converſa, vocatur communi nomine omnium rerump. reſpublica.* Eadem fere habet III. Eth. 12. Breviter Cicero *III. de republ.* apud Auguſtin. *Remp. eſſe rem populi, cum bene aut juſtè geritur, ſive ab uno Rege, ſive à paucis optimatibus, ſive ab univerſo populo.* Strabo *l. 1. Geograph.* Τὰς πολιτειῶν διαφορὰς ἀπὸ τῶν ἡγεμονικῶν διαιρεῖνομεν. ἄλλην μὲν ἡγεμονίαν τιθέντες τὴν μοναρχίαν, ἣν καὶ βασιλείαν καλοῦμεν. ἄλλην δὲ τὴν ἀριστοκρατίαν. τρίτην δὲ τὴν δημοκρατίαν. τοσαύτας δὲ καὶ τὰς πολιτείας νομίζομεν, ὁμωνύμως καλοῦντες ὡς ἂν ἀπ' ἐκείνων τὴν δύναμιν ἐχούσας τῆς ἰδιοποιίας. *Rerump. formas à principatibus ſecernimus,*

nimus, alium principatum ſtatuentes monarchiam, quæ & regnum dicitur; aliam optimorum; aliam populi poteſtatem. Totidemque reip. genera judicamus, iisdemque ea nominibus afficimus, quod ab iis habent principium ſuæ informationis. Eſt autem hæc differentia eſſentialis, ut rectè docet Ariſtoteles *IV. Pol. 3.* Etenim cum πολιτείαν *rempublicam* eſſe πόλεως τάξιν *ordinem civitatis*, ſupra probatum ſit, prout variat illa τάξις, ita eſſentia πολιτείας alia erit atque alia. Et licet reip. generatim ſumtæ accidat eſſe vel monarchicam, vel ariſtocraticam; tamen quod reſpectu unô eſt accidentale, alterô ſolet eſſe eſſentiale, (2) atque adeo nihil obſtat, quo minus formæ illæ conſtituant eſſentiales differentias ſpecierum reip. v. H. Conring. *ad part. 1. Lampad. §. 60.*

(1) Dio Chryſoſtomus *orat. 3. de regno* εἴδη φανερώτατα, *ſpecies uſitatiſſimas*, vocat.

(2) Certè alia eſt unitas majeſtatis communi, alia cum pluribus ineſt. Ibi enim una eſt unitate naturali ac propriè ſic dicta; heic tantummodo morali ac civili. Ut diſſerit Boſius *introduct. in notit. rerump. c. 30 § 17.*

V. Regno primum locum dedimus ob antiquitatem: Nam πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη. *initio à Regibus gubernabantur civitates, & nunc etiam gentes.* ait Ariſtot. I. Pol. 1. & Iſocrates *in Panethanaico: Priusquam democratia & oligarchiæ nomen notum erat, Barbaricæ gentes & omnes Græciæ civitates Regibus parebant.* Dionyſius *lib. 5.* Antiquit. Rom. p. 337. *A principio omnibus Græciæ civitatibus ſui erant Reges, niſi quod illi non barbaricâ licentiâ dominabantur, ſed juxta leges & mores patrios regnum exercebant.* Cicero III. de Legibus. *Omnes antiquæ gentes Regibus quondam paruerunt.* Salluſtius, Catilin. *Regium in terris nomen imperii primum fuit.* conf. Auguſtin. *3. de civit. Dei 10.* Et ſanè imperii illud genus indoli & ingenio coëuntium erat

maximè conveniens, quippe antea ſuetorum ſub uno patrefamilias tanquam Rege vivere, præſertim cum ſimplices & nondum per experimenta ſagaces eſſent. Bene Polybius l. 6. hiſtor. à princip. Ἀναλαστένως καὶ φυσικῶς συνίσταται μοναρχία. *Unius dominatio ſine ulla arte & natura impetu conſtituitur.* Accedit, civitates propter incommoda naturalis ſtatus exortas; regno autem nulla alia reſp. ad bellicas rationes eſt accommodatior. Aliam rationem addit Ariſtot. III. Pol. 11. *quia rarum erat invenire viros multum virtute præſtantes, præſertim tunc cum parvas urbes habitarent.* Præterea interdum beneficio impellebantur ad conſtituendos Reges. Fateor antiquitus regna perfecta non fuiſſe omnia; & in antiquiſſimis regnis populo jus aliquod manſiſſe, notavit Ariſtot. *III. Pol.* 10. *in fin.* quod apparet etiam in Alcinoo apud Homerum *in Odiſſ.* Θ, docetque Euripides *in Pliſthene*; & Dionyſius Halicarnaſſ. *II. antiquit. Romanar.* conf. Pufendorf. *l. 7. de jure nat. & gent. cap. 5. §. 4.* Remansêre regna & nunc ſuperant in locis Orientis tantum non omnibus. *Suetus Regibus Oriens*, ait Tacitus *4. hiſt.* 17. & Iſocrates *in oratione ad Philippum*, poſtquam dixerat *Græcos monarchiam ferre non conſuevtſſe*, addit: *cæteros ſine hac imperii forma non poſſe vitam ſuam moderari.* Aſiam tamen olim democratiis & oligarchiis non caruiſſe liquet exemplo Cananæorum *Joſ. IX*, 11. Philiſtinorum *I. Sam. V*, 8. & Judæorum poſt captivitatem Babylonicam *I. Maccab. IV*, 59. *IIX*, 29. *XII*, 6. *XIII*, 36. conf. inſignem locum Joſephi *l. XI. Orig. c. 4. circa extrem.* Nebuſæos, Divæos, Indos minores, Aſiæ populos ὑπὸ μειζόνων, ſive *primatibus*, regi, teſtatur Græcus ſeculi IV. ſcriptor, in veteris orbis deſcriptione à Jacobo Gothofredo primum editâ. De Scribus Strabo l. XV. Geo-

Geograph. Λέγεται δὲ καὶ ἀριστοκρατικήν τινα σύνταξιν πολιτείας αὐτοῖς ἐκ πεντακισχιλίων βουλευτῶν συνεστῶσαν. *Ferunt etiam quendam Optimatum ordinem remp. gubernare, ex quinque millibus consiliariorum constantem.* De populis Brachmanibus Bardisanes Babylonius apud Porphyrium *l. 4. de abstinent.* ἔτι δὲ βασιλεύεσθαι βραχμᾶνας. Quod etiam testatur vetus ille Græcus scriptor *d. l.* Curtius 9. histor. 8. Sarabacas *gentem* dicit, *quæ populi, non Regum imperio regatur.* In Africa exemplum habemus Karthaginensium, de quibus Aristot. *II. Pol. 9.* In Africâ quoque sunt Gallani populus bellicosus Habessinis infestus, qui tantum in bello Ducem habet. v. Ludolf. *Histor. Habessin. l. 1 c. 16. n. 37. n. 53.* Conf. ex Dappero descriptione Africæ *Journ. des Sçavans A. 1687. p. 11.* ubi de au deça de l'Equalor Æthiopia inferiore agit: Brave est une grande Ville & une Republique Aristocratique, qui paye un tribut annuel au Roi de Portugal. Ses habitans elisent douze Magistrats qu'ils appellent Cheques, pour avoir soin des affaires d'Estat. Addit Dapperus: que c'est peut-estre la seule Republique, qui soit dans le continent. At reponit A. Journ. Il a oubrie celle d'Alger, de Tunis & de Tripoli, qui sont des veritables Republiques, quoi quelles soient sous la protection des Turcs, qui y etablit des Bachus. conf. Wagenseilii *Geograph. in Africâ p. 15. sequ.* (1) Hodie Africa & Asia universa Regibus paret, (2) nisi quod incolæ insulæ Bandæ, Moluccorum celeberrimæ, (ubi nucis odoratæ optimus proventus est Grotius *l. XI. hist. Belg. p. 427.*) hoc seculo adhuc speciem aristocratiæ habuisse feruntur. De Algirienſium rep. in Africa vid. la Croix *in Geograph.* Der Bassa ist der Vice-Roy dem äusserlichen Ansehen nach und das Regiment gehöret der Militz. Es ist ihm auch nicht zu-

gelaſſen / ohne des Raths-Collegii vorhero beſchehene Forderung / in den Divan zu gehen. Der Staats-Rath beſtehet aus den Janitſcharen-Officirern und dem Aga-Præſident. In Americâ Chilenſes, qui adhuc juris ſui ſunt, ariſtocraticâ formâ gubernari, ait Georgius Hornius *in Ulyſſe peregrin. lib. 1.* conf. Barlæum *de reb. geſt. in Braſil. p. 449. ſequ.* & Joſeph. Acoſtam. *Hiſtor. Indic. l. 6. & 7.* Apud Tapujas Rex magis ſuadendi auctoritate quam jubendi imperat, niſi quis vim illi moliatur, quod auctori funeſtum Barlæus *de reb. geſt. ſub Maurit. in Braſiliâ p. 429.* Europa autem regna olim perpauca habuit. Nam in ſolâ Græciâ reſpublicæ pene ducentæ numerabantur ævo Ariſtotelis. In Britanniâ & Galliâ admodum multæ extabant ante dominationem Romanorum, & in Germaniâ & Scythiâ adhuc ferò. Hinc Lucano *l. 7.* Libertas *Germanum Scythicumque bonum* audit. De Hunnis Ammianus Marcellinus l. 31. c. 2. *Omnes in commune conſultant.* Et mox. *Aguntur nulla ſeveritate regali.* De Antis & Slavis Procopius, ſeculi ſexti ſcriptor, l. 3, Gothicor. *Non unius regnatur imperio, ſed omnium conſenſu; ideoque ſi quid utile aut damnoſum creditur, de eo in concilio agitur.* v. Hartk. *de Polon. l. 1, c. 2, p. 30. ſequ.* Guilielmus Boſman *voyage de Guinée ep. 1.* La Guinée eſt un fort grand pays & a quelques centaines de lieues d'etendre renferment un nombre infini de Royaumes tant grands que petits, & encore d'autres peuples, qui ſont gouvernez en forme de republique. & *ep. 21. de Rege de Benin,* Pour ce qui regarde le gouvernement de ce Pays, il eſt entre les mains du Roi & de trois hommes grandes, dont jay deja parlé; mais je croi que le Roi n'a que le nom, & les autres toute l'autorité. De Republicâ Anti & Axini vid. idem *Ep. 11,*

conf.

conf. Pufend. *l. 7. c. 6. §. 5. in fine.* v. de regno Fetu Muller. *part. 3. p. 101.* Neque enim Bandæ populi regnantur ait H. Grotius *l. XI, hiſt. Belgic. p. 427.* De Slavis Lutitiis Dithmarus, Epiſcopus Mersburgenſis, qui ſec. XI. vixit, l. 6. hiſtor. *Dominus non ſpecialiter præſidet ullus. Unanimi conſilio, ad placitum ſuimet neceſſaria diſcutientes, in rebus efficiendis omnes concordant.* Quanquam hodie regna fere paſſim etiam in Europa invaleſcant, ſtudiis ipſorum regnantium, quibus reip. nomen nunc non minus inviſum, quam olim præpotente populo Romano regium nomen erat. ut ajunt Batavi apud H. Grotium *l. 6. hiſt. Belgic. ad A. 1597.*

(1) *Unde ſit*, verba ſunt Bernh. Vareníi Diſſertat. de rebusp. in genere, *ut in Indiâ, poſtquam Belgæ (Hollandi ibi vocantur) illuc navigarunt, Princeps Arauſionum vocetur ab Indianis Rex Hollanderum, quem titulum etiam illi in literis ſuis tribuunt. Et Rex in Johor (eſt provincia Malaccenſis Cherſoneſi in Indiâ) cum Belgæ ipſi enarraſſent formam reip. Belgicæ, nempe hanc à multis adminiſtrari, neque Regu alicujus imperium agnoſcere, effusè adeo riſit, ut vix quadrante hora ſe colligeret, atque reliqua enarrandi locum Belgis concederet.*

(2) De inſula illa Banda Jo. Iſaac Pontanus l. 2. Rer. & Urb. Amſtelodam. c. 25. *Eſt ea in tres velut inſulas ſparſa, ambitu ſuo univerſa paulo plus quinque milliaria complectens. Sex habet oppidula, inter quæ præcipuum Nera. Regem nullum agnoſcunt, ſed ſuis inſtitutis viventes, ad ſeniorum cœtus, ubi conſultatione opus eſt, res referunt. Tota inſula in factiones eſt diſtracta, & inteſtinis diſſidiis laborat.* Ambonam nobilem inſulam primores regunt. v. Grotius *l. 15. Hiſt. Belgic. ad A.* 1606 *p.* 491. In Ternaræ inſulæ ex Moluccis Reges multæ inſulæ cereum, quæ primoribus antehac regebantur, regnum conceſſerant. Grot. *d. l. p.* 494.

VI. Cæterum regni vocabulum variè accipitur: nam primò idem ſignificat quod Latinis Principatus, quem ex uſu propriò circumſcribere poſſumus, eminentem unius auctoritatem, aliorum poteſtate

atque legibus definitam. V. Grotium *de antiquit. reip. Batav. c. 1.* * Tale regnum erat Spartanorum, de quo Aristot. *III. Pol. 10. & 11.* Karthaginensium, de quo idem *II. Pol. 9.* Deinde ad malam æquè ac bonam unius gubernationem pertinet. Sic Thyestes apud Senecam.

Ut nemo doceat fraudis & scelerum vias,
Regnum docebit & in Agamemnone
Id esse regni maximum pignus putant,
Si quicquid aliis non licet, solis licet.

Eadem latitudine patebat vox μοναρχίας apud Græcos, ἐν ᾗ εἷς ἁπάντων κύριός ἐστι. ut definit Aristoteles *I. Rhet. 8.* & *III. Pol. 12. p. 207.* quam Latinè vertit Cornelius Nepos *singulare imperium.* Item παμβασιλεία, in qua, ut Euripides Supplicibus ait:

- - - Κρατεῖ εἷς τὸν νόμον κεκτημένος
Αὐτὸς παρ' αὑτῷ.
- - - *Unus imperat legem possidens*
Ipse apud se.

Hoc loco notat, *summum unius personæ imperium ad communem civitatis salutem.*

* Adde Regem in Tapobrana, de quo 70. Judices cognoscebant, & post appellationem 30. Rectores, teste Plinio *l. 6. hist. natur. c. 22.* De Rege Nabaræorum in Arabia felice Strabo l. 16. Geograph. p. 539. *Sæpe apud populum causam dicit, nonnunquam in ejus vitam inquiritur.* De Sueonibus Adamus Bremensis libro de situ Daniæ: *Reges habent ex genere antiquos, quorum tamen vis pendet in populi sententiâ. Quod in commune laudaverint omnes, illum confirmare oportet.* Pomponius Mela *l. 1. c. 20.* auctor est: Mossynæcos Reges suos, cum pravè imperitando culpam commeruissent, inedia diei totius punire solitos. Adde de Rege Tapujarum, Brasiliæ populi Barlæum *de reb. gest. in Brasil. p. 429.* de complurib. aliis H. Grotium *l. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 11. & in notis.* Idem l. 2. Histor. Belgic. p. 59. de Tarraconensis Hispaniæ Regibus: *Id nomen*, inquit, *is honor modica potestati.*

VII. Ari-

VII. Aristot. *III. Pol.* 10. & 11. regnum partitur in Heroicum, Barbaricum, Æsymneticum, Laconicum & παμβασιλείαν. Verum Laconicum non fuisse speciem regni docet Aristot. *d. l. & c. 12. ab initio* ubi ait: Καλὰ νόμον λεγόμενον βασιλεὺς οὐκ ἔστιν εἶδος, Barbaricum inter heriles respublicas, hoc est, irregulares referendum. Æsymneticum à παμβασιλείᾳ non nisi modo temporis differt. Heroicum vel in numero mixtarum rerump. quas vocant, fuit, vel regnum esse desiit, ubi Regibus præter sacrificia nihil relinquebatur. Aristot. *d. l. c. 10. in fin.*

IIX. Itaque accuratius regna dividere possumus primò à modô constituendi (1) in successiva & electiva. Illa jure sanguinis, (non testamento, vel conventione imperium transferente: nam hoc licet tantum in patrimonialibus, quas in censum irregularium regnorum referemus infra) deferuntur. Exemplum ponit Aristoteles *III. Pol.* 10. & 11. in regnis Barbaricis. Ubi notandus viri cujusdam docti error, non dubitantis post Bodinum scribere, *mirari se ab Aristotele in Politicis proditum, Barbaras esse gentes, quæ Reges à stirpe quærant:* Hoc enim Philosophus nusquam docuit, imò idem prodidit *d. l.* regna Heroica fuisse patria sive hereditaria. Quanquam negari profecto nequeat, in regnis Barbarorum, quæ imperio herili utuntur, plerumque verum esse illud Taciti 1. *Hist.* 16. *certa dominorum domus, ceteri servi.* At in regnis civilibus facilius obtinere electionem, (2) quia arctioribus possunt legibus astringi, qui vacante solio liberè ascisçuntur. *Loco libertatis erit, quod eligi cœpimus*, ait Galba apud Tacitum *all. loco.* Atque hactenus εἶναι ἐν γένεσι inter signa dominatus posuit Aristoteles; planè ut sorte uti in deferendis magistratibus inter signa vel proprietates democratiæ collocavit, quod iterum non

rectè exagitavit Bodinus. Signa enim hæc sunt, quæ à posteriori in notitiam deducunt, non verò essentiam rei constituunt. Hinc in Barbaris etiam nationibus Reges eligi possunt. v. de Rege in Africâ St. Olon *de regno Maroc. p. 4.* Ut fertur de Guineæ Regibus quibusdam in Africâ, & certum est de Principe, qui Day vocatur in regno Tunetano, de quo Thevenot. *voyage du Levant l. 2. ch. 92.* Adde de Mexicani Regni Regibus in Americâ, quos Acosta *l. 6. histor. Indic. c. 11. sequ.* memorat, fuisse electos, conf. Aristot. *IV. Pol.* 10. Cæterum regna hujus generis alia ad mares tantum transeunt, ut in Galliâ & Sina, ubi, secus ac in Galliâ, mater post mortem Imperatoris ne quidem ad tutelam filii Imperatoris imp beris admittitur: Et tamen Britannia Armorica a: alia quædam Galliæ fœminarum etiam imperia antehac noverunt. H. Grotius *l. 2. histor. p.* 137. alia simul ad fœminas devolvuntur, ut (3) hodie Suecicum, Anglicanum, Scoticum, Danicum, Hispanicum, Portugallicum, in Europâ. Porrò quædam dividua sunt, (4) ut vetus Francorum imperium sub Merovingis & Carolidis: quædam impartibilia, ubi (5) ad jus primorum natalium fermè (6) solet respici.

(1) Plato apud Laertium *l* 3. *βασιλείαν* fecit *ἢ κατὰ νόμον, ἢ δὲ κατὰ γένος*. Sed placuit vulgatam divisionem retinere. Quanquam successiva non tantùm ex jure sanguinis æstimanda putem. Ne enim dicam de regnis patrimonialibus, potest quoque alius succedendi modus esse, licet rarissimus, apud Charramotitas aliosque Arabiæ populos, de quibus Strabo l. 16. Geograph. p. 528. *Succedit apud eos in regno non filius patri, sed qui primus è nobili genere post constitutum Regem nascitur. Nam simulatque Rex creatus est, omnes nobilium virorum uxores pragnantes conscribuntur & custodes apponuntur, observaturi, quæ prima pepererit. Hujus filius legis jussu assumitur & ad regni successionem regaliter educatur.*

(2) Hæc

(2) Hæc enim est indoles regnorum electivorum. v. Hartknoch. *l. 2. de Poloniâ c. 2. §. 1. & c. 5. §. 19.* Quanquam id non sit perpetuum, ut liquet exemplo Pontificis Romani, de quo infra sect. 11. §. 8. Adde de Principe Tunetano, qui Day vocatur, Thevenot. *l. 2. voyage du Levant. ch. 92.*

(3) Nec desunt vetera exempla. Arrianus *II. histor. Alexandr. M. c. 7.* Νενομισμένον ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἐπὶ δὴ Σεμιράμεως, καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν. *Receptum solitumque in Asiâ, jam inde, à Semirami etiam fœminas imperium in viros exercere.* Claudianus l. 1. in Eutropium.

Reginarumque sub armis
Barbaria pars magna jacet.

Reginam Candacen suo tempore Æthiopibus imperavisse, prodidit Strabo *l. 17. Geograph. p. 564.* In Insulâ Meroe regnare fœminam Candacen, idque nomen multis jam annis ad reginas transiisse, est apud Plinium *l. 6. histor. natural. c. 29. in fine.* adde Chardin. *in itinerar. p. 202.* Arnisæum *2 select. Pol. 2. sect. 12. n. 3. & sequent.*

(4) Principes in Occidente civitates & regiones dividere in singulos filiorum, scribit Gregoras *l. VII. histor.* v. Grotium *l. 2. de J. B. & P. c 7. §. 12.*

(5) Exempla complura adducuntur *in not.* infra *part. 1. sect. 5.*

(6) In Asiâ fratres simul regnabant, sic ut uni præcipuum esset jus diademaris Polybius *excerpt. legation. XCIII.*

IX. Regna electiva sunt, cum non nascendi sorte, sed cooptandi judicio Reges constituuntur. Verum ne quis regna successiva pro electitiis, aut electitia pro successivis habeat, cautiones hasce observari non inutile erit.

Prima est, Successivum regnum non desinere, cum post extinctum regium genus ex necessitate ad electionem descenditur. Malè igitur Germanicum Imperium electivum dixerunt aliqui post familiam Carolidarum exstinctam, cum Imperatores potius in subsidium electos existimare debeamus. v. exemplum de Regno Bohemiæ *in A. B. tit. 7. §. 3.* & ibi Limnæum *observat. 12.* Arnisæum *II. Select. polit. 6. sect. 5. n. 34.* *Altera est.* Ne quem decipiant spe-

cies

cies aut ſimulacra regni electivi, vel ſucceſſivi. Ita ſucceſſivum eſt, licet ſolennes quædam inaugurationes, obſequii erga novum Regem conteſtandi cauſa, adhibeantur: nihil enim juris iſtæ inaugurationes conferunt, ſed tantum detegunt juſtitiam ſucceſſionis & aſſenſu publicô latius commendant. (1) Exempla duo illuſtria habemus in Regibus Hebræorum, & Francorum ſub Meroveis & Carolidis. De illis non ſemel legitur in ſacris literis, quod conſtituti fuerint à populo, v. *2. Parap. XXII, 1. & XXIII, 20*, cum tamen regnum ipſis deberetur ſine ullis populi ſuffragiis. Ut contra Sigonium & Schickardum *de jure Regio c. 1. theorem. 2.* D. Carpzovius ibidem *in notis lit. S.* ſatis probavit. Hos non pauci pro electivis habent, decepti ſcilicet formulis Monachorum & rudiorum iſtius ævi ſcriptorum, cum irrefragabilibus veterum teſtimoniis doceri poſſit, regnum illud revera fuiſſe ſucceſſivum. V. D. Obrecht. *in not. ad c. 1. Severini de ſtatu Imperii Germ. §. 7.* conf. Bœcleri *res ſeculares p. 19. ſequ.* & D. Baluzium *in not. ad tom. 1. Capit. Franc. p. 1082.* Retrò electitium eſt regnum, licet ſuffragandi arbitrium in certæ ſtirpis, de publico bene meritæ, vel regno cognatæ, perſonas integra libertate transferatur, & diſpenſetur. Sic Polonia, liberrimâ gaudens electione, Piaſti & Jagellonis poſteritatem etiam in fœminis reſpexit. V. Hartknoch. *l. 1. de Poloniâ c. 2. p. 67. ſequ.* Ant. Maria Gratiani *vit. Cardinal. Commend. l. 4. c. 2.* In Daniâ, poſtquam Chriſtiernus è gente Comitum Oldenburgicorum in Regem electus fuit, hujus poſteri ad regnandum idonei nunquam præteriti leguntur, Germania nunc per aliquot ſecula ex Sereniſſimâ Auſtriacâ Domo Imperatores legit. Vetera exempla vide apud Grot. *II. de J. B. c. 7. §. 29. in not.* & Loccen. *l. 2. Antiqu. Sueco-Goth. c. 2.*

Nimi-

Nimirum *regna electitia* ſunt vel *purè*, vel *temperatè*. Quanquam, ſi à familia regia ex lege regni diſcedi nequeat, ſed ex eâ neceſſariò eligendus Rex ſit, revera regnum ex ſucceſſivo & electitio mixtum ſit. (2) Cujus exemplum hodie eſt in Imperio Feſſo-Marocano, de quo nuperus Scriptor St. Olon, peculiari relatione de hoc Imperio p. 118. ait: *Eſſe id neque hereditarium neque electitium, ſed ad illum ſemper deferri, qui inter Scirifios* (Domus regnatricis Principes) *precipuæ eſt exiſtimationis.* Idem tradit G. Muette *libro 3. hiſtoire des conqueſtes ſous le nom du Roy de Tafilet. in actis erud. Lipſienſ. A.* 1684. *p.* 158. v. Grot. *l.* 17. *p.* 562. *hiſtor.* Simile obtinebat olim apud Lacedæmonios, de quibus videatur Cragius *l.* 2. *de Rep. Lac. c.* 1. Apud Perſas hodie Eunuchus, ſanctioris ſenatus Conſiliarius, ex filiis Regis eligit, qui poſt Regis mortem ſuccedat; ut ſcribit A. de l'Eſtat preſent du Royaume de Perſe. De la Loubere *tom.* 1. *du Royaume de Siam part.* 3. *c.* 13. *n.* 10. Tous lés Orientaux, dans le chois d'un Maiſtre, s'attachent tout au plus a la famille Royale & non a un certaine Prince de la famille Royale: incertains dans la ſeule choſe ou les Europiens ne ſont point. Dans tout la reſte nous varions tous les jours & ils ne varient jamais. Antè dixerat *n.* 7. Secundum legem Samenſium ſucceſſionem deberi primogenito; enimverò inter regii ſanguinis liberos plerisque potentiam decidere controverſiam de ſucceſſione nec eò parùm contribuere legem magis proclivem in hunc vel illum liberorum. Exempla de Principatibus Germaniæ v. *in Diſſertat. de ſpecialib. Rom. Germ. Imp. ſect.* 2. §. 3. Boxhornius *Diſſert. de elect. & ſucceſſ.* §. 16. *& ſequ.* talia regna voti reſtricti dixit. Enimverò hoc latius patere, facillimum eſt demonſtratu. De Æthiopibus Strabo *l.* 17. Geo-

graph.

graph. p. 566. Βασιλέας τε καθιστᾶσι τὸν καλλει ἀγροφέρουλας, ἢ ἀρετῇ ἱππουροφίας, ἢ ἀνδρείας, ἢ πλούτου, *Regem constituunt eum, qui vel formâ, vel alendorum pecorum virtute, vel robore, vel opibus excellat.* v. Pufendorf. *8. c. 4. §. 12. p. 1226.* Conf. Aristotelem *IV. Pol. 4. à princip.* In Ægypto Soldani ex ordine Mamluchorum electi. De quibus scriptor συγγρον& l. 4. de regim. Princip. *Quæruntur pueri elegantes in diversis regionibus & præcipuè in regionibus Aquilonis, quia sunt staturæ proceræ & ad militarem disciplinam idonei. Hi de ærario publico nutriuntur, exercitantur in gymnasiis & disciplinis scholasticis, in civilibus actibus & rebus bellicis assistunt Soldano in ministerio, sicut traditur, & post mortem ejus, qui probati inveniuntur, ad principatum assumuntur.* Hodie Pontificem Romanum nonnisi ex Cardinalium numero eligi constat.

(1) Adde Romanos Imperatores, ceu qui Senatus suffragio confirmabantur, & tamen ex Juliâ familiâ adoptione aut designatione decessorum ad imperium perveniebant.

(2) Adde de Habessinorum Regum hodierna successione, Job. Ludolf. *l. 2. histor. Æthiopic. c. 8.* In quibusdam etiam Indicanis insulis à stirpe quidem successor arcessitur, sed ætatis gradibus neglectis, quicunque Sabandris digniores videntur. v. Histor. Indican. *part. 5. 7. & 8.* Monſ. de la Loubere *du Royaume de Siam tom. 1, part. 3. ch. 4.* Le peuple de Patane & comme celuy d' Achem dans l' Isle de Sumatra ſous la domination d' une femme, qu' ils eliſent toujours dans une meme famille & toujours vieille afin qu' elle n' ait pas beſoin de Mary, & au nom de laquelle les plus accreditez gouvernent. Les Portugais luy ont donné le nom de Reine. Pataviam insulam vocat Grotius *l. 15. histor. p. 495.*

X. Ut verò ex his ratione eligendorum non una regnorum electitiorum differentia intelligitur; ita est quoque discrimen ratione eligentium. Etenim interdum universi cives eligunt, ut in Poloniâ; interdum pars populi, ut in Romano Imperio, post extin-

extinctam familiam Juliam, milites, de quorum electione pluribus egit Onuphr. Panvinius *libr. de comit. Imperator. c.* 1. Postea apud Græcos Constantinopoli, si non per successionem vel nominationem Imperatoris defuncti imperium deferretur, electio legitimè fiebat consilio Senatus suffragiisque Senatorum, Patriciorum & Optimatum, non sine consensu & approbatione Patriarchæ; nonnunquam etiam studiis thematum sive legionum, earumque Principum.

XI. A modò administrandi regnum aliquando est tutorium, quando unus vel plures regnum administrant Regum vice, qui ætatis vel alio defectu laborant, aut in captivitate bellica detinentur. Huc pertinet etiam, quod observavit Grammondus, morem invaluisse apud Gallos, proficiscente extra Galliam Rege, ut substituatur Vicarius, qui Regentis nomine administret regnum. *l.* 18. *ad A.* 1629. Aliquando à potissimo aulæ, qui præstigiis suis apud Regem huc illuc agitatum omnia potest, & est quasi τὰ πάντα, (ministrissimum vocant,) regnum administratur. Qualia regna & vetera & recentia secula viderunt apud Reges, aut parum fidentes suo ingenio, aut fugientes negotiorum. Plinius panegyri: *Principes multi civium domini, libertorum servi.* v. Ecclesiast. Salomon. *X, s. 6. 7.* Exemplum est in Sejano sub Tiberii Principatu; Præfectis Prætorio, quorum βασιλείαν ἀπόφυρον eleganter vocavit Eunapius *de vitis Philosophorum.* Ἀρχὴν δευτέραν μετὰ τὰ σκῆπτρα, Zosimus *l.* 2. In Gallorum, Anglorum, Hispanorum historiis passim. Et quod mirum, * etiam fœminas tales nominare licet, Sigebertam, sive Columbulam apud Christiernum II. Dan. Regem, Dianam Pictaviensem apud Henricum II. Gall. Regem, & alias. Huc pertinet etiam illa regni

species,

ſpecies, quando Rege, qui regnandi jus habet, luxui dedito aut imbelli, alius, præſertim armorum potens, volente populo, rerum ſummam ad ſe trahit, ut ſub Meroveadis Francorum Majores domus, & in Imperio Japonico Cubi, ſive ſupremi militiæ Præfecti; ex quibus Taycko Cæſaream poteſtatem ad ſe & ſucceſſores tranſtulit, Dayris, juſtis regni heredibus, nonniſi ſimulatâ fictâ & inani majeſtate cum vano ſplendore & titulis relictâ. Nam, ut Bernardus Varenius *deſcript. regni Japon. c. 5.* memoriæ prodidit, *ſacrorum ſummi hodie ſunt antiſtites, & in tantâ exiſtimatione, quantâ Pontifex Romanus. Cæſares quoque obligati ſunt, ſingulis trienniis (quod tamen quinquennio vel ſexennio tantum fit) ad urbem Meaco, ubi Dayri aula & olim fuit, & hodie adhuc eſt, proficiſci, atque illi pretioſis donariis & ceremoniis reverentiam & obſervantiam ſuam teſtari.* Quanquam Cæſar, ut idem Varenius *d. deſcr. c. 7.* tradit, abſolutam obtineat regnandi & quidvis agendi poteſtatem. Cui ſimile in regno Tunquin ex Alexandri de Rhodes itinerario refert Pufendorf. *l. 7. de Jur. Nat. & G. c. 5. §. 15.*

* Innumera comportavit A. libri, Gallica lingua conſcripti, ſub titulo: *hiſtoire des Favorits* tomis duobus. Adde Bernegger. *obſervat. miſcell.* 31. Foiſtner *ad IV. Ann. Taciti p.* 507. *ſequ.* Graphica eſt deſcriptio Arcadii, qui ſe Eutropio regendum præbebat, apud Zoſimum *l.* 5. ſcribentem *pag.* 785. de Eutropio: Τῶν ἐν αὐλῇ πραττομένων κύριος ἦν pag. 789. πάσαν τῆς βασιλείας οἰκονομίαν habens, ὁ δὲ κυριεύων Ἀρκαδίῳ καθάπερ βουκόλῳ, *Arcadio uſus ac potitus haud aliter atque pecude.* Nani l. 12. Hiſtoriæ Venet. ad A. 1643. de Ludovico XIII. Gall. Rege: *Viſſe & mori ſenza ſaperſi difendere dall' arti de' favoriti.* Sunt autem diverſæ cauſæ hujusmodi regni, quæ proveniunt vel à Rege, fugiente negotia propter ætatem, imperitiam aut ſocordiam, vel à calliditate miniſtri, variis artibus in Regis animum irrepentis, & inprimis conſcientia ſecretorum eum illigantis. vide de Maſio Thuan. *l. 57. ad A. 1573. p. 43.* Fuere etiam qui ſpe-

cie

cie pietatis Regem sibi obnoxium fecere, *splendidè ac magnificè de Deo concionantes, atque Dei miranda opera continuò in ore habentes, quasi nuper ex conspectu aliquo cœlesti adessent*; ut prudenter annotavit Masius ad Josuam IX, 4. addens: *Est enim multis istius generis hominibus id propositum, ut, cum se in magistratu gratiam insinuaverint, & partim magna pietatis adversus Deum pratextu, partim factis, accommodatisque ad opiniones imperitorum doctrinis, animos omnium sibi conciliaverint, antiquis bonisque institutis aliis sublatis, aliis labefactatis aut perversis, rempublicam sursum deorsum miscere, ipsique, quod vulgò dicitur, in aquâ turbidâ, quasi aliud agentes, piscari tacitè queant.* Paucissimi sunt, quos animi magnitudo & probitas ad id fastigium evexit, ut Josephus in regno Ægypti, & Daniel in regno Chaldæorum & Persarum. v. Daniel. *VI*, 28.

XII. Ut verò secundum ea, quæ diximus, regnum regiè temperatum est; ita aristocraticum temperamentum exoritur, quando Rex certo senatui nonnullam regendæ reip. potestatem permittit, & quando nobilitatem præ cæteris æstimat Rex. v. omnino Pufendorf. *l. 8. c. 4. §. 25.* Ut (1) olim Romani Imperatores in Urbe Româ, & postea ad hujus exemplum Constantinopoli, de cujus Regionibus videatur Jacob Gothofredus *comment. ad L. quisquis C. ad L. Jul. majest. c. XI.* Cave enim existimes, propterea mixtam reip. formam fuisse constitutam, ut bene docuit H. Conring. *annotat. ad part. 1. Lampad. §. 10.* Nec desunt (2) exempla Regum, etiam minimè popularium, qui ad comitia populi regni negotia retulerunt, (3) unde regnum fit populariter temperatum. Atque hoc est, quod Tacitus *in Agricolâ* de Nervâ dixit: Eum res olim dissociabiles miscuisse, Principatum & libertatem.

(1) Et juxta Dionysium Halicarnassæum II. antiquit. Romanar. *Reges olim, & quotquot à patre traditum regnum acceperunt, & quos ipsa plebs sibi Principes constituit, consilium habebant ex Optimatibus, ut Homerus & antiquissimi Poëta testantur: Neque, ut nostre seculo, regnum priscorum*

dominatus erat, nimirum sui juris, neque ab unius sententiâ pendebat.

(1) De Rege Israelis V. 1. *Reg.* XX, 7. De Regibus Galliæ id constat. V. Thuanum *l.* 25. *histor. ad An.* 1560. *l.* 27. ad d. A. De Henrico VII, Angliæ Rege, Baco de Verulamio *in ejus historiâ.* De Alberto Austriaco in Belgio H. Grotius *l.* 9 *histor. ad A.* 1600. *p.* 401. Adde de Principibus Germaniæ quæ dixi *Dissert. de consult. LL. & judic. in Special. Germ. Rebusp. §.* 4. *& sequ.*

(3) Quanquam hac ratione interdum mixtum evadat: ut in Polonia factum & Anglia, de quo in parte altera.

XIII. Aristocratia est, *quam Optimates sive pauci regunt ad communem utilitatem. Pauci* autem heic in comparatione ad reliquos cives intelliguntur. Quod verò addidi *ad communem utilitatem*, eò pertinet, ut distinguatur ab oligarchiâ in specie sic dictâ. de qua *sect. sequ.* Neque enim Aristotelem sequi nunc libet, qui *passim in polit.* & imprimis *IV. c.* 7. aristocratiam appellat, *qua conflata est ex optimis simpliciter viris secundum virtutem, & non ad suppositionem quandam probis,* respublicas verò, quæ in paucis cooptandis rationem habent natalium aut divitiarum, in numerô oligarchiarum, hoc est, aberrantium rerump. mavult censeri. * Nam supra jam diximus, civitates etiam non optimas posse esse regulares. Paucorum dominatus & status populi fieri posse, ut bellè se habeant, tametsi exierint optimo gradu, docet Aristoteles *V. Pol.* 4. Deinde ipsemet *III. Pol.* 5. *à princ. & 8. Eth.* 10. aristocratiam ab oligarchiâ scopo distinguit; certè perpetuum non est, nobiles & divites utilitatem communem insuper habere. Accedit usus, apud Græcos, qui, eodem teste *IV. Pol. c.* 8. consueverunt appellare ἀριστοκρατίας, quæ vergunt πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν.

* Arnisæus 2. *select. politicar. c.* 4. *sect.* 4. *n.* 36. contra Interpr. vulgatam sententiam ita excusat: Aristotelem quidem differentiam à fine desumsisse, ut liqueat ex *IV. Pol.* 6. causas

cauſas verò accetſiviſſe à divitiis & nobilitate. Adde Andr. Boſium *Notit. rerump. c.* 30. § 20.

XIV. Ariſtocratiam, æque ut regnum, à modô conſtituendi partiri poſſumus in ſucceſſivam & electivam. Ubi evolvenda quæſtio: utrum ariſtocratia ſit, cum populus eligit optimates? Negare hoc videtur A. *inſignis Comment. de ariſtocratia & oligarchia p. 85.* contra Beſoldum, quocum affirmat Huberus *l. r. de jure publ. univ. c. 36. §. 17. ſeqq.* ſi acta electorum procerum à populo non poſſint infirmari. Adducit idem exempli loco annuos rectores in Friſiâ, quos præcipui è populo conſtituant cum ſumma poteſtate. Ego de exemplô hoc judicium meum ſuſpendo, licet non neſciam * nonnullos Friſicarum rerum peritos longè aliter exiſtimare. Alia verò exempla non temerè repertum iri perſuaſus ſum, niſi quis democratias ariſtocraticè temperatas pro ariſtocratiis habere velit. Quanquam rem ipſam ſimpliciter impoſſibilem affirmare haut ſuſtineam.

* Ubbo Emmius de republ. Friſiorum inter Hlev. & Lavic. p. 36. vitio imputat. *Jam verò*, inquit, *hoc quale eſt, quod ii magiſtratus, quos omnium maximè ὑπεύθυνους eſſe recta ratio jubet, non ſolum ἀνύθυνοι relinquantur, ſed etiam præcipui ἐνδυνατοὶ fiant? annon tale, ut nihil magis cum natura atque integritate libertatis popularis pugnare poſſe videantur.* V. & H. Grotium l. 4. *Ann. Belgic. ad A.* 1584. *p.* 86. *ſeqq.* Templium *obſerv. circa ſtat. Fœderati Belgii p.* 211. 212. 213.

XV. Electitias rurſus ad exemplum regnorum, diſtribuere licet in eas, quæ voti ſunt liberi vel reſtricti. Illæ ſunt, *quando ex univerſa populi multitudine, cujuscunque ſint generis, conditionis aut fortunæ, meliores ſummæ rei præponuntur:* Hæ, *quando ad bona fortunæ, v. g. cenſum aut natales, reſpicitur.* Huc pertinent duæ priores ſpecies oligarchiæ, quas enumerat Ariſtoteles *IV. Pol. 5.* & (1) exemplo eſt Senatus Karthaginenſis, in quem Patres non modo *ἀεὶ ἐνδυνατοὶ*

ſed & πλουτίνδην, hoc eſt, *ex virtute juxta atque opibus* cooptabantur; ut Ariſtoteles loquitur *II Pol. 9.* item Senatus Seleucenſis, in quem trecenti opibus, aut ſapientiâ delecti, memorante Tacito *6. Ann. 42.* conf. de Senatu Romano Sigonium *l. 2. de antiquo jure civ. Rom. c. 2.* De Auguſta, (2) Francofurto, Ulma, ſub Germanicô Imperio, dicemus alibi.

(1) Adde Senatum Maſſilienſem. Nam ita Strabo l. 4. Geograph. p 124. *Reſpublica Maſſilienſium omnium optimè paret legibus, adminiſtrata per Optimates (Ariſtocratiam hoc Graci vocant) concilio ſexcentorum virorum, quos ab honore, quem & per totam vitam gerunt, Timuchos nominant. Nullus Timuchi dignitatem conſequitur, cui nulli ſunt liberi, aut cujus ſtirps inter cives non per tres ætates duraverit.* conf. Valer. Maxim. *l. 2. c. 6.* In Hollandiæ oppidis quadraginta aut pauciores numero, quibus Sapientum nomen eſt, convocati de republica deliberant, & ſi quem mors aut exilium demit, adoptant ſibi alios, divitiis aut prudentia inſignes, ut ſcribit H. Grotius *l. 5. Annal. Belgicor. p.* 108.

(2) V. Diſſertat. *de ſpecial. German. Imper. rebuſpubl. ſect. 2. §. 23.*

XVI. (1) Succeſſiva ariſtocratia eſt, *cum intra paucas familias concluditur imperium*, ſive, *ubi ex certis gentibus prognati ſolo ſanguinis ſive natalium titulo ſummi imperii fiunt compotes.* Quo referri poteſt tertia ſpecies oligarchiæ apud Ariſtotel. *IV. Pol. 5.* conf. *V. Eth. 6.* Errant enim, qui ſucceſſivam ariſtocratiam Ariſtoteli incognitam arbitrantur, ut exemplis Apolloniæ & Theræ intelligere poſſumus, de quibus agit *l. IV. c. 4.* conf. A. *de ariſtocr. & oligarchia p. 65. ſequ.* Hodie lucidiſſimum exemplum habemus civitatem Venetam, in cujus majus concilium, à quo univerſa pendet respublica, omnes ordinis patritii juvenes, qui viceſimum annum exegêre, admittuntur, ſi modo nobilitatem ſuam apud magiſtratum, qui Advocatorius dicitur, legitimè prius probaverint, (2) ut ait Contaren *l. 1. de rep. Veneta.*

Veneta. Cui tamen accedere non possum affirmanti, hoc majus concilium vicem referre popularis status, licet idem placuerit Keckermanno *Disp. pol. ult. probl. ult.* Aliud exemplum est in civitate Genuensi, cujus magnum concilium componitur ex septingentis circiter Nobilibus, id verò ingrediuntur omnes viginti & duobus annis majores; ut auctor est Hieronymus de Marinis *in descriptione hujus reip.* Verba sunt Hieronymi de Marinis *in reip. Genuens. compend. descript. c. 2. sect. 1.* Summa omnisque potestas est penes Patritiorum familias, quæ præter absentes & vigesimum secundum ætatis annum nondum transgressos, modo septingentorum numerum non excedunt. Huic ordini aliquando aliqui pro temporum opportunitate adscribuntur. *tom. 1. part. post. antiqu. Ital.* De rep. Ragusina (Italis communità di Ragusi) in qua juniores, (3) ubi vicesimum quartum annum attigerunt, in numerum Patritiorum adsciscuntur. V. Joh. Cotovic. *in Itin. Hierosolym. l. 1. c. 4.* De Noribergâ, ocello rerumpublicarum Germaniæ, dicam alibi. Illud adhuc addendum, quod de regnis quoque supra diximus, non desinere aristocratiam successivam esse, licet quidam in subsidium adsciscantur. Ut apud Venetos, qui centum millia aureorum persolvunt, & divitias sustinendæ dignitati pares habent.

(1) Imperitè Hobbesius *part. 2. du corps politique. ch. 4. §. 11.* negat, in aristocratia successionem esse posse, quoniam nobiles & primores omnes simul sive uno eodemque tempore mori vix aut nunquam contingat. Quasi verò hoc sit necessarium.

(2) Nam aliter St. Disdier. part 2. de la Ville & Rep. de Venise. *Tous les Gentils hommes Venetiens, qui ont vingt cinq ans, & qui ont pris la Veste, entrent au Grand Conseil avec le droit de la balote. Cependant pour gratifier une partie de la jeune Noblesse, qui a atteint l'age de vingt ans, on*

en tire tous les ans trente au ſort, qui ont le meſme privilege, que ceux de vingt cinq ans.

(3) Aliter A. de Politiſch. Wegſch. p. 423. *Alle Edelluide 20. laren oud zyn leeden van den grooten Raad. En zoodanige vvaren in Jaar 1629. drie hondert en zeventien.*

XVII. A modô adminiſtrandi alia pura eſt, alia temperata: idque vel regiè, ubi unus aliquis ceteris dignitate potior eſt, ut apud Venetos & Gennates Dux; vel populari modo. Id quod (1) exemplis rerump. ſub Germanico Imperio illuſtrantem vide D. Mevium *ad jus Lubecenſ. lib. 1. tit. 1. n. 55. ſequ.* & in Capitulo generali Equitum ordinis Joannitici in inſula Malta Magnus Magiſter. v. Burchard. Niderſtett. *l. 2. deſcript. inſul. Maltæ c. 9.* Neſcio, an aſſerere liceat, ariſtocratiæ ſpecies aliquando inter ſe temperari. V. g. electitiam cum hereditariâ. Ita Elide reſp. erat penes paucos, qui tamen omnes omnino Senatus haut erant participes, ſed ex iis tantum nonaginta. V. Ariſtot. *V. Pol. 6.* Hodie Noribergæ Patritii alii ad Senatum admittuntur, alii non: hinc diſtinctio in Rathsfähige und erbare Geſchlechter. Porro à modo adminiſtrandi alia eſt ſimplicior, uni collegio, nec nominibus nec jure diſtincto, comprehenſa. Alia pluribus collegiis diſtinguitur, lateque diffunditur. Ita (2) Venetiis eſt Collegium, Senatus, & magnum Concilium, de quo ante diximus.

(1) Huc pertinet etiam inſtitutum Nominatorum in Rep. Noribergenſe V. Diſſert. *de ſpecial. Rom. Germ. Imper. Rebuspubl. ſect. 2. §. 24.* Geltiæ vicina oppida Senatus regunt, niſi quod ad graviora negotia delecti è plebe adhibentur. H. Grotius *l. 2. hiſtor. Belgic. p.* 158.

(2) V. St. Disdier de la Ville & Republ. de Veniſe part. 2. p. 174. ubi ait: *Le College, le Pregadi, & le grand Conſeil ſont les trois principaux reſſorts, qui font mouvoir toute la machine d'Eſtat.* Donatus Jannotus *dialogo primo de Rep. Veneta* propterea totum reip. Venetæ corpus ſcitè comparat pyramidi, baſi quidem, ut conſtat, latiori prædita, ſed ubi aſſurgit

assurgit in arctum, sensim coëunti. Et basin quidem esse ait majora Comitia, pyramidem arctari in Concilio Rogatorum sive Pregati, fastigiari in Collegio, fastigium ipsum absolvi in Duce. Genuæ duo sunt concilia, unum *majus*, in quo summa rerum, ut dixi, considet; Alterum *minus*, ducentorum virorum, majorum viginti septem annis, ex majore concilio electorum, quorum munus est annuum. His ambobus conciliis præsunt duo *collegia*, *alterum duodecim Senatorum* una cum Duce, qui est totius reip. caput & exacto biennio mutatur. *Alterum octo Procuratorum*, quibus additi qui Ducali dignitate perfuncti sunt, atque quoad in humanis agunt & ipsi procuratoriâ dignitate censentur, parem vel circiter Senatui numerum explent. Hieronym. de Marinis *d. c.* 2. *sect.* 1.

XIIX. Denique alia est aristocratia urbica, sive uni urbi inclusa, ut Venetiis, Genuæ: alia per universam civitatis regionem fusa, ut in Poloniâ.

XIX. Politia (de cujus homonymiâ diximus *sect. 2. §. 3.*) *est universi populi imperium ad communem utilitatem.* Hæc etiam vel pura est, vel temperata. Illic potentia vulgi promiscua est & fortuita dignatio: V. Aristot. *IV. Pol. 9. & VI. Pol. 1. seqq.* Hic ab æqualitate illâ & libertate discedituR: Quod prout vel magis vel minus fit, ita intensior vel remissior erit temperatio. Hujus temperiei signum est (sed à posteriori, ut loquuntur) si populus rudis sit, avidus tamen bellandi: nam ibi non potest non sponte recedi à pura democratiæ formâ, potestatem quamlibet majorem ipsâ necessitate solis nobilioribus aut prudentioribus imponente. Ut prudenter observavit H. Conringius *Exercit. de urbib. German. §. 45.* Est autem *alia regiè temperata*, ubi sc. unus aliquis insigni auctoritate eminet, sed auctoritate (ut Tacitus loquitur) magis suadendi, quam jubendi potestate. Hujus generis democratiæ aliquæ fuerunt apud veteres Germanos. V. Tacit. *de morib. Germ. c. 2. & 7.* omnino Cluver. *l. 1. Germ. antiq.*

antiqu. c. 38. 39. & quæ attulimus ſupra §. *6. & in notis:* & in multis Græciæ civitatibus, hodie Weſtfriſiæ, Ultrajecti, Gröningæ & alibi. Huc pertinet etiam, cum duo præſident populo. Ut Conſules Romæ, quorum intuitu Romanæ urbis πολίτευμα μοναρχικὸν ἀπλῶς καὶ βασιλικὸν dici poſſe, ſcribit Polybius *VI. hiſtor. 10.* Et Suffetes, quos Carthagine ſummos magiſtratus fuiſſe ex Calidio nos docet Feſtus, & eorum imperium cum Conſulari Romanorum comparat Livius. Ariſtoteles *II. Pol. 11.* & alii paſſim Reges appellant. *Alia ariſtocraticè*, ſive Primatum poteſtate temperata, quod iterum non unâ ratione fit: Eſt enim ubi univerſæ multitudini Senatus quidam, isque perpetuus, velut anchora concionis popularis, præſidet, nec Senatores mutantur, niſi morte vel turpi factô quod remotionem mereatur. Exemplo eſt Areopagus in rep. Athenienſi ex inſtitutô Solonis, qui anguſtiorem populi dominatum inſtituit. V. Ariſtot. *II. Pol. 10.* Eoque referri debet, quando Plato *Menexeno in med.* De Carthaginenſi civitate Livius *l. 30. c. 16.* triginta ſeniorum Principes id erat pacatius apud illos conſilium maximaque apud ipſum Senatum regendum lis. De Baſilea Burnet *p. 384.* v. Burnet *itinerar. p. 13. ſequ.* Genevæ eſt ſtatus popularis, quandoquidem heic nulli ingenuorum civium aditus ad remp. præcluſus eſt, niſi qui adſciti cives ad ſecretius conſilium non admittuntur. Secretius autem conſilium eſt primarium, quod 25. viris conſtat, & *ſtatus* publici negotia moderatur. Dignitas horum 25. virorum eſt perpetua. Præter hos eſt Senatus LX. virorum & poſtea 200. quæ populi vicem refert. Omnis autem poteſtas, quæ jus regendi complectitur, eſt penes populum, qui & majores urbis magiſtratus conſtituit, & Leges condit & pacis bellique jura obtinet

ac

ac disponit. Athenis fuisse revera ἀριστοκρατίαν μετ' εὐδοξίας πλήθους, *Optimatum cum quadam dignitate populi gubernationem.* conf. Ubb. Emmium *de rep. Athenienſ. pag. 29. ſequ. edit. Elzevirian.* Huc quoque pertinet Γερωνία γερουσία παρὰ Λακωσι, καὶ Καρχηδονίοις, (ita rectè legit Meursius) καὶ Κρησί. *Geronia collegium ſenum apud Lacones & Carthagineuſes & Cretenſes,* teste Hesychio. Sic Berna, Lucerna, Friburgum, Salodorum, in fœderatâ Helvetiâ à Senatu, qui liberâ electione ex omni civium numero delectus fuerit, administrantur; *& hæc forma inter omnes maximè eſt ariſtocratica,* ut ait Simlerus *l. 2. de Helvetia p. 319. edit. Elzevir.* conf. de Genevensibus Bodin. *lib. 2. de rep. 6. l. 4. c. 4.* Est porro, ubi in deferendis honoribus nomina majorum, partæ opes, aut ingenii decora spectantur. Exemplo sunt politiæ veterum Germanorum, quæ rationem nobilitatis habebant, apud Tacitum *de morib. Germ. c. 11.* conf. Grot. *de antiquit. reip. Batav. c. 2.* V. de Nobilibus in Helvetiæ politiis Simler. *d. l. p. 320. ſequ.* v. omnino Pufendorf. *l. 8. c. 4. §. 26.* De Noviomago v. Temple *in obſervat. de ſtatu provinc. unitar. Fœderati Belgii,* quam laudat Burnetus *in itinerar. p. 619.* Huc pertinet etiam secunda species democratiæ, in quâ imperia ex censu designantur, apud Aristot. *IV. Pol. 4.*

XX. Est & alia differentia politiæ à subjecto civitatis. Nam quædam tribus sive sodalitates habent: aliæ iis carent. Utriusque exempla suppeditat Helvetia. Etenim Berna, Lucerna, Friburgum in sodalitates distributæ non sunt. V. Simlerum *descript. Helvet. l. 2. p. 343.* Contra se res habet in reliquis. v. Simler. *d. l. 2. p. 322. ſequ. edit. Elzevirian.* Quin fœderis lege inter duas præcipuas Helvetiæ civitates cautum esse fertur, ut Bernates

Tigurinis auxilio ſint, ne quis formam reipublicæ mutet, tribusvé aboleat: Tigurini contra Bernatibus, ne quis in eorum Urbe tribus inſtituat. v. Simlerum *d. l. p. 345.* In republicâ Athenienſium tribus quaſi quandam ſeparatam temp. habuere * cum non ſolum magiſtratus quosdam ederent, ſed etiam de quibusdam rebus ſeparatim conſultarent, & quædam judicia exercerent, & quod mirabilius videri poteſt, ærarium etiam eponymo quæque ſuo ſacratum haberent. Ut ex aliis docet Carolus Sigonius *l. 2. de Rep. Athenienſ. c. 2.*

* Numerus decem tribus ſive φυλαὶ Athenis erant, ex quibus οἱ πυλαγόραι quotannis creabantur, quinquaginta nempe ex unaquaque tribu. Huberus ſcribit in Diſſ. de LL. Soloniis p. 287. duodecim. Tribus apud eos porro dividebantur in δήμους & φρατρίας. Hinc Stephanus in Ethnicis: δῆμος παρ' Ἀθηναίοις ἡ κώμη, ἢ ἡ τῶν πολιτῶν συλλογή. δῆμος *apud Athenienſes eſt vicus & multitudinis congregatio.* Singuli verò quinquaginta ex illis quingentis diem unum imperabant, ita ut ſumma res ad eos deferretur. Sic fiebat, ut ſinguli quinquaginta anno vertente XXXV. dies imperarent. V. Joſeph. Scaliger *l. 1. de emendat. tempor. p. 25. & p. 62.*

XXI. Poſtremùm politiam dividere poſſumus, quod alia urbica ſit, ubi penes illos, qui in urbibus habitant, eſt ſumma rerum, ut Athenis; alia per vicos ſparſa. *Sic in Helvetia pagi quidam oppidis carent & vicatim habitantur, atque in his ſumma imperii penes univerſam plebem eſt, cujus conſilio res majoris momenti definiuntur. In hoc numero ſunt Uranïa, Suitia, Underwaldia, Tugium, Glarona, & Abbatiſcella. Alii ſua oppida habent, penes quæ eſt imperium totius pagi.* Verba ſunt Simleri *dicto l. 2. de Helvet.* Alia partim urbica, partim urbana, ut Civitas Groningana & agrorum habitatores, de quorum republicâ H. Grotius *l. 6. hiſtor. ad A. MDXCVII. p. 282.*

SECTIO

SECTIO UNDECIMA.

DE SECUNDI ORDINIS ſive irregularibus CIVITATIBUS.

I. DEFINITIO ſecundi ordinis ſive irregularium civitatum.

II. EARUM SPECIES DIVERSÆ SECUNDUM DECLINATIONES à *fine civitatum*: quando vel latam dominationem,

III. Vel divitias,

IV. Vel luxum pro ſcopo primario habent,

V. *A ſumma poteſtatis fine.* Unde ſunt heriles, quæ in imperio unius dominatus, in paucorum oligarchiæ nuncupantur,

VI. *A ſumma poteſtatis ſubjecto*, unde δυαρχίαι.

VII. Et reſpublicæ, quæ communiter reguntur à Principibus externo potentatu ſubnixis.

VIII. *A ſumma poteſtatis forma*, unde mixtæ.

IX. *A modo habendi ſummam poteſtatem*, unde ſunt, patrimoniales.

X. Et aliæ, quæ poſt mutationes civitatum emerguut, de quibus ſect. ſequ.

§. I.

INſtat nunc, ut de ſecundi ordinis ſive irregularibus civitatibus agamus. Ubi iterum inculcandum, quod ſupra *ſect. 2. §. 5.* docuimus, nomenclatura hac non aſpergi ſemper maculam civitatibus, ſed diverſitatem indicari à regularibus, flexâ inprimis contemplatione ad ingenia hominum è naturali ſtatu exeuntium. Atque hac ratione irregulares civitates definiri poſſunt, *cœtus civiles ſecuritatis cauſa conflati, ſed formâ illâ, quam è ſtatu naturali migraturis communis ſenſus quaſi præmonſtrabat, carentes.* Nimirum cum ex tam variis & diverſis partibus conſtent, nec una occaſione conſtruantur efformenturve civitates, mirum non eſt, modo hanc modo illam ἀνωμαλίαν eas induiſſe. Notandum & hoc; civitatem unam ex aliqua parte interdum irregu-

irregularem esse, cum in aliis à communi regulâ non recedat. Sufficiat unum exemplum Spartanorum, de quibus Athenienses apud Thucydidem libro 5. histor. *Quod ipsos inter se & civilia jura attinet, plurimum virtute utuntur. Quales verò sint adversus alios, multa adferri possint eò pertinentia; breviter autem rem exposuerit, qui dixerit, honesta videri, quæ suavia sunt, justa, quæ utilia.* Addo & recentius Tatarorum Precopiensium, de quibus Thuanus *l. 67.* memorat: *Quam infesti vicinis & in hostico terribiles, tam pacate inter se & innocenter domi vivere.* Cæterum ἀνομαλία oritur ex diversis causis.

II. A fine nempe civitatis irregulares sunt, quæ latam dominationem appetunt, prolatandæ dominationis avidæ, aut magnam gloriam apud exteros bello quærunt, (1) summam virtutem in potentiâ ponentes, & propterea instituta omnia ad vim bellicam referentes. De veteribus Germanis Cæsar de B. Gallic. l. 6. *Civitatibus maxima laus est, quam latissimas circum se vastatis finibus solitudines habere. Hoc proprium virtutis existimant, expulsos agris finitimos cedere, neque quenquam prope se audere consistere.* v. & Pufendorf. *l. 2. c. 2. §. 12.* De Alanis Ammianus Marcellinus l. 31. c. 2. *Ut hominibus quietis & placidis otium est voluptabile: ita illos pericula juvant & bella.* De Spartanis & Cretensibus Aristoteles *VII. Pol. 2.* De Romanis Mithridates apud Sallustium: *causam eis bellandi cupidinem profundam imperii ac divitiarum.* conf. Galgaci oratio apud Tacitum *in Agricol. c. 30.* Plutarchus *in Pyrrho.* Tiridates apud Tacitum *XV. Ann. c. 1.* id in summâ fortunæ æquius quod validius & sua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam esse laudem. De Chaldæo Propheta Habacuc. XI, 5. *Dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors est &*

non

non adimpletur. v. omnino Seneca *VII. de benef. 3.* De Cyro Perſarum Rege, Lacedæmoniis & Athenienſibus, idem Salluſtius in Catilinat. *poſtquam cœpere urbes atque nationes ſubigere, libidinem dominandi cauſam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare.* Galli apud Livium *5. hiſt. 16.* Romanis quærentibus qui ejus rei in Etruria eſſet, reſponderunt, *ſe in armis jus ferre, & omnia fortium virorum eſſe.* De Carthaginenſibus Plinius: *terrarum orbis avida Carthago.* Nec (2) deſunt noviora exempla. Paſquierus *l. 1.* en ſes recherch. ch. 6. *Les François*, inquit, *firent un vœu perpetuel de conqueſtes.* De Hiſpanis teſtari poteſt claſſis invincibilis, in cujus nave prætoriâ ſuperiori ſeculo ſpectabatur orbis terrarum ſubjectus, è quo equus pedibus anterioribus exiliebat, cum hac epigraphe: *Non ſufficit orbis*, ut refert Camdenus *ad A. 1585.* conf. Becmann. *de quart. monarch.* §. 6. de Turcis, Tataris, aliisque res nota eſt. Non tamen poſſis exempla adducere ex recentiore hiſtoria civitatum polycratico imperio utentium, quæ ſcopum huncce ſibi propoſuerint. Turcarum omnia conſilia & inſtituta ad bellum referuntur. Ubert. Folieta *de cauſis magnitud. Turcar. imperii.* Cujus rei cauſa non una eſt; etenim qui ſummæ rerum heic præſunt, animis procul à faſtu, procul ab ambitione externa; ſatis habent, ſi ex magiſtratu rem facere & ſalvâ rep. ſuis incubare liceat. Accedunt etiam diſſenſiones, quæ in hujusmodi republ. rarò deſunt, bellorum verò regimini ſummopere adverſantur. Neque tutum, ut ad cives militaris potentia tranſeat; igitur militibus mercenariis & aliunde aſcitis opus eſt, qui ingentes impenſas requirunt; tributa verò ſine periculo nec imperantur civibus, nec exiguntur. In regnis omnia longè aliter ſe habent: nam & Reges diu-

diuturni otii tædio libenter nauſeant, & acrioribus ſtimulis ambitio eorum pectora agitat, bellis denique regendis expediendisvè ſunt multò aptiores. Cæterum in numero harum civitatum minus rectè ponuntur, quæ adverſus externos ſe accuratè muniunt: v. Pufendorf. *l. 2. c. 2. §. ult. in fine, l. 7. c. 9. §. ult. Nam neceſſe eſt remp. ad vim belli inſtitutam eſſe*, ait Ariſtotel. *II. Pol. 5.* ita tamen ut ſtudium, quod ponitur in rebus bellicis ornandis, cæterâ omni inſtitutione referatur ad otium & pacem; ut idem præcepit *VII. Pol. 14. in calce.* Tarentini ſummam virtutem ponebant in voluptate, extrà hanc omnia aſpernantes. v. Athenæus. Hinc proverbium fuerunt. Voluptates eorum memorat Symmachus *l. 7. ep. 15.* convivia perpetua Strabo. v. omnino Barthius *ad Claudian. p. 150.* Veſpaſ. à Kochow Kochowski *climact. 2. l. 1. Ann. Polon. ad A. 1655.* Non aliud malum, immoderato luxu, in gente noſtra damnabitur ſemper & tolerabitur. In Italia olim Manlius Conſ. cum triumpho, de Gallogræcis ſimul magnificos conviviorum apparatus Romam invexiſſe fertur: Nos æque pace ac bello in luxum effuſi, vel ſtrepente ferro, aurum conviviis inſumimus, ſatius ad menſam deglutiendum cenſentes ne hoſtis potiatur. Culina fertiliſſimi regni gurges eſt, & plus jam forte in coquos mercedis, quam in militem ſtipendii impendatur. A palato in dorſum tranſit prodigalitas, ſerica veſtis, Tyrius murex, Sydonis purpura faſtidio; niſi tela aureo filo criſpata tegat: niſi argentum in ſtannum diductum multiformes florum colores mentiatur, aut pictæ phrygionum ingenio prætextæ ramenta auri projiciant; decor cultus abeſt, nec ſat conſpicuus ornatus cenſebitur. Tranſeo plura, niſi quod acrior in vitiis æmulatio eſt. Si opulentioribus convivia aut exquiſita

quisita vestis placet, si ædificiorum splendor, circumpedum caterva, turba equorum delectat, certant vitiis Patritii, horum Nobilitas æmulatur luxum, etiam in Civitates diffusa licentia ubique pervadit.

(1) Huc pertinent etiam populi, qui piraticam exercere aut latrocinari laudi sibi duxerunt. Exempla habet H. Grotius *l. 2 de Verit. relig. Christ* §. 12. *in notis.* Adde de Uanis Alb. Crantzium *l. 1. c.* 38. & de Winulis *l. 3. Vandal. c.* 35. de Tataris Sigism. Herberstein. *in commentar. rerum Moscovitic.*

(2) Carolus Gustavus Rex Sueciæ dicebat apud Cheval. Terlon memoires p. 346. *Qu'il falait, qu'un grand Prince fit toujours la guerre, & ne demeurast jamais en paix, pour tenir les sujets occupez, pour faire des conquestes, & pour se faire craindre.*

III. Deinde irregulares quoque civitates sunt, quæ bonum collocant in magnis divitiis, & omnia pecuniæ causâ faciunt, ut Tyriorum civitas, quæ Mercurium præ cæteris coluit. Eyben *ad J. p. 189.* de quâ Esaias *XXIII.* Ezech. *XXVI. XXVII.* civitates mercatui deditæ. Grot. *ad Ezech. XXVII, 10.* Hermannus Conringius exemplum dedit in Batavis, de quibus Poëta quidam minimè obscurus & ipse in Batavis natus ita cecinerit:

Trux ventilet ignes
Tisiphone, quatiatque suos irata colubros,
Provehimur quo lucra vocant.

Apud Grotium *l. 4. hist. p. 312.* dicuntur Belgæ divitiarum avidæ gentes. Philostratus in dialogo ad Phœnicem circa commercia malè auditis & avari & fraudatores. v. Grotius *ad Matth. XI, 21.* De Syris Hieronymus ad Ezechiel. c. 26. *Usque nunc permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, & tantum mer-*

mercandi habeat veſaniam, ut occupato nunc orbe Romano, inter gladios & miſerorum neces, quærant divitias, & paupertatem periculis fugiant. Idem ad Lætum: *negotiatoribus & avidiſſimis mortalium Syris.* Quod nec defendere nunc, nec refellere eſt animus.

IV. Poſtremò irregulares ſunt, quæ luxum & voluptates numen ſuum faciunt, eoque omnia referunt. Quod quidem rarius eſt in integro populo, frequentius in ſummis imperantibus. Exemplo olim fuerunt Sodomitæ, Gomorrhæi, (1) Sibaritæ, Aſſyrii, ſub nonnullis Regibus, inprimis ſub Sardanapalo (ſi modo vera ſunt, quæ de eo circumferuntur: nam dubitat ipſe Ariſtoteles *V. Polit. 10.*) & Perſæ. Quibus hodie (2) Indorum Reges addas, & (3) in univerſum fere Orientis Dominos. H. Conringius exempli loco præterea attulit hodiernæ Poloniæ regnum, ſed indignantibus Polonis, & notum omnibus diſſidium quod ipſum inter & perſonatum Marinium exarſit. Non dicam heîc de populis, qui felicitatem ſuam collocant in miſeriis; quia hoc inſolens eſt, nec præter Arabiæ deſertæ incolas gens ulla reperta. De quibus ita Iſaac. Voſſius in not. ad Pompon. Melam, l. 3. c. 8. n. 31. *Genus iſtud hominum felicitatem ſuam collocat in miſeriis: neſcias utrum ipſi ac agri ipſorum magis ſitiant: flumina excludunt, ciſternas tenent raras, easque ſæpe fœtidas & viroſas, non ut invitent, ſed ut abigant peregrinos. Nihilominus beatos ac omnium hominum beatiſſimos ſe exiſtimant, tum quod ab externis conjugiis immunes ſemper fuerint, tum quod ab omnibus ſeculis liberi ac invicti perſtiterint; prorſus ut exemplo cæteris mortalibus eſſe poſſint, ſolam eſſe paupertatem, quæ ſit ſecura, quaque vinci non poſſet.* Niſi forſan addere libeat Samojutas, Sarmaticum genus,

genus, de quibus H. Grotius l. 4. hiſtor. Belgic. ad A. 1595. *A feris veſtem ſumunt, quâ totos ſe caputque & manus induant, ab his victum, crudas carnes, velut amplexi naturæ munera. Delitiæ adeo nullæ, ut panis quoque uſum & nomen ignorent. Id melius arbitrantur, quàm irritare maria, quàm negantes fatigare terras & in ulterius ſemper vota promittere, infenſos aliis, infenſos ſibi.* Ante dixerat: *Quà pedibus inceſſit, quod manibus cepit, id cuique ſuum eſt; nec alius poſſidendi finis, quam animus paratis contentus & obviis.* Ita omnia habent, quia nihil concupiſcunt.

(1) Mira de Sibaritarum luxu memorat Athenæus *l. XII.* Δειπνοσοφ. inter alia lege cautum ſcribens: *feſtas epulas celebraturus, ut integro ante anno fœminàs invitaret ac de apparatu ſatageret. Si quis coquus aut dulciarius piſtor novum quod condimenti vel deliciarum genus excogitaſſet, ex ſingulari privilegio id ſoli licuiſſe integro anno conficere, ut ex arte ſuâ tantò plus compendii faceret.*

(2) De quibus H. Grotius l. 17. hiſtor. Belgic. p. 556. *Plerisque*, inquit, *India Regibus. Venus potusque cordi, & alia in præſens grata, quàm in poſterum profutura.*

(3) Tavernier relation dû Serrail du grand Seigneur ch. 16. *Les Monarques Othomans & generalement tous le Princes de l'Aſie, quelques vaillans qu'ils ayent eſté, ont toujours eu un grand panchant à la volupté & à la molleſſe, & ont trouvé des grands charmes dans l'oyſiveté.* De Philippo III. Rege Hiſpan. H. Grotius l. 15. Rer. Belgic. ad A. 1606. *qui regiam fortunam voluptatum, quàm famem modo metiretur.* Ægypti Reges omnes poſt Ptolomæum Evergeten fuêre luxu petditi, maximè vero Ptolomæus Eupator, ita Strabo *l.* 17. *p.* 547. H. Grot. *ad* 3. *Maccab. p.* 702.

V. A ſummâ poteſtate non una quoque eſt ἀνωμαλία. Et quidem à fine ejus declinant reſp. (1) quæ heriles nuncupantur, *cum imperantes pro ſcopô primariô habent ſua commoda, populi* (2) *non nolentis utilitates per accidens curant.* Planè *quemadmodum*

herus in familia ſervi utile ex accidenti quærit: neque enim fieri poteſt, ut intereunte ſervo conſervetur imperium illud. Ut diſſerit Ariſtot. *III. Pol. 4.* conf. *VII. Pol. 14. p. 482.* & *VII. Pol. 13. p. 775.* id. Lucæ *XVII, 8. 9.* Hujus generis pleræque reſp. ſunt in Aſiâ & Africâ, forte, quia Noë Chamum, cui Africa ſedes fuit, maledictione ſuâ ad infimam maximeque ſervilem conditionem detruſit. *Quia enim magis ſerviles ſunt gentes natura, Barbari quidem Græcis, Aſiatici verò Europæis, herile imperium non iniquo perferunt animo.* ait Ariſtot. *III. Pol. 10.* conf. *c. 12. VII. Pol. 7.* Euripides apud Grot. p. 428. *O res amica barbaris dominatio.* Jam ante dixerat Euripides in Heraclidis:

> Οὐ γὰρ τυραννίδ' ὡς βαρβάρων ἔχω.
> *Non enim tyrannidem, ut barbarorum, obtineo.*

Et apud Livium *Syri & Aſiatici dicuntur hominum genera ſervituti nata, quibus pro legibus dominorum imperia ſemper fuêre.* Faſtus Regum Orientis ſuper corpora humana incedere. Joſuæ *X, 24.* Pſalm. *CX,* 1. Retinent adhuc quidam in Indiâ Reges. Grot. *ad Eſaiam LI, 23.* Plutarchus in Antonio, *Orientales* vocat *homines ſervire aſſuetos & regnari quærentes.* Adde H. Grotium *l. 1. de Jur. B. & P. c. 3. §. 20. & in not.* Cæterum heriles reſp. non ſolum in unius, ſed & plurium imperio reperiuntur, quanquam diverſis nominibus. Nam Græci medium ſtatum inter βασιλείαν & τυραννίδα, δεσποτείαν, Latini dominatum; inter ἀριστοκρατίαν verò & δυναστείαν, ὀλιγαρχίαν δεσποτικὴν appellant. Ariſtoteles *paſſim in politicis*, & diſcipulus ejus Theophraſtus *in characteribus*, (cujus ſcripturam, etiam Caſaubono probatam, emendat A. *comm. de ariſtocr. & oligarch. p. 100. ſequ.*) eandem κατ' ἐξοχὴν ὀλιγαρχίαν vocant.

Mediam

Mediam in ſtatu populari ſpeciem vix licet uominare, quoniam, niſi receptis legibus utatur populus, in ὀχλοκρατίαν, ut Polybius appellat *l. 6. Hiſt.*, hoc eſt, tyrannidem multorum capitum degenerat. adde Septal. *l. 6. de Rat. ſtat. c. 2.* Cur verò reſp. heriles in numero civitatum irregularium collocaverimus, in promptu ratio eſt, ſi reſpiciamus dicta in *ſect. 6. §. 14.* Hinc Ariſtoteles *III. Pol. 4. civitatem liberorum eſſe hominum, imò ut ex ſervis conſtet* ἓν τῶν ἀδυνάτων, *rem impoſſibilem eſſe* ait. Conf. Grot. *3. de jur. B. c. 8. §. 2.* Quod tamen cùm granô ſalis accipiendum eſſe, pluribus in jure publicô univerſali docetur. L'Abbé de Choiſi *Journal du voyage de Siam.* Les peuples ſont eſclaves & travaillent pour le Roy, ſi ce n'eſt au temps de ſemer & au temps de recueillir, auſquels ils travaillent pour eux memes. *Journ. des Sçavans A. 1687. p. 309.* De regno Siamenſi, quod ejus ſubditi nihil proprii poſſideant. v. *Journal des Sçavans A. 1685. p. 23.* Adde de la Loubere *tom. 1. du Royaume de Siam part. 2. ch. 7. n. 10.* (3) Cæterum quædam herilium rerump. intenſiore, quædam remiſſiore ſunt gradu. Illarum plurima in Oriente ſunt exempla, ut in Indiâ M. Mogolis, *cujus regimen merè Tyrannicum eſt: nam cum ſit Dominus omnis ſoli, pro libitu donat & adimit agros ſubditis ſuis: Magnates quoque crebro locum mutare cogit ſimul cum terris, quas ipſis in cenſum attribuit; tenuiores verò & plebem ita vexat, ut ſæpe ſingulis ſemeſtribus agros mutare cogantur*, verba ſunt J. de Laet *de Imperio M. Mogolis ſive vera Indiâ c. 4.* Similia de Habeſſinorum Imperatore, ut ut Chriſtiano, memorat Job. Ludolf. *l. 2. hiſtor. Æthiopic. c. 9. & in commentar. n. 40.* Turcarum, ut notavit Ant. Maria Gratianus *l. 1. de Bell. Cypr.*, ea vis tyrannidis atque ea Barbaris parendi diſciplina, ut

ſine ullâ cauſæ dictione, cum Regi libuerit, vel validis præpoſiti exercitibus provinciisque, ſervo à Rege ad id miſſo, coronam feriendam ſine recuſatione præbeant. Rex Nigritarum plusquam deſpoticè imperat. v. le Meure *voyage p. 171.* Jam olim Perſarum Reges, quorum imperium δεσποτικὸν dixit Plato *3. de LL.* tyrannicis inſtitutis uſos, obſervavit Ariſtoteles *V. Pol. 11.* At hodie eorum imperium eſſe remiſſius, Boterus & alii memorant. Illud quoque addendum, (3) reipublicæ herilis ſignum eſſe aſſentationes.

(1) Perperam Hobbeſ. *part. 2. du corps politiqu. & 5. §. 1.* diſtinctionem rerump. in civiles & heriles vocat falſam & omnino vanam. conf. de cive c. 10. §. 2. & 5. Atqui ipſe d. part. 2. ch. 3. §. 2. dixerat: *quand un homme eu maiſtre a un ſi grand nombre d'Eſclaves, qu'il ne peut pas eſtre ataqué de ſes voiſins, ſans qu'ils ſe mettent en grand riſque, ce Corps politique eſt appellé un Royaume deſpotique.* Forte etiam Hobbeſius confundit παμβασιλείαν cum imperio deſpotico, quæ utique ſunt diverſa. Ita hodie in Aſia unum imperium Sinenſe eſt παμβασιλικὸν, ſed non herile. In Europa ſimiliter Regna Sueciæ & Daniæ. Bene Ariſtoteles VII. Pol. 3. *Arbitrari imperium omne eſſe deminatum, non rectum eſt: non minus enim diſtat imperium liberorum ab imperio ſervorum, quàm ipſum naturâ liberum à natura ſervo.*

(2) Ita diſtinguuntur heriles reſp. à tyrannicis, quas multi confundunt, idemque Ariſtoteli imputat Boccalinus *Secretar. di Apollo p. 12.* Et ſanè in eo ambæ conveniunt, *quoniam & Tyranni more herorum imperant, ſuam ſententiam ſequentes:* differunt autem, *quia heri volentibus dominantur, adeoque non injuſtè*, ut Ariſtoteles diſſetit *IV. Pol. 10.* ubi etiam addit: remp. herilem ſive dominatum κατὰ νόμον εἶναι, ſive *legibus conſtare.* conf. *III. Pol. 11. ab initio* de barbarico regno.

(3) Cicero epiſtola ad fratrem, *Græcos*, inquit, *diuturnæ ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditos.* Genus dicendi imitatur publicos mores, ait Seneca *ep. 114.* Lucanus l. 5. Pharſal.

Omnes

Omnes voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominos, hæc primum repperit ætas.

VI. A ſubjectô ſummæ poteſtatis irregulares civitates ſunt, ubi duo (aut tres, ex ſententiâ Pufendorf. *l. 7. c. 5. §. 15.*) ſummam poteſtatem tenent. Quam ſpeciem Græci δυαρχίαν vocant. Nam ſi duos hoſce diſſentire contingat, ad concordiam eos adducere non erit facile, quoniam juri majoris partis, quòd jus integri habet in ariſtocratiâ & politiâ, heic locus eſſe non poteſt. Teſtatur autem experientia, nunquam ſatis concordem potentiam, quæ ad unum vel plures aut omnes tota non pertinet. Optimè Statius 1. Thebaid.

Jurisque ſecundi
Ambitus impatiens, & ſummô dulcius unum
Stare loco, ſociisque comes diſcordia regnis.

Lucanus I. Pharſal.

Nulla fides regni ſociis, omnisque poteſtas
Impatiens conſortis erit. Seneca in Thyeſte:

Socium ferre nec regna nec tæda ſciunt.

Chorus apud Euripidem *Andromacha*;

Οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι,
Δίπτυχοι τυραννίδες
Μιᾶς ἀμείνονες φέρειν,
Ἀχθος δ' ἐπ' ἄχθει,
Καὶ στάσις πολίταις,
Τεκτόνοιν δ' ὁμοίοιν ἐργάταιν δυοῖν,
Ἓν μῆχαρ φίλοισι κραίνειν.
Neque enim in urbibus,
Duo imperia
Facilius ferri poſſunt, quam unum.
Eſt enim onus ſupra onus,
Et ſeditio civibus.

Inter fabros etiam duos, hymnorum artifices,
Litem Muſæ ſolent excitare.

Sive, ut H. Grotius vertit:

Duo nec domini rectius urbes
Terrasque regunt, quam qua ſceptrum
Tenet una manus. Quin ſic oneri
Onus accedit, diſcors agitat
Rabies rupto fœdere cives.
Etiam artifices carminis inter
Geminos ipſæ triſtia miſcent
Prælia Muſæ.

Vide de Philometore & Evergete ſimul regnantibus Porphyrii fragmentum apud Joſeph. Scaliger. *in Excerpt. Euſebian. pag. 22.* Valer. Maxim. *l. 5. c. 1.* de Aphareo & Leucippo Pauſan. *libr. 4.* de Tatio & Romulo Plutarch. *in Romulo.* de Domitiano & Tito Sueton. *in Veſpaſiano c. 9.* de Maximo & Albino Herodianum *l. 8. hiſt. c. 8.* de Gundeberto & Pertharito Longobardorum Regibus Putean. *hiſtor. Inſubr. l. 2. c. 12. ſequ.* Alia exempla habet H. Grotius *l. 2. de J. B. & P. c. 7. §. 14. in not.* Ex his judicium ferri poteſt de ſententiâ D. Bœcleri *ad Grotii, l. 1. c. 3. p. 254.* quando de Imperio Romano ita diſſerit: *Quoties duo Imperatores unus Occidentale alter Orientale Imperium tenuêre, plenâ uterque poteſtate; tum nomine unum Imperium Romanum; re verò ipsâ & accuratè loquendo duo fuerunt regna diſtincta.* (2) *Quoties duo aut tres imperium indiviſim tenuerunt, ut alter ſine altero non poſſet decernere; non fuit accuratè loquendo regnum ſeu monarchia, ſed ariſtocratia Duumviralis Triumviralis.* Nempe ob adductas rationes magis verè dicitur: Imperium Romanum hac poſteriore in ſpecie non ariſtocraticum, niſi κατ' ἀναλογίαν, ſed irregulare fuiſſe. Quanquam addi quoque poſſet, interdum ubi duo vel tres ſimul præfuêre

fuêre Imperio Romano, ſummum imperium penes unum ſolum ſtetiſſe, tametſi alter vel reliqui, quantum attinet externam ſpeciem, ejus ſimul viderentur participes. Ut rectè advertit D. Pufendorf. *dicto loco* & manifeſtè probat exemplum Diocletiani, Maximinianum Auguſtum, Conſtantium autem atque Galerium Cæſares creantis, v. locum Pomponii Scoti apud A. *diſſertat. de Sede majeſtatis p. 19. ut tamen ipſius nutu omnia gererentur.* auctore Aurelio Victore in *Cæſaribus.* Nam Cæſareanum imperium (quod δεύτερον βασιλείας σχῆμα vocat Libanius *oration. funebr. in Julian.* loquutus de Gallo Cæſare aſſumto à Conſtantio) neque Imperatoris nomine deſignabatur, neque id efficiebat, ut Orientis imperium ab Occidentali diſtingueretur. Cæterum Huberus dyarchias aut triarchias nollet in artem hanc introduci, cum ſub monarchiâ contineri queant: conſentaneum enim eſſe, ut ab eâ ſpecie, cui proxima eſt, appellatio petatur. *l 2. Jur. publ. univ. c. 30.* Verùm cum monarchia definiatur, ubi una perſona phyſica ſummam poteſtatem habet, iſti autem condomini unum collegium non conſtituant; præterea hoc imperii genus fragile ſit ac anceps, fatente ipſo Hubero *d. l.* §. *6. & 9.* nihil aliud relinquitur, quam ut remp. hanc irregularem dicamus.

(1) Addantur noſtræ ætatis Imperatores Moſcoviæ, Ivan ſive Joannes & Petrus Alexovix, quorum imperium non ſine turbis fuit.

(2) Ilti Arcadium & Honorium commune imperium diviſis tantum ſedibus tenuiſſe, ſcribit Paulus Diaconus *l.* 13. *hiſtor. miſcell. c.* 19. Ante hos & quidem primi Imperium Romanum hoc modo adminiſtraverunt Antoninus Philoſophus & hujus frater Luc. Aurelius Verus, Divi fratres in jure Romano dicti. V. Capitolinus *in vita Antonini c.* 7. Pertinent huc Conſtitutiones plurimæ in Codice, quæ nomina duorum vel trium Imperatorum præferunt. Addatur de variis

divisionibus illius Imperii Jacob. Gothofredum *proleg. ad Cod. Theodos. c. 8.*

VII. Huc quoque revocare licet illam reip. speciem, ubi duo pluresvè Principes, quorum unus altervè externo simul potentatu sunt subnixi, in unâ regione commune regimen gerunt. Exemplo sit communio in Regno Neapolitano, quæ quondam inter Hispaniæ & Galliæ Reges fuit. V. Matth. de Afflict. *Dec.* 403. Adde condominia territorialia, quæ passim conspiciuntur in Imperio Romano-Germanico, de quibus Ludolph. Hugo *c. 6. de stat. reg. Germ. §. 19.*

IIX. Denique à formâ summæ potestatis irregulares sunt respublicæ, quæ vulgò mixtæ vocantur; quando inter unum & paucos vel omnes partitio summæ potestatis instituitur, ut v. g. quædam Rex solus, quædam cum Senatu possit, vel quædam Rex solus possit, quædam Senatus. Sunt qui negant hujusmodi respublicas in rerum natura inveniri, Bodin. *2. de rep. 1.* Gassend. *in Philosoph. moral.* Hobbes. *c. 6. de civ. §. 4. & sequ. Leviath. c. 18.* Becmann. *medit. Pol. c. 24. §. 6.* Huber. *l. 1. Jur. publ. univers. c. 49. §. 2. sequ.* Quibus contradicunt Arnisæus *2. Select. polit. c. 6.* Piccart. 4. *Pol. Aristot.* 9. Nicolaus Crassus *in not. ad Donat. Jannot. rcmp. Venet. not. 2. & 38.* Mevius *part. 5. Dec. 383. n. 3.* Nec desunt valida utrinque argumenta, quæ tamen mediæ sententiæ temperamento, quod est, irregulares esse eas civitates, facile componuntur, V. supra *sect. 6. §. 19.* Pufendorf. *l. 1. de jure nat. & Gent. c. 5. §. 15.* conf. Houtuyn, *Polit. gener. §. 96.* Verùm qui nobis obloquuntur, exempla sibi monstrari volunt. *Adhuc expectamus*, ait D. Huberus *d. l. §. 4. dum talis resp. plures habens reip. formas specie diversas, ex omni seculorum memoria nobis monstretur, quæ exiterit,*

terit, vel ætatem ferre potuerit. Atqui ut ætatem ſemper ferre potuerit, non eſt neceſſarium, ideo enim inter irregulares collocatur. Imò ipſe fatetur *c. 19. §. 29. Communicationem totius vel pro parte majeſtatis fieri poſſe ex ratione ſæpius memorata clarum, & experientia certum eſſe in ipſo Cæſare Germanico, Rege Poloniæ, aliisque ad hodiernum usque diem evidentibus exemplis. Quando vero hoc modo integra majeſtatis jura inter ordines diverſos diſtribuantur, quædam uti Princeps, aliqua primores, alia populus habeant, ſingulique ſua jura alii aliis non obnoxii teneant & uſurpent, exceſſurum hoc notiſſimos reip. terminos, ac neſcio quod monſtrum repræſentaturos.* Statum regni Suecici, cum adhuc mixtus eſſet, deſcripſit Boccl. *l. 3. Belli Sueo Danici p. 223. ſequ.* Ex adverſo alii nullam hodie puram ſive ſimplicem remp. reperiri contendunt. Quos tamen errare non eſt dubium; quia mixtas & (1) temperatas reſp. pro iisdem habent. id quod minus rectè fieri, ſupra oſtendimus *ſect. 6. §. 19.* Ut omittam, dominatus in Aſiâ & Africâ nihil quicquam in ſe temperationis continere. V. omnino Boſium *introduct. in notit. rerump. c. 30. §. 20. ſequ.* Majori veri ſpecie H. Conringius *in animadv. ad Machiav. Princ.* in univerſum tantum non omnia Regna & Principatus Europæ mixta eſſe prodidit. Quanquam & hoc, inſpectô Europæ hodiernó ſtatu, dici amplius nequeat, plerisque regnis in παμβασιλείαν degenerantibus, quod inprimis mercenariæ militiæ, cujus uſus à Maximiliani I. Imper. temporibus frequens eſſe cœpit, adſcribendum. v. Huber. *l. 2. de jure civitat. ſect. 5. c. 4. §. 18.* Adde & aliam cauſam repreſſam ac debilitatum Pontificum Romanorum in Reges poteſtatem ac licentiam, cujus metus eos cohibebit ne jura Procerum ſuorum auderent conve-

here. Citra controverſiam tamen huc pertinent regnum Angliæ & (2) Poloniæ, nec non Germanicum Imperium, (3) ſi tantum ſpectetur in majore republicâ, quâ in Imperatore & Statibus Imperii conſiſtit. H. Grotius *l.* 1. *jur. B. & P. cap.* 3. §. 20. exempli loco adduxit remp. Romanam, qualis ea fuit primis Conſulum temporibus. Ego aſſentior demum poſt illa tempora, cum Plebs ſeceſſit in montem ſacrum. Nam (4) abhinc *Plebem veluti abruptam à cœtero populo patriam, peculiaremque remp. feciſſe*, rectè judicavit Quintus Cincinnatus apud Livium *l.* 3. *c.* 19. *Duas civitates ex una factas: ſuos cuique parti magiſtratus, ſuas leges eſſe*,. ajebant Hetruriæ Principes apud eundem *l.* 2. *c.* 44. Ante verò illa tempora *plebi non re ſed verbo datam libertatem*, verè dixit Cicero 3. *de Legibus*. Idem Grotius huc refert regnum Hebræorum & Wilhelm. Schickard. c. 1. de jure regio theor. 2. ait: *regnum judaicum fuiſſe ariſtocratico imperio mixtum; quoniam Rex ſine aſſenſu Senatus magni unius & ſeptuaginta virorum nihil potuerit decernere.* Longius progreſſus Bertramus *de rep. Hebr. c.* 11. præter ariſtocratiam democraticæ quoque poteſtatis aliquid admixtum habuiſſe regnum Hebræorum cenſuit. Quo haut dubiè falſa ſunt ante captivitatem populi Judæ & Iſraelis: poſt captivitatem, cum reſtitutus fuit populus ille, diſtinguenda tempora de quo alibi.

(1) Exempla temperatarum rerump. plura adduximus ſupra *ſect.* 10. Huc pertinet etiam quod Anton. Maria Gratianus *l* 1. *de vit. Cardinal. Commendoni c.* 5. de imperio Pontificis Romani in terris Italiæ ſcripſit his verbis: *Romana res, etſi unius imperio habetur, tamen quia is eligitur liberis ſuffragiis, neque ob provectam ætatem diu rerum potitur, nec ejus is ſius ullum eſt in ſucceſſore arbitrium, ac nemo ſpe atque aditu honorum arcetur, ineſſe huic civitati & alia ſpecies reip. videntur, ut, cum unus ſummam poteſtatem ſummumque jus omnium*

omnium rerum obtineat, nonnulla tamen esse & Principum & multitudinis opes videri possint. v. Struv. *c.* 5. *Synt. jur. feudal. aph.* 8. *in not.*

(2) Malè meo judicio Cromerus *l.* 2. *de Polon. p.* 126. regnum Polonorum a veretum Lacedæmoniorum vel hujus temporis Venatorum reipubl. ratione non multum differre existimavit. v. Hartknoch. *l.* 2. *de Polon. c.* 2. & 9. conf. pacta reip. Polonicæ cum Casimiro apud Pastorium *l.* 4. *histor. Polon. pletior. p.* 221. *sequ.*

(3) Si spectetur ad respublicas speciales, quæ eidem subsunt, referendum est ad aliam reip. speciem, de qua *sect.* 12 §. 14. Et tamen specialium in eo rerum p. nonnullæ mixtæ sunt. v. *Dissert. de special. Rom. Germ. Imp. sect.* 2. §. 28. Idem dixeris de regno Poloniæ. V. dict. Dissert. *sect.* 1. §. 1. *in notis.* Qua jura Rex, quæ Nobilitas habeat in compendio explicuit Thuanus *histor. l.* 56. *p.* 38. 39. Quæ in Anglia Rex Grot. *ep.* 616.

(4) At procedente tempore adeo prægravavit plebis potentia, ut anno ab U. C. CCCCXIV. Q. Publius Philo Dictator rogationem pertuleret: *quâ legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium, Patres auctoris fieri jubebantur*, teste Livio *l.* 8. *c.* 12.

IX. A modo habendi irregulares sunt respublicæ patrimoniales, quarum indoles intelligi potest ex iis, quæ supra de summâ potestate diximus *sect.* 6. §. 7. Hæ respublicæ licet non sint injustæ, ut bene adstruxit H. Grotius *lib.* 1. *de jure B. & P. c.* 3. §. 12. ab indole tamen civitatum, quæ primitus post naturalem statum ortæ sunt, non parum deflectuut. Quo demum pertinent, quæ apud Belgas disserebantur, cum Philippus II. Rex Hispaniæ Alberto Archiduci Austriæ & filiæ Isabellæ Belgicæ imperium transcripsisset, apud H. Grotium l. 7. Hist. Belgic. ad An. 1598. *Pravum morem esse, quod libera hominum capita, ceu privatum servitium, in censu ac commercio haberentur. Barbaris certè usurpatum, ut imperia donarent legarentvé, quippe ignaris Domino Princeps quid interst. At quibus aliud fas ac ne-*

fas,

fas, minimè his ambiguum, rem esse populi, indeque dici Rempublicam. Et tamen populos, herili aut tyrannico imperio non utentes, in patrimonio summi imperantis esse nihil vetat; ut liquet exemplo Imperatorum Sinensium, qui non tantum ex domo regnatrice quem volunt, sed &, si in eâ dignus imperio non reperiatur, ex civibus suis successorem nominare possunt, ut nuper memoravit le Comte *in commentariis de statu præsente Chinæ ep. 9.*

X. Sunt præterea irregulares civitates aliæ; sed quæ post mutationes demum existere solent. De quibus sectione sequente agemus.

SECTIO DUODECIMA.

DE MUTATIONIBUS &, *quæ post eas oriuntur*, DIFFERENTIIS CIVITATUM.

I. TRansitio.
II. Mutationum origo & causæ.
III. Mutationum species, quatenus afficiunt pacta, quibus constari civitates supra traditum est.
IV. Hinc diversa civitatum genera enascuntur, & quidem (1) *coalitæ*, unde sæpius fit ut civitas in pagos aut provincias dividatur.
V. Fiunt autem coalitæ civitates vel vi, vel consensione! deinde vel homogeneo vel heterogeneo modo: unde sunt vel *similares vel dissimilares.*
VI. (1) *Civitates sub uno capite junctæ.*
VII. (3) *Systemata, sive Achaica respublica.*
IIX. Quæ differentias quasdam habent.
IX. (4) *Civitates anonymæ, sive speciali nomine carentes.* Quo referuntur Imperium Romano-Germanicum. Pontificatus Romanus & aliæ resp.
X. (5) *Clientelares resp.*
XI. (6) *Colonia.*
XII. (7) *Feudales resp. & vectigales.*
XIII. (8) *Civitates novæ.*
XIV (9) *Interregna.*
XV. (10) *Tyrannides exercitiæ.*
XVI. (11) *Tyrannides titulatæ.*
XVII. Æque vel meræ violentæ, vel sophisticæ.

XIIX.

XIIX. (12) *Respublica factionibus vel bellis civilibus distracta.*
XIX. Quid factiones?
XX. Hisque affines conjurationes.
XXI. Quid bella civilia?
XXII. Et his affines tumultus atque seditiones?
XXIII. Unus civitatum est *anarchia.*

§. I.

HUcusque de civitatibus, quemadmodum constituantur, vidimus, restat ut dispiciamus quomodo mutentur, & quæ dissimilitudines civitatum inde resultent. Ubi primum consideranda origo & quæ eò pertinent, deinde species mutationum.

II. Origo mutationum in universum est ab ipsa rerum humanarum indole. Ovidius l. XV. Metamorphos.

Sic tempore verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes;
Concidere has. Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte: magnæ viguêre Mycenæ.
Nec non Cecropiæ, nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparte est, altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt nisi fabula Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

& Polybius l. 6. c. 55. *Sed enim manere humanas res omnes interitum ac mutationem, ne admonendi quidem sumus: ipsa namque naturæ necessitas ad firmandam huic rei fidem abunde sufficit.* Plato cum eam, quam optimam mente complecti poterat, descripsisset rempublicam, addit: ἀδ' ἡ τοιαύτη ξύσασις τὸν ἅπαντα μενεῖ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται. *At ne hæc quidem forma in omne tempus manebit, sed aliquando dissolvetur.* Cicero præfat. libr. 2. de divinat.

ſine ullâ cauſæ dictione, cum Regi libuerit, vel validis præpoſiti exercitibus provinciisque, ſervo à Rege ad id miſſo, coronam feriendam ſine recuſatione præbeant. Rex Nigritarum plusquam deſpoticè imperat. v. le Meure *voyage p. 171.* Jam olim Perſarum Reges, quorum imperium δεσποτικὸν dixit Plato *3. de LL.* tyrannicis inſtitutis uſos, obſervavit Ariſtoteles *V. Pol. 11.* At hodie eorum imperium eſſe remiſſius, Boterus & alii memorant. Illud quoque addendum, (3) reipublicæ herilis ſignum eſſe aſſentationes.

(1) Petperam Hobbeſ. *part. 2. du corps politiqu. & 5. §. 1.* diſtinctionem rerump. in civiles & heriles vocat falſam & omnino vanam. conf. de cive c. 10. §. 2. & 5. Atqui ipſe d. part. 2. ch. 3. §. 2. dixerat: *quand un homme ou maiſtre a un ſi grand nombre d'Eſclaves, qu'il ne peut pas eſtre ataqué de ſes voiſins, ſans qu'ils ſe mettent en grand riſque, ce Corps politique eſt appellé un Royaume deſpotique.* Forte etiam Hobbeſius confundit παμβασιλείαν cum imperio deſpotico, quæ utique ſunt diverſa. Ita hodie in Aſia unum imperium Sinenſe eſt παμβασιλικὸν, ſed non herile. In Europa ſimiliter Regna Sueciæ & Daniæ. Bene Ariſtoteles VII. Pol. 3. *Arbitrari imperium omne eſſe deminatum, non rectum eſt: non minus enim diſtat imperium libererum ab imperio ſervorum, quàm ipſum naturâ liberum à natura ſervo.*

(2) Ita diſtinguuntur heriles reſp. à tyrannicis, quas multi confundunt, idemque Ariſtoteli imputat Boccalinus *Secretar. di Apolle p. 12.* Et ſanè in eo ambæ conveniunt, *quoniam & Tyranni more herorum imperant, ſuam ſententiam ſequentes:* differunt autem, *quia heri volentibus dominantur, adeoque non injuſtè*, ut Ariſtoteles diſſetit *IV. Pol. 10.* ubi etiam addit: temp. herilem ſive dominatum κατὰ νόμον εἶναι, ſive *legibus conſtare.* conf. *III. Pol. 11. ab initio* de barbarico regno.

(3) Cicero epiſtola ad frattem, *Græcos*, inquit, *diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditos.* Genus dicendi imitatur publicos mores, ait Seneca *ep. 114.* Lucanus l. 5. Phaſſal.

Omnes

Omnes voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominos, hæc primum repperit ætas.

VI. A subjectô summæ potestatis irregulares civitates sunt, ubi duo (aut tres, ex sententiâ Pufendorf. *l. 7. c. 5. §. 15.*) summam potestatem tenent. Quam speciem Græci δυαρχίαν vocant. Nam si duos hosce dissentire contingat, ad concordiam eos adducere non erit facile, quoniam juri majoris partis, quòd jus integri habet in aristocratiâ & politiâ, heic locus esse non potest. Testatur autem experientia, nunquam satis concordem potentiam, quæ ad unum vel plures aut omnes tota non pertinet. Optimè Statius 1. Thebaid.

Jurisque secundi
Ambitus impatiens, & summô dulcius unum
Stare loco, sociisque comes discordia regnis.

Lucanus I. Pharsal.

Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit. Seneca in Thyeste:

Socium ferre nec regna nec tada sciunt.

Chorus apud Euripidem *Andromacha*:

Οὐδὲ γὰρ ἐν πόλεσι,
Δίπτυχοι τυραννίδες
Μιᾶς ἀμείνονες φέρειν.
Ἀχθος δ' ἐπ' ἄχθει,
Καὶ σάσις πολίταις,
Τεκτόνοιν δ' ὁμοίοιν ἐρχάτοιν δυοῖν,
Ἓξιν Μῶσαι φιλοῦσι κραίνειν.
Neque enim in urbibus,
Duo imperia
Facilius ferri possunt, quam unum.
Est enim onus supra onus,
Et seditio civibus.

Inter fabros etiam duos, hymnorum artifices,
Litem Muſæ ſolent excitare.

Sive, ut H. Grotius vertit:

Duo nec domini rectius urbes
Terrasque regunt, quam quæ ſceptrum
Tenet una manus. Quin ſic oneri
Onus accedit, diſcors agitat
Rabies rupto fœdere cives.
Etiam artifices carminis inter
Geminos ipſa triſtia miſcent
Prælia Muſa.

Vide de Philometore & Evergete ſimul regnantibus Porphyrii fragmentum apud Joſeph. Scaliger. *in Excerpt. Euſebian. pag. 22.* Valer. Maxim. *l. 5. c. 1.* de Aphareo & Leucippo Pauſan. *libr. 4.* de Tatio & Romulo Plutarch. *in Romulo.* de Domitiano & Tito Sueton. *in Veſpaſiano c. 9.* de Maximo & Albino Herodianum *l. 8. hiſt. c. 8.* de Gundeberto & Pertharito Longobardorum Regibus Putean. *hiſtor. Inſubr. l. 2. c. 12. ſequ.* Alia exempla habet H. Grotius *l. 2. de J. B. & P. c. 7. §. 14. in not.* Ex his judicium ferri poteſt de ſententiâ D. Bœcleri *ad Grotii, l. 1. c. 3. p. 254.* quando de Imperio Romano ita diſſerit: *Quoties duo Imperatores unus Occidentale alter Orientale Imperium tenuêre, plenâ uterque poteſtate; tum nomine unum Imperium Romanum; re verò ipsâ & accuratè loquendo duo fuerunt regna diſtincta.* (2) *Quoties duo aut tres imperium indiviſim tenuerunt, ut alter ſine altero non poſſet decernere; non fuit accuratè loquendo regnum ſeu monarchia, ſed ariſtocratia Duumviralis Triumviralis.* Nempe ob adductas rationes magis verè dicitur: Imperium Romanum hac poſteriore in ſpecie non ariſtocraticum, niſi κατ' ἀναλογίαν, ſed irregulare fuiſſe. Quanquam addi quoque poſſet, interdum ubi duo vel tres ſimul præfuêre

fuêre Imperio Romano, ſummum imperium penes unum ſolum ſtetiſſe, tametſi alter vel reliqui, quantum attinet externam ſpeciem, ejus ſimul viderentur participes. Ut rectè advertit D. Pufendorf. *dicto loco* & manifeſtè probat exemplum Diocletiani, Maximinianum Auguſtum, Conſtantium autem atque Galerium Cæſares creantis, v. locum Pomponii Scoti apud A. *diſſertat. de Sede majeſtatis p. 19. ut tamen ipſius nutu omnia gererentur.* auctore Aurelio Victore in *Cæſaribus.* Nam Cæſareanum imperium (quod δεύτερον βασιλείας σχῆμα vocat Libanius *oration. funebr. in Julian.* loquutus de Gallo Cæſare aſſumto à Conſtantio) neque Imperatoris nomine deſignabatur, neque id efficiebat, ut Orientis imperium ab Occidentali diſtingueretur. Cæterum Huberus dyarchias aut triarchias nollet in artem hanc introduci, cum ſub monarchiâ contineri queant: conſentaneum enim eſſe, ut ab eâ ſpecie, cui proxima eſt, appellatio petatur. *l 2. Jur. publ. univ. c. 30.* Verùm cum monarchia definiatur, ubi una perſona phyſica ſummam poteſtatem habet, iſti autem condomini unum collegium non conſtituant; præterea hoc imperii genus fragile ſit ac anceps, fatente ipſo Hubero *d. l.* §. *6. & 9.* nihil aliud relinquitur, quam ut remp. hanc irregularem dicamus.

(1) Addantur noſtræ ætatis Imperatores Moſcoviæ, Ivan ſive Joannes & Petrus Alexovix, quorum imperium non ſine turbis fuit.

(2) Uti Arcadium & Honorium commune imperium diviſis tantum ſedibus tenuiſſe, ſcribit Paulus Diaconus *l.* 13. *hiſtor. miſcell. c.* 19. Ante hos & quidem primi Imperium Romanum hoc modo adminiſtraverunt Antoninus Philoſophus & hujus frater Luc. Aurelius Verus, Divi fratres in jure Romano dicti. V. Capitolinus *in vita Antonini c.* 7. Pertinent huc Conſtitutiones plurimæ in Codice, quæ nomina duorum vel trium Imperatorum præferunt. Addatur de variis

divisionibus illius Imperii Jacob. Gothofredum *proleg. ad Cod. Theodos. c.* 8,

VII. Huc quoque revocare licet illam reip. speciem, ubi duo pluresvè Principes, quorum unus altervè externo simul potentatu sunt subnixi, in unâ regione commune regimen gerunt. Exemplo sit communio in Regno Neapolitano, quæ quondam inter Hispaniæ & Galliæ Reges fuit. V. Matth. de Afflict. *Dec.* 403. Adde condominia territorialia, quæ passim conspiciuntur in Imperio Romano-Germanico, de quibus Ludolph. Hugo *c.* 6, *de stat. reg. Germ.* §. 19.

IIX. Denique à formâ summæ potestatis irregulares sunt respublicæ, quæ vulgò mixtæ vocantur; quando inter unum & paucos vel omnes partitio summæ potestatis instituitur, ut v. g. quædam Rex solus, quædam cum Senatu possit, vel quædam Rex solus possit, quædam Senatus. Sunt qui negant hujusmodi respublicas in rerum natura inveniri, Bodin. *2. de rep. 1.* Gassend. *in Philosoph. moral.* Hobbes. *c. 6. de civ.* §. 4. *& sequ. Leviath. c. 18.* Becmann. *medit. Pol. c. 24.* §. 6. Huber. *l. 1. jur. publ. univers. c. 49.* §. 2. *sequ.* Quibus contradicunt Arnisæus 2. *Select. polit. c. 6.* Piccart. 4. *Pol. Aristot.* 9. Nicolaus Crassus *in not. ad Donat. jannot. rcmp. Venet. not.* 2. & 38. Mevius *part.* 5. *Dec.* 383. *n.* 3. Nec desunt valida utrinque argumenta, quæ tamen mediæ sententiæ temperamento, quod est, irregulares esse eas civitates, facile componuntur, V. supra *sect.* 6. §. 19. Pufendorf. *l.* 1. *de jure nat. & Gent. c.* 5. §. 15. conf. Houtuyn, *Polit. gener.* §. 96. Verùm qui nobis obloquuntur, exempla sibi monstrari volunt. *Adhuc expectamus*, ait D. Huberus *d. l.* §. 4. *dum talis resp. plures habens reip. formas specie diversas, ex omni seculorum memoria nobis monstretur, quæ extiterit,*

terit, vel ætatem ferre potuerit. Atqui ut ætatem ſemper ferre potuerit, non eſt neceſſarium, ideo enim inter irregulares collocatur. Imò ipſe fatetur *c.* 19. §. 29. *Communicationem totius vel pro parte majeſtatis fieri poſſe ex ratione ſæpius memorata clarum, & experientia certum eſſe in ipſo Cæſare Germanico, Rege Poloniæ, aliisque ad hodiernum usque diem evidentibus exemplis. Quando vero hoc modo integra majeſtatis jura inter ordines diverſos diſtribuantur, quædam uti Princeps, aliqua primores, alia populus habeant, ſingulique ſua jura alii aliis non obnoxii teneant & uſurpent, exceſſurum hoc notiſſimos reip. terminos, ac neſcio quod monſtrum repræſentaturos.* Statum regni Suecici, cum adhuc mixtus eſſet, deſcripſit Boccl. *l.* 3. *Belli Sueo Danici p.* 223. *ſequ.* Ex adverſo alii nullam hodie puram ſive ſimplicem remp. reperiri contendunt. Quos tamen errare non eſt dubium; quia mixtas & (1) temperatas reſp. pro iisdem habent. id quod minus rectè fieri, ſupra oſtendimus *ſect.* 6. §. 19. Ut omittam, dominatus in Aſiâ & Africâ nihil quicquam in ſe temperationis continere. V. omnino Boſium *introduct. in notit. rerump. c.* 30. §. 20. *ſequ.* Majori veri ſpecie H. Conringius *in animadv. ad Machiav. Princ.* in univerſum tantum non omnia Regna & Principatus Europæ mixta eſſe prodidit. Quanquam & hoc, inſpectô Europæ hodiernó ſtatu, dici amplius nequeat, plerisque regnis in παμβασιλείαν degenerantibus, quod inprimis mercenariæ militiæ, cujus uſus à Maximiliani I. Imper. temporibus frequens eſſe cœpit, adſcribendum, v. Huber. *l.* 2. *de jure civitat. ſect.* 5. *c.* 4. §. 18. Adde & aliam cauſam repreſſam ac debilitatum Pontificum Romanorum in Reges poteſtatem ac licentiam, cujus metus eos cohibebit ne jura Procerum ſuorum auderent conve-

here. Citra controverſiam tamen huc pertinent regnum Angliæ & (2) Poloniæ, nec non Germanicum Imperium, (3) ſi tantum ſpectetur in majore republicâ, quâ in Imperatore & Statibus Imperii conſiſtit. H. Grotius *l.* 1. *jur. B. & P. cap.* 3. §. 20. exempli loco adduxit remp. Romanam, qualis ea fuit primis Conſulum temporibus. Ego aſſentior demum poſt illa tempora, cum Plebs ſeceſſit in montem ſacrum. Nam (4) abhinc *Plebem veluti abruptam à cœtero populo patriam, peculiaremque remp. feciſſe*, rectè judicavit Quintus Cincinnatus apud Livium *l.* 3. *c.* 19. *Duas civitates ex una factas: ſuos cuique parti magiſtratus, ſuas leges eſſe*, ajebant Hetruriæ Principes apud eundem *l.* 2. *c.* 44. Ante verò illa tempora *plebi non re ſed verbo datam libertatem*, verè dixit Cicero 3. *de Legibus*. Idem Grotius huc refert regnum Hebræorum & Wilhelm. Schickard. c. 1. de jure regio theor. 2. ait: *regnum judaicum fuiſſe ariſtocratico imperio mixtum; quoniam Rex ſine aſſenſu Senatus magni unius & ſeptuaginta virorum nihil potuerit decernere.* Longius progreſſus Bertramus *de rep. Hebr. c.* 11. præter ariſtocratiam democraticæ quoque poteſtatis aliquid admixtum habuiſſe regnum Hebræorum cenſuit. Quo haut dubiè falſâ ſunt ante captivitatem populi Judæ & Iſraelis: poſt captivitatem, cum reſtitutus fuit populus ille, diſtinguenda tempora de quo alibi.

(1) Exempla temperatarum rerump. plura adduximus ſupra *ſect.* 10. Huc pertinet etiam quod Anton. Maria Gratianus *l.* 1. *de vit. Cardinal. Commendoni c.* 5. de imperio Pontificis Romani in terris Italiæ ſcripſit his verbis: *Romana res, etſi unius imperio habetur, tamen quia is eligitur liberis ſuffragiis, neque ob provectam ætatem diu rerum potitur, nec ejus ipſius ullum eſt in ſucceſſore arbitrium, ac nemo ſpe atque aditu honorum arcetur, ineſſe huic civitati & alia ſpecies reip. videntur, ut, cum unus ſummam poteſtatem ſummumque jus omnium*

omnium rerum obtineat, nonnulla tamen esse & Principum & multitudinis opes videri possint. v. Struv. *c.* 5. *Synt. jur. feudal. aph.* 8. *in not.*

(2) Malè meo judicio Cromerus *l.* 2. *de Polon. p.* 126. regnum Polonorum a veterum Lacedæmoniorum vel hujus tempotis Venatorum reipubl. ratione non multum differre existimavit. v. Hartknoch. *l.* 2. *de Polon. c.* 2. & 9. conf. pacta reip. Polonicæ cum Casimiro apud Pastorium *l.* 4. *histor. Polon. pletior. p.* 221. *sequ.*

(3) Si spectetur ad respublicas speciales, quæ eidem subsunt, referendum est ad aliam reip. speciem, de qua *sect.* 12 §. 14. Et tamen specialium in eo rerump. nonnullæ mixtæ sunt. v. *Dissert. de special. Rom. Germ. Imp. sect.* 2. §. 28. Idem dixeris de regno Poloniæ. V. dict. Dissert. *sect.* 1. §. 1. *in notis.* Qua jura Rex, quæ Nobilitas habeat in compendio explicuit Thuanus *histor. l.* 56. *p.* 38. 39. Quæ in Anglia Rex Grot. *ep.* 616.

(4) At procedente tempore adeo prægravavit plebis potentia, ut anno ab U. C. CCCCXIV. Q. Publius Philo Dictator rogationem pertulerit: *quâ legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium, Patres auctoris fieri jubebantur*, teste Livio *l.* 8. *c.* 12.

IX. A modo habendi irregulares sunt respublicæ patrimoniales, quarum indoles intelligi potest ex iis, quæ supra de summâ potestate diximus *sect.* 6. §. 7. Hæ respublicæ licet non sint injustæ, ut bene adstruxit H. Grotius *lib.* 1. *de jure B. & P. c.* 3. §. 12. ab indole tamen civitatum, quæ primitus post naturalem statum ortæ sunt, non parum deflectunt. Quo demum pertinent, quæ apud Belgas disserebantur, cum Philippus II. Rex Hispaniæ Alberto Archiduci Austriæ & filiæ Isabellæ Belgicæ imperium transcripsisset, apud H. Grotium l. 7. Hist. Belgic. ad An. 1598. *Pravum morem esse, quod libera hominum capita, ceu privatum servitium, in censu ac commercio haberentur. Barbaris certè usurpatum, ut imperia donarent legarentvé, quippe ignaris Domino Princeps quid interst. At quibus aliud fas ac nefas,*

XIIX. (12) *Respublica factionibus vel bellis civilibus distracta.*
XIX. Quid factiones?
XX. Hisque affines conjurationes.
XXI. Quid bella civilia?
XXII. Et his affines tumultus atque seditiones?
XXIII. Unus civitatum est *anarchia.*

§. I.

HUcusque de civitatibus, quemadmodum constituantur, vidimus, restat ut dispiciamus quomodo mutentur, & quæ dissimilitudines civitatum inde resultent. Ubi primum considerandæ origo & quæ eò pertinent, deinde species mutationum.

II. Origo mutationum in universum est ab ipsa rerum humanarum indole. Ovidius l. XV. Metamorphos.

Sic tempore verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes;
Concidere has. Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte: magnæ viguêre Mycenæ.
Nec non Cecropiæ, nec non Amphionis arces,
Vile solum Sparte est, altæ cecidere Mycenæ.
Oedipodioniæ quid sunt nisi fabula Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

& Polybius l. 6. c. 55. *Sed enim manere humanas res omnes interitum ac mutationem, ne admonendi quidem sumus: ipsa namque naturæ necessitas ad firmandam huic rei fidem abunde sufficit.* Plato cum eam, quam optimam mente complecti poterat, descripsisset rempublicam, addit: ἀδ' ἡ τοιαύτη ξύσασις τὸν ἅπαντα μενεῖ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται. *At ne hæc quidem forma in omne tempus manebit, sed aliquando dissolvetur.* Cicero præfat. libr. 2. de divinat.

nat. *Id ipſum à Platone philoſophiaque didiceram, naturales eſſe converſiones quasdam rempublicarum. Nam fato generis humani, quemadmodum ſiderum, ita & rerum vices circumaguntur: & raro gentibus tam felicia fata ſunt, ut in eodem ſtatu perdurent*, ait Nicolaus Burgundus Hiſt. Belgic. *l.* 1. Cauſæ autem aliæ ſunt internæ, aliæ externæ. ut docet Ariſtot. III. *Pol.* 7. & 10. Polybius d. l. *Cum autem duo modi ſint, quibus reſpublicæ omnes pereunt, vel extrinſecus illatâ peſte, vel in ipſis ingenerata: ejus, quæ venit extrinſecus, incerta & inſtabilis eſt cognitio: ad illa autem mala quod attinet, quæ ex ipſis Rebusp. originem habent, certa & definita eſt.* de quibus in parte rectoriâ agendum pluribus.

III. In mutatione civitatum præcipuè reſpiciendum ad pacta, quibus conflari civitas ſupra docuimus. Nam quoties in illis fit mutatio, toties diverſas mutationum figuras exiſtere neceſſum eſt. Nempe quædam mutationes pactum primum & ſecundum cum externis civitatibus communicant, idque vel ſimilari vel diſſimilari modo; quædam tantum ſecundum; quædam pacto ſecundo ſuperaddunt aliud; quædam pactum ſecundum mutant prorſus; aliæ idem ſuſpendunt; aliæ detrahunt pacto ſecundo; aliæ vel idem tollunt vel ſimul deſtruunt primum. Hujusmodi autem mutationibus fit vel everſio, cum civitas eſſe deſinit; vel converſio: & tùm aliquando uno impetu, aliquando ſenſim & lentè, *cum ſcilicet orbis reip. ſic convertitur, ut vix ſonitum audire, aut impreſſam orbitam videre poſſumus*; ut loquitur Cicero 2. *ep. ad Attic.* 21. conf. Ariſtot. V. *Pol.* 3. Interdum vi, interdum fallacia, interdum conſenſu. V. Ariſtot. *d. l. c.* 4.

IV. Hinc totidem diverſa genera civitatum enaſcuntur, quarum aliquæ regulares, aliæ irregulares ſunt.

ſunt. Et quidem pactum primum ac ſecundum communicantur, ubi diverſæ civitates inter ſe, vel pars unius civitatis cum aliâ civitate coaleſcunt. Unde fit, ut civitas in pagos aut provincias, de quibus ſupra diximus, dividatur. Harum autem civitatum quædam contiguas habent provincias, quæ ita cohærent, ut terminis ac finibus ſeſe mutuo attingant; quædam terrâ aut mari ſejunctas, ut regnum Hiſpaniæ & Portugalliæ, & quondam Genua. De Hiſpaniâ H. Grotius *l.* 4. *hiſt. p.* 233. Vaſtum illud, vagum, & nusquam ſibi tum propinquum, quam hoſtibus imperium.

V. Porro coalitio illa fit vel vi, vel conſenſione, vel mixtim; quorum illud & hoc bellis contingit. Rurſus vel (1) *homogeneo modo*, vel *heterogeneo. Modo homogeneo*, coaleſcunt civitates, quando novus ex diverſis civitatibus fit contextus: quomodo Magneſii cum Smyrnæis miſcebantur, in memorabili fœdere apud Joh. Seldenum *in Arundellianis*, & Humphridum Prideaux *in marmoribus Oxonienſibus* 1. Populus Palemagneſius cum iisdem, apud eoſdem auctores. Sueones & Gothi ſub Ingello II. v. Joann. Schefferus *de antiquis verisque Regni Suecia inſignibus.* Item, ubi una civitas in alterius nihil immutatæ jura universè tranſit & cooptatur, uti cum Romanis Sabini jungebantur. De quibus Livius *l.* 1. *c.* 13. *Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt, nec pacem modo ſed & civitatem unam ex duabus faciunt, regnum conſociant, imperium omne conferunt Romam.* Quæ verba ſatis oſtendunt, Sabinos ita acceſſiſſe Romanis, ut una Civitas eſſent. conf. *l.* 8. *c.* 5. Sic & Albani rem ſuam omnem Romam traducebant. V. Liv. *d. l.* 1. *c.* 28. *c.* 30. *Heterogeneo modo* fit, cum diverſo modo miſcentur, unde civitates hujusmodi dis-

di dissimilares vocare possemus. (2) Hoc iterum non unâ ratione contingit. Nam interdum civitas, quæ copulatur, pars quidem vera fit ejus cui accedit civitatis, suis tamen legibus regenda. Exemplum illustre præbet Romanum Imperium, quod Otto M. æterno fœdere Germanico ita adjunxit, ut utriusque jura, fines, & rationes invicem non permutarentur, sed integra manerent prorsus & salva, ac inauguratio simul haberetur distincta, nisi quod Germani unâ operâ & Regem sibi & Italiæ Imp. darent. Sed & Carolus M. eodem fere jure Longobardorum regnum, & dominium urbis, & Exarchatus Francorum regno adjunxerat. Aliud exemplum est in Poloniæ & Lithuaniæ regnis; de quibus ita Cromerus *l.* 1. de Polon. *p.* 35. *Lithuani renovato & amplificato antiquo fœdere sese cum Polonis conjunxêre. Institutа tamen sua & magistratus & peculiarem jurisdictionem retinuere.* conf. eundem Cromerum *l.* 18. *ab init. & l.* 31. *de reb. Polon. A.* 1501. Thuan. *l.* 56. Adde alia apud Vietorem *de exemt. Imper.* §. 18. Mevium *conf.* 5. *n.* 70. *seqn.* & de conjunctione Prussiæ cum Poloniâ Hartknoch. *part.* 2. *de Pruss. c.* 8. §. 19. & de incorporatione Ukrainæ ad corpus regni ejusque conditionibus v. omnino à Kochov. *d.* 2. *l.* 4. *Ann. Polon. ad A. MCDLIIX. p.* 316: exempla v. apud Grot. 2. *de Jur. B. & P. c.* 9. §. 6. & *ad III. Reg. XXII,* 48. Interdum pars, quæ accedit, appendicis jure censetur, & civitas, in qua fons est imperii, speciem monarchiæ refert. Quó intuitu Imperium urbis Romæ (3) *(in quâ reip. nomen & universæ civitatis erat,* ut Cicero ait 2. *de LL.* v. Pufendorf. *l.* 7. *c.* 5, §. 16.) si ad provincias respiciatur in numero monarchiarum collocat P. Busius 2. *de rep. c.* 3. *n.* 2. & 6. Hobbesius *in Leviath. c.* 19. sed & Virgil. 7. *Æneid.* hunc (4)

populum

populum latè Regem dixit. adde H. Conringium *ad Machiavelli Principem c.* 3. Ceterum provinciæ hæ ſuos habere magiſtratus ſolent eosque majores, quales erant ſub Romanis Imperatoes, Præfecti, Prætores & ſub his Duces; apud Perſas Satrapæ (de quibus Grotius *ad Daniel III,* 2.) apud Francos Duces & ſub his Comites, apud Turcas hodie Beglerbei & ſub his Baſſæ.

(1) Nimirum totum vel ex partibus ſimilibus componitur, vel ex diſſimilibus. Ex doctrina Platonis Laërtius *l.* 3. *in fine.*

(2) Diverſis rationibus utebantur Romani. Strabo l. 17. Geograph. *Eorum, quæ Romanis obediunt, partem Reges tenent: aliam ipſi habent provinciæ nomine: & Præfectos & Quæſtores in eam mittunt. Sunt & nonnulla civitates liberæ conditionis, aliæ ab initio per amicitiam Romanis adjunctæ, aliæ ab ipſis honoris gratiâ libertate donatæ. Sunt & Principes quidam ſub eis & Reguli & Sacerdotes. His permiſſum eſt patria ſectari inſtituta.* Pertinent huc nonnulla, quæ habet H. Grotius *l.* 3. *de Jur. B. & P. c.* 15. & quæ dixi ſupra *ſect.* 6. §. 13. *in not.* Exempla quoque ſunt in regionibus Germanici Imperii v. Diſſert. *de ſpecial. Rom. Germ. Imp. Rebuſp. eorumque variis nominibus & figuris ſect.* 2. §. 29.

(3) Quod verum eſt, ſi modo tribus, quæ extra urbem in Latio, Campania, Hetruria erant, eidem accenſeantur. v. Forſtner. *ad IV. Annal. Tacit. p.* 141.

(4) Simili ratione hodie Reſp. Veneta, intuitu provinciarum, ab Italis vocatur Signoria.

VI. Pactum tantum ſecundum committatur, ubi duo pluresvé populi in diſtinctas ſegregati civitates ſub uno capite ſive Rege coëunt, & quaſi combinantur, nullâ cæteroquin communicatione factâ. *Neque enim ut in naturali corpore,* (inquit rectè Grotius *l.* 1. de *jur. B. c.* 3. §. 7.) *non poteſt unum caput eſſe plurium corporum, ita in morali quoque corpore: non ibi eadem perſona, diverſa ratione conſiderata, caput eſſe poteſt plurium ac diſtinctorum corporum.* Exemplo ſunt Imperium Romano-Germanicum, ſub

Sereniſſimâ Auſtriacâ Domo Regno Hungarico, & & ſub Carolo V. Imp. Hiſpaniæ copulatum. Item Regna M. Britanniæ. Quondam Suecia & Polonia ſub Sigismundo Rege; eadem Suecia ſub Margaretha Daniæ & Norvvegiæ Regina ejusque ſucceſſoribus. v. Loccen. 14. *hiſtor.* Suecic. *ad* An. 1431. Quibus malè jungit Hiſpaniæ Regnum Huberus *l.* 1. *c.* 8. §. 22. nam Regna, quæ ſubſunt Hiſpaniæ, inſtar appendicum habentur, & civitatem conſtituunt diſſimilarem. Cæterum ſyſtemata hæc fiunt vel liberâ electione, vel caſu, ſi fœmina ſucceſſionis regiæ capax nubat extero Regi.

VII. Pacto ſecundo ſuperadditur aliud, cum civitates, quæ ante ſui juris erant, ſponte coëunt, & inſignia majeſtatis jura ſpecialibus pactis contribuunt, quorum deinceps exercitium ſingulis ſit ademtum. Solent multi hujuſmodi civitates fœderatas appellare, ſed impropriè; quia fœderum vulgarium terminos multûm excedunt, & videntur aliquid è ſocietate civili trahere. Hinc olim Ætolorum, Theſſalorum, Cretenſium civilia corpora πολιτείαι audierunt, etiam ipſimet Ariſtoteli: Poſt has (1) Achæorum respubl. in maximâ fuit fama, donec Romanorum tandem artibus diſſueretur. Neque hodiè eruditorum quispiam dubitat, communè regimen fœderatorum Helvetiæ, Rhætiæ & inferioris Germaniæ populorum, remp. vocitare. (2) Græci, interque eos Strabo *l.* 9. *Geograpr. p.* 289. ubi de Amphictyonibus, *l.* 14. *p.* 457. ubi de Lyciis, & Polybius, *l.* 2. *hiſtor. c.* 41. συσήματα dixerunt: Exempla vetera *tribus libris de coalitione populorum ac rerumpubl.* expoſuit Joh. Schildus. Adde alia apud Ariſtot. III. *Pol.* 6. & fœderationem Prianſiorum atque Hieropotamiorum, quæ ἰσοπολιτεία καὶ θείων καὶ ἀνθρωπίνων πάντων appellatur in magnæ

magnæ antiquitatis monumento apud Humphridum Prideaux *Marm. Oxon.* 57. Inter recentiora exempla sunt Helvetia, Vallesia & Rhætia, necnon Fœderatum, ut vocatur, Belgium. De Helvetiâ ita differit Franciscus Guillimannus *l.* 3. *de reb. Helvet. c.* 14 (3) *Qui de rebus Helvetiorum mentionem habuerunt, aut de reip. administratione scripserunt domestici externique, Helvetiam universam unius civitatis nomine comprehendi posse, plerique censuerunt, quod eodem fœdere arctissimè Helvetii omnes teneantur; summaque sit inter eos libertatis, multarumque rerum conjunctio, concilium praterea ab omnibus eodem in loco capiatur. Inde si quis in fœderis societatem venisset, civitate Helvetiâ donatum, aut in civem Helvetium receptum literis prodidere. Mihi longè aliter visum. Cum enim civitas,* Cicerone auctore in paradox. *non sit aliud quam concilium cœtusque hominum jure sociatus, omnes autem XIII. Helvetia civitates non modo eodem jure aut legibus, aut legibus; sed plerumque diversis institutis utantur, nemini dubium est, quin unius civitatis notione censeri ratione nullâ possint. Aliud enim libertatem eandem, connubia, commercia habere communia, summâ necessitudine conjungi; aliud eisdem legibus eodem Imperio & jure comprehendi.* Et mox. *Neque si adsit legum communitas, eandem civitatem efficies. Leges enim à Gracia civitatibus Romani petierunt, iisque usi sunt, civitatem tamen Gracorum Romanorumque unam fuisse, dicere nemo ausit. Helvetia civitates non modo diversis legibus tenentur pleraque, sed imperio etiam omnes disjunguntur, nulla aut alterius jussu aut mandato nisi sponte omnino obligetur, suum imperium, suum jus, suam Rempublicam habent, alteri nisi ex fœdere & societate debent nihil. Non ergo unam Helvetiorum civitatem, sed XIII. Helvetias civitates*

hactenus appellavimus; quales olim Amphictyonum urbes VII. Ætolorum III, Jonum XII, quæ videlicet fœdera inter se habuerunt, altera ut alteri ne damno & noxæ esset, hostes autem communes communibus opibus viribusque persequerentur, communes eas ob causas etiam conventus frequentare solitæ. conf. Bodinum, Arnisæum *l.* 2. *Relect. c.* 4. *sect.* 2. *n.* 23. 24. Vallesia in septem partes distincta est, quas ipsi Desenas, forte à Græco διοίκησις, aut Germanico Zenden/ nominant, & singulæ Desenæ suam jurisdictionem & singularem rempublicam, peculiariaque privilegia habent; de quo egit Jos. Simlerus *descriptione Vallesiæ libris duobus.* & de Helvetiâ *l.* 2. *p.* 148. De Rhætiâ vid. Fortunat. Sprecheri *Pallad. Rhætiæ. l.* 7. *& sequ.* Burnet. *in itinerar. p.* 114. *& p.* 121. Schweder. *part. gen. c.* 4. *§.* 37. *circa finem.* Simlerus de Helvetiâ *l.* 2. *p.* 179. *inprimis p.* 180. De Fœderato Belgio non idem omnibus persuasum fuit. Tamen superiori jam seculo non unam civitatem esse, docuit P. Busius *Disp. Pol.* 16. *§.* 29. *sequ.* idemque in argumentum suæ causæ prolixè demonstravit H. Grotius *in Apologetico.* Nos hujusmodi respublicas vel Systemata, petito à Græcis vocabulo, vel Achaicas, exemplo Aristotelis regna alia Barbarica, Æsymnetica &c. appellantis, insigniemus imposterum.

(1) Tamen Lud. Praschius *in assertione reip. Achaicæ ejusdemque cum Germanica comparatione*, Achaicum corpus non nisi unam temp. constituisse contendit. Cui peculiari epistola respondit Kulpisius. Ante Praschium idem statuit Huber. *l.* 1. *Juris public. universal. cap.* 17 §. 10. Ætolos etiam unam civitatem eamque popularem, non σύστημα constituisse, asseruit Pufendorf. *de systemat. civitat.* §. 18. Ab hoc genere reip. differt si fœderati judicium commune instituunt. v. Londorp. *Vl. A.* 1653. *p.* 700. von der doppelten Cammer.

(2) Utitur vocabulo hoc Aristoteles in definitione mundi,

Musi-

Musici scalam suam σύστημα nominant. Usurpatur etiam hæc vox de dispositâ acie exercitus.

(3) Inter juniores quoque Hottingerus *methodo legendi historias Helveticas p.* 454. existimavit, unum esse remp. eamque mixtam, planè ut Simlerus quoque, non malè, si vox mixtæ reipublicæ latius sumatur.

IIX. Habent autem Systemata hæc quasdam differentias. Nam *PRIMO* aliqua Principem sibi præponunt, ut Amphictyones, vid. Isocratem *in Panathenaico* degressione de Agamemnone. Achæi etiam & Ætoli quotannis sibi Prætorem creaverunt, v. de Achæis Polyb. *l.* 2. *c.* 43. Hodie maxima pars fœderatorum Belgarum Principem habet Auriacum. Vallesiæ Princeps est Episcopus Sedunensis, qui Comes & Præfectus Vallesiæ nuncupatur, communibusque suffragiis Canonici Collegii Sedunensis & legatis septem Desenarum, de quibus ante diximus, deligitur. Ab hoc proximum locum tenet, quem illi regionis ducem seu Capitaneum, & Gallicâ voce Balivum, vulgo des Lands Hauptmann nuncupant. Præest autem biennio, & ab Episcopo & legatis Desenarum liberis suffragiis eligitur, singulorum Conventuum publicâ approbatione confirmandus. Ut auctor est Josias Simlerus *descript. Vallesiæ libro primo.* Aliqua Principe carent, ut Helvetii. *DEINDE* quibusdam stata & ordinaria sunt concilia, quibusdam verò non. Audiamus de collegiis Fœderati Belgii Ubbonem Emmium de agro Frisiæ inter Lavic. & Amas. *p.* 66. *Primum est id, quod Generalium Ordinum nomen habet, honore potestateque summum, totius fœderis ac reip. communis caput, à quo cætera pendent, & leges accipiunt, longè lateque inclytum, haud dissimile concilio Achaico veteri, & Ætolico in Græciâ, aut Panionio in Asiâ, sed perpetuum. Sedes ei Hagæ in Hollandiâ, in quod mittuntur ex omnibus provinciis sociis*

viri ſummi. Alterum dignitate & poteſtate proximum huic, bellica potiſſimum curans. Senatus Ordinum nuncupatur: quod quoties res ardua ac magna incidit, quæ conſilio decretoque habet opus, in partem curæ & conſilii vocatur, & nunc ſeorſim deliberat de eâ, ſententiamque ſuam ad collegium ſuperius refert; nunc cum eodem in deliberando conjungitur. Eodem quippe in loco, eadem in arce ſedem habet, quo expeditior ſit conjunctio. Tertium & ipſum illuſtre & magnarum virium eſt, maritimis rebus, quæ maximæ in Belgio ſunt, præfectum; diſtinctum in collegia minora, velut membra totius, quorum unum in Selandiâ Middelburgi; alterum Roterodami, tertium Amſterodami, quartum Hornæ vel Enchuſæ in Hollandiâ; quintum in Friſia Doccumi (hodie Harlingæ) *ſedem nunc tenet.* In laudatô ante fœdere Prianſiorum & Hieropotamiorum memoratur etiam κοινοδίκιον, item δικαστήριον & κοινὸν δικαστήριον apud Prideaux *d. l.* *PORRO* quædam Syſtemata appendices habent, quædam iis carent. Sic Pagi Helvetiæ præfecturas habent complures, quarum aliæ communes ſunt Pagis pluribus, aliæ ſunt pagorum ſingulorum, differentes jure & amplitudine, niſi quod Præfectos à Pagis accipiant. Fœderato Belgio paret (1) Drentia. Valleſiæ ſubjecta eſt Valleſia inferior, Rhætiæ Vallis Tellina. (2) belli quondam inter Gallos Hiſpanosque materia. *DENIQUE* Syſtematum horum partes vel ſingulæ ſimili regiminis formâ utuntur, ut in fœderatâ Helvetiâ ſinguli Pagi ſive Cantones populare habent regimen, quanquam inſtitutis diverſum; vel in formâ regiminis omnino diſcrepant.

(1) Vide de partibus Flandriæ Brabantiæque Fœderato Belgio quæſitis Huberum *l.* 1. *Jurisp. univerſal. c.* 17. §. 24. & §2. H. Grotium *l.* 17. *hiſtor. Belgic. ad A.* 1608.

(2) V.

(2) V. Baptiſta Nani *l.* 4. *Hiſtor. Venet. ad An.* 1620. *pag.* 243. Burnet. *itinerar. p.* 121.

IX. Cæterum inter Syſtemata hæc & diſſimilares, quas paulo ante dixi, civitates eſt interjecta ſpecies, quæ nomen adhuc quærit ſuum (unde anonymon diceres, ad exemplum herbæ ejusdem nominis, *quæ non inveniendo, nomen invenit*, ut eleganter loquitur Plinius *l.* 27. *c.* 7.) ubi non quidem ſpeciali pacto aut præfinito conſilio, ſed latenter & quaſi fortuitò, adeoque majori vel minori jurium communicatione civitas in eum ſtatum delabitur, ut ſeriem quandam poteſtatum contineat, quarum uni ſuperiori & velut præſidi, aliæ, locis juribus & adminiſtratione disgregatæ, ſubjungantur, certo vé modô ſubſint. Exemplum ponit D. Ludolph. Hugo *de Statu Region. Germ. c.* 2. §. 8. *& ſeq.* in Imperio Romano Germanico. Qua in re ante ipſum neminem vel verius vel profundius de ſtatu illius Imperii judicaſſe, nobis profecto videtur. Equidem cum integra olim ſtaret Respublica, Imperatores Germanici vires tenebant omnes, & pro conditione liberorum populorum libere imperitabant. Verùm ſucceſſu temporis ingens mutatio evenit, dum ſinguli Ordines ſuum quoddam πολίτευμα, ſuas res, jura, territoria, fines, inveterata poſſeſſione tenent: nam & leges edicunt, de vectigalibus conſtituunt, territoria ſua arcibus muniunt, ineunt ſocietates, conſcribunt leguntque militem, creant abdicantque magiſtratus, & ſimilia faciunt, tantum non omnimodo liberâ poteſtate. Eſt tamen ſuus quoque communi reip. ſive univerſo corpori honos atque auctoritas, in quo ſecundum Imperatorem, ſummâ non minus poteſtate quam dignitate & loco eminentem, Ordines velut in faſtigio coëunt, & qui ſinguli partibus, univerſæ Nationi conjunctim in-

tra certum modum præsident. Quæ rationes moverunt Bodinum, Campanellam, Jacobum Gothofredum Thuanum, Conringium, (quem & vide *ad part. 3. Lampad. cap. 3. p. 143.*) Freinshemium, quos profert Bosius *in introd. Rerump. c. 3. §. 19.* conf. D. Praschium *de caritate patr. p. 70.* Rachelium *in introd. in jur. public. c. 18.* & de *jure Gentium §. 121, & de capit. Cæsar. c. 6. §. 14.* Ulric. Huber. *l. 1. jur. publ. univ. c. 8. §. 18.* ut Imperium hoc cum Achaico corpore contenderent; nimirum quia finitima quæ sunt facili deflexu ad vicina trahuntur. Differre enim ex eo liquet, quia Germanicum Imperium in eum statum non venit, sed incidit, adeoque in nonnullis laxius cohæret quam Achaicum corpus, in multis arctius astringitur. Quanquam illi auctores hactenus nobiscum conveniant, ad normam veræ monarchiæ & vulgarium civitatum non posse exigi istud Imperium. Id quod etiam Protestantes Principes, in scripto apud Hortlederum *de Caus. B. Germ. c. 8. §. 13.* A. 1530. sub Comitiis Augustanis edito, ad asserendam causæ suæ justitiam inferebant: *Germanicum Imperium esse saltem fœderationem & quandam certis in rebus conjunctionem.* Neque aliò pertinet dictum Philippi Hassiæ Landgravii, cui à magnitudine animi cognomentum est: *Liberum esse Germanicum Imperium, & in toto quidem orbe liberrimum*; aut Maximiliani I. Imperator. Imperatorem Romanum esse Regem Regum: cum in vera regna apprimè quadret illud Martialis: *Qui Rex est Regem, Pontice, non habeat.* Verum de hac re tractandum loco proprio. Addo huic exemplum (1) Hierarchiæ Papalis Romanæ, quippe quæ regnis & rebus publicis paulatim superincrevit, non tantum in rebus sacris sed & aliis multis, quà religionem ullo modo vel obliquè

visæ

viſæ ſunt contingere, poteſtatem ſibi vindicans. Quod vel ſoli Dictatus Hildebrandini, ſi nulla alia teſtimonia ſuppeterent (ſuppetunt autem innumera) abunde lòquuntur. Quô ipsô Regibus Rectoribusque rerump. multa & magna deceſſiſſe jura, facile intelligitur; (2) certè ita novum regnum in regnis rebuspublicisque fuit extructum, cujus faciem ſi quis comparet cum republicâ Imperii Romano-Germanici, næ is miras utrinque ſimilitudines animadvertet. Primùm enim, ut dixi, non unô momentô ſed ſenſim & per ſpiramenta temporum, occaſione non unâ invitante, Pontifices monarchiam hanc ſunt adepti. Eodem autem modô enata eſt ſuperioritas territorialis Dominorum in Germania. Deinde Duces & Comites tantum poſſe, quantum Imperator in Imperio, vulgo traditur. Epiſcopos verò tantum poſſe, quantum Pontificem, docent Canoniſtæ. Imperatori multæ quondam motæ ſunt lites, & ſubinde adhuc moventur de poteſtate ſuâ; eædem exercuerunt olim & adhuc exercent continenter Curiam Papalem. Imperator cautus eſt in ſententiis contra potentiores Status ferendis; eâdem ſollicitudine, eaque ſummâ, utitur Romanus Pontifex adverſum Reges, ut ex ſermone Cardinalis Armeniaci *in libro primo de vitâ ſuâ* notavit Thuanus & ſub illuſtri exemplo docet Petrus Suavis *l. 1. Hiſt. Concil. Trid. p. 94.* Hungaria quoque ante aliquot ſecula in hunc cenſum referri debuit, ſi fides habenda Laonico Chalcocondilæ *lib. 2. Hiſt. Græc. rerum Turcic.* his verbis uſo: *Habet & Pannonia Principes, verùm ſinguli patrias regunt regiones, ſubjecti tantum Regi ſuo certis quibusdam legibus atque conditionibus.* Et Angliæ quondam ſimilis facies extitit. Walterus Hemingford in Chron. ſub Rege Stephano A. 1146.

Vol. 2. Scriptor. hiſt. Anglican. p. 487. *In Angliâ tot erant Reges, quot domini caſtellorum, habentes ſinguli numiſma proprium, & more regio ſubditos judicantes. Et quia Magnates terræ ſic invicem excellere ſatagebant, eò quod nullus in alterum haberet imperium, mox inter ſe diſceptantes rapinis & incendiis clariſſimas regiones corripuerunt.* Erat quoque in Angliâ Comes Palatinus, *qui Regem, ſi oberret, de jure poteſtatem habet cohibendi.* ut loquitur Matth. Pariſienſ. *ad A. MCCXXXVI.* v. Cangium *Diſſert. 14. ad Joinvel. p. 227.* Quæ verba in hiſtoriam rerum Anglicanarum ſui temporis fere tranſtulit Guilielmus Neubrigenſis. Hinc lex quoque in Angliâ alia communis, alia particularis. v. Carol. Cangius *gloſſar. voce lex communis.* Nec alia forma fuit Regni Gallicani ante Ludovici XI. tempora. Non errabit quoque additurus exemplis hiſce remp. Hollandiæ, à quâ mos vicinarum nationum non longè diſcrepat, conſentietque, ut puto, lectâ ac diligenter expensâ elegante ejus deſcriptione Hugonis Grotii *l. 5. Ann. Belgic. p. 109.* conf. Joann. de Laet. *de fœderato Belgio Tit. de Hollandiâ. c. 6. & 7.* Pertinet quoque huc (3) regnum Poloniæ & Principatus Mingreliæ.

(1) Hanc enim civitatis nomen tueri poſſe, doctè probat D. Ulr. Huberus *l. 2. Jurisſpubl. univerſ. c. 11. §. 35. ſeqq.*

(2) Paulus Servita, Theologus Venetus, ep. 123. ad Gillotum A. 1609. ſcripta: *Romani*, inquit, *noſtri volunt regiam poteſtatem Pontificiæ ſubjici, & unam Remp. Chriſtianam facinnt, cujus Princeps Papa ſit. Id ſi quis admittat, Reges fecerit clientes & beneficiarios, imò ex eorum ſententia precario poſſident à Pontifice Romano. Reges namque cenſent non modo privari poſſe ob delicta, ſed ob quamcunque Eccleſiæ utilitatem: de qua cum decernere ad Papam ſpectet, ille ſolus virè Princeps eſt majeſtatem habens. Quidni ita cenſeam? cum decreverit Clemens V. Pontifex Maximus, juramentum*

ab

ab Imperatore præstitum esse fidelitatis. Neque tu mihi hoc singulare in Imperat. dixeris, quod alii Reges Papæ non jurent. Jam enim res tibi erit cum Bellarmino, qui modo cum Rege M. Britanniæ, disputans nescio, quod tacitum juramentum Papæ fieri in baptismo credi jubet, quo quidem minus tacitum reperiet in Regum inauguratione, cum populo jurant, ex quo alia novitas emerget. Romæ impressam vidimus Nivernensis Principis pro Rege orationem, in quâ nunquam obedientiæ nomen nisi majusculis literis visitur.

(3) Vide dissertationem *de special. Germanici Imper. rebusp. sect.* 1. §. 1.

X. Pacto secundo quoque superadditur aliud, sed cum imminutione majestatis, quam dignitatem dicimus, fide clientelari, feudali, aut præstandi vectigalis. Hinc civitates aliæ *clientelares*, aliæ *feudales*, aliæ *vectigales* sunt. In clientelari civitate populus alterius populi majestatem comiter (id est, benignè nec gravatè, ut explicat Cicero *orat. pro Cornelio Balbo*) conservare tenetur, id est, tum operam dare, ut ejus imperium in tuto sit; tum ut dignitas, quæ majestatis nomine significatur, ei constet. Interdum autem civitatum harum arctior, interdum laxior est obligatio. Sic in fœdere Ætolorum cum Romanis erat apud Livium *l. 48. cap. 11. Imperium majestatemque populi Romani gens Ætolorum conservato sine dolo malo. Ne quem exercitum, qui adversus socios amicosque eorum ducetur, per fines transire sinito: neve ope ullâ juvato. Hostes eosdem habeto, quos populus Romanus, armaque in eos ferto, bellum pariter gerito.* &c. In secundo fœdere Carthaginensium cum Romanis * promittebant Carthaginenses, se amicis populi Romani bellum non facturos, imo populo Romano terrâ marique submissuros auxilia, si Senatui placuerit. v. Appianum Alexandrinum *libro de bellis Punicis.* Turcicus Imperator omnes regiæ

Præ-

Præcopienſis Domus Principes in loco quodam prope Adrianopolim ſub cuſtodia tenet, ut memorat Vittorio Siri *tom. 1. mercur. l. 2.* Exempla alia in hiſtoriâ Romanorum & aliorum populorum paſſim occurrunt. adde Grotium *l. 1. de J. B. & P. c. 3. §. 21.*

* Quod interdum tacitè actum. Ut in fœdere Hebræorum cum Philiſtinis 1. *Sam. XIII*, 19. quô illis uſus armorum ademtus, ita ut ne cuiquam teli bellici conficiendi aut rustici ferramenti poteſtas foret. Cui non diſſimilis lex, quam Porſena in fœdere cum Romanis poſuit, ne ferro niſi in agricultura uterentur. Ut unus Plinius memoravit *l.* 34. *N. H. c.* 14. cum reliqui hiſtorici id reticeant, velut pudendum victori poſtea gentium populo.

XI. Civitatibus hiſce ſimiles ſunt coloniæ, quæ antiquitus mittebantur: Nam, ut Thucydides ait, coloniæ cum urbibus matricibus pari erant jure, ſed debebant τιμὰν τὴν μετροπολιν, & exhibere τὸ γέρας τὰ νομιζόμενα, reverentiam ſcilicet & honoris ſigna quædam. Qualia illa ſigna fuerint, bene explicat H. Valeſius *in not. ad excerpta Polyb. Peireſiana. pag. 7.* Apud Romanos alia erat conditio coloniarum, quandoquidem eæ *jura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habebant*; ut loquitur Gellius *l. 17. N. A. c. 13.* & parum differebant à municipiis. Eoque more & hodie utimur. Planè licet aliquando ob intercapedinem locorum major ſolito ac amplior poteſtas coloniis concedatur, tamen partes metropoleos eſſe haud deſinunt. V. Templii *Remarqu. ſur l'Eſtat de Provinces Unies. p. 347.* ubi memorat: *Novæ Bataviæ cives moderamine quidem & arbitrio Societatis Indicanæ Orientalis regi, ſed tamen imaginem civitatis* (la figure d'un Eſtat ſouverain) *apud illos populos referre propterea, quod bella indicant potentiſſimis illorum locorum Regibus,*

hui, rursum pacem cum iisdem faciant. &c. Inter leges societatis Indicanæ Occidentalis proponebatur: Præfecti Ducesque ab his missi jurati in ordinum verba jus redderent, castella struerent, fœdera facerent, prout usus ferret. H. Grot. *l. 16. hist. A. 1607. p. 506.*

XII. Feudales civitates alteri civitati fidem & operas debent, fidem ut plurimum certo tempore sacramento aut alia solenni promissione devincientes; (de vasallo ligio v. Schilt. *ad jus feudal. Alemann. p. 16.* ubi Grotium refutat.) Idque vel ex spontaneâ, oblatione vel aliis ex causis. Est autem harum civitatum vel laxior vel (1) arctior obligatio. Vectigales pacem aut tutelam annuâ quadam pensitatione redimunt. (2) Exempla passim occurrunt. Vid. Grot. *d. l.* §. *23.* Nos de civitatibus hisce in jure publico universali ex professo agimus.

(1) Ita in Curoniæ Ducatu, qui feudum est Poloniæ, ad supremum Poloniæ judicium appellatur. v. Hartknoch. *Dissert. de Curon. & Semigall. Rep.* §. 11. & 14.

(2) Etiam maximorum Imperiorum, ut Romani sub Commodo, de quo Herodianus *l* 1. *histor. c. 6. in fine*, sub Justiniano, quô Imperatore Imperium non sine dedecore Persis tributarium factum, passim conqueritur Procopius. Tributa hæc à Romanis dona vocabantur. Samogitæ Principem habent eorum proximi Moscoviæ Czari tributum pendunt pelles ferinas. v. Grot. *l.* 4 *histor. p.* 237. Salvianus l. 6. de providentia divina. *Aurum quod pendimus, munera vocamus.* Ad quem locum videantur, quæ notavit Rittershusius. Dicebantur etiam pacta. Apud Diaconum l. 23. *Dominus Bulgariæ denunciavit Imperatori, aut tribue mihi pacta, aut demoliar Thraciam.* v. Bulenger. *de Imper. Roman. l.* 9. *c.* 78. Adde Hartknoch. *l.* 1. *de Polon. c.* 2. § 10.

XIII. Pactum secundum mutatur prorsus, quando civitas ex formâ unâ in aliam migrat. V. gr. ex regno

regno in ariſtocratiam, aut oligarchiam. Quæ civitates novæ dicuntur. Etenim recte Ariſtoteles *III. Pol. 2. mutata republ. forma negat eandem eſſe civitatem, ſicut*, inquit, *harmonia non eadem eſt, ubi à Dorio modo in Phrygium tranſitur.* Quanquam in jure publico univerſali, ubi ad pactum primum, quod integrum manet, tantùm attenditur, civitas hactenus nova non ſit, ut ibidem rectè docet Philoſophus, conf. Grot. *2. de jure B. cap. 9. §. 8.* Cæterum multæ ſunt differentiæ novarum civitatum, quas præ cæteris accuratè explicavit Machiavellus *cap. 1. de Principe*, ubi *in animadverſionibus* jungatur Herm. Conringius, & in *Diſſertationibus ad Livium paſſim.* Verum non omnes ad hanc reip. ſpeciem pertinent. Adde de circulo mutationum Ariſtotelem *III. Pol. 11.*

XIV. Pactum ſecundum ſuſpenditur per interregna. Interregnum definit Georgius Ulicovius, perſonatus ſcriptor, de eligendo Rege Polon. propoſ. 15. *formam Reip. ex conſtituentium intentione temporalem.* Addit: *Neſcire ſe, an quisquam interregni naturam hucusque definitione complexus ſit, neque enim interregnum regni tantum, ſed & ariſtocratiæ & democratiæ interruptionem eſſe. Ita Decemviros toto legum ferendarum tempore interreges fuiſſe. Etiam illud interregnum eſſe, quando ſuſpensâ ad tempus populi aut optimatum poteſtate uni poteſtas conceditur. Ita Dictatores interreges fuiſſe, quemadmodum & illos, quos Romani ſic nominabant, comitiorum habendorum cauſa creatos Interreges.* Multa heic nova, & non ferenda. Etenim interregnum etiam præter intentionem civitatis exiſtere poteſt. v. g. cum in regno ſucceſſivo de ſucceſſione diſceptatur, aut regia ſtirps defecit. Cùm Decemviri à Romanis conſtituerentur, interregnum non erat, manebat enim

enim idem ſtatus reip. donec illorum poteſtas in Dynaſtiam evaleſceret. Si Dictatores habuerunt ſummam poteſtatem, nova fuit facta civitas, ſin magiſtratus fuêre, interreges nonniſi ἀκύρως appellantur, quemadmodum & illi, qui comitiorum habendorum cauſa creati fuêre. Bodinus *6. de rep. 5.* interregnum cum anarchia confundit, reſpiciens ſcilicet ad mala, quæ interregna non raro ſubſequi ſolent. Pufendorf. *l. 7. de jure nat. & G. c. 7. §. 7.* docet; interregnum (1) democratiæ temporariæ indolem præ ſe ferre videri hactenus, ut ex univerſorum conſenſu tantiſper ſtatuendum ſit de communi rerum adminiſtratione novoque Rege creando, niſi aliam reip. formam introduci placuerit. conf. Houtuyn. *Polit. gen. §. 100. num. 6. & ſequent.* (2) Optimè, niſi fallor, definias interregnum, *ſtatum civitatis, cùm manente pacto primo, alterum vel lege, vel arbitrio, vel caſu, aliquamdiu ſuſpenditur.*

(1) In Polonia Respublica interregni tempore titulo Sereniſſimæ à Principibus, etiam ſummis & corona inſignitis, mactari cupit. v. Hanteville *relat. hiſtorique de la Pologne c. 13.* Hartknoch. *l. 2. de Polon. c. 1. §. 13.*

(2) Ex hac definitione judicari poteſt, quid de ſententia Hartknoch, *l. 1. de Polon c. 2. in fine* ſit exiſtimandum, quando ait: *interregnum politicè ſumtum eſſe propriè in regno electivo tempus illud, quo poſt mortem unius Regis, quicunque tandem ille fuerit, alter ab Electoribus quæritur, & reip. gubernanda admovetur. Hiſtoricè autem interregna vocari illa tempora, quando ſtirpe regiâ penitus extinctâ, ex alia familiâ Rex quæritur, ſive illud regnum ſit electivum, ſive ſucceſſivum; ſive poſt mortem ultimi Regis alius quæratur, ſive ei vivo adhuc ſubſtituatur.* Forte rectius dixiſſet *interregnum* aliud eſſe *ordinarium*, aliud *extraordinarium*; quorum illud in regnis electivis, hoc in ſucceſſivis, extincta domo regnatrice, aut ubi controverſa vel dubia eſt ſucceſſio, locum habet: illud ex propoſito populi provenit; hoc præter ejus voluntatem contingit.

XV. Tol-

XV. Tollitur pactum secundum violentô imperiô, ubi præter ingenium, voluntatem, modum, cives servilia patiuntur. Hoc Tyrannis vocatur, ubi unus (1) cum injuriâ, meliore populi parte ægrè ferente & offensâ, dominationem exercet, conf. *II. Pol. 8. IV. Politic. 10.* Δυναστία, ubi pauci omnia pro libidine nihil secundum leges agunt. Aristot. *IV. Polit. 5.* Ὀχλοκρατία, (2) cum multitudo affectu potius & impetu quàm ratione ducitur, neque ad decus & commodum publicum respicit, sed prout libido & propria utilitas auspicium facit, remp. administrat. Aristot. *IV. Pol. 4.* Add. *V. Pol. 10. p. 352.* Ochlarchia, Chirocratia. Euripides Aleadis.

Ὅταν δὲ τ' ἀγαθοὶ πρὸς τῶν ἀγενῶν,
Καλανικῶντω.
Ubi degeneres vicêre bonos,
Et magnanimos plebs premit ima.

Aristoteles speciem hanc etiam δημοκρατίαν, in notione scilicet strictiore, vocat frequenter. v. *IV. Pol. 14.* v. omnino Aristophanes apud Grot. *in excerpt. p. 532.* & respondere affirmat potestati paucorum ferenti Dynastas imperioque unius Tyrannico. Ubbonem Emmium *de republica Syracusanâ pag. 128.* Non temerè autem dixi, in hujusmodi imperiis pactum secundum sublatum esse. Nam, ut Aristoteles *VII. Eth. 13.* ait, *in tyrannide aut nihil est aut parum amicitiæ relictum. Inter quos enim nihil est commune ei qui imperat, cum eô qui paret, nec ulla prorsus amicitia est: nam ne juris quidem inter eos ulla est communitas.* Τυραννικὸν γὰρ οὐκ ἔστι κατὰ φύσιν, οὐδὲ τῶν ἄλλων πολιτειῶν, ὅσαι παρεκβάσεις εἰσί. *Tyrannicum imperium non est à naturâ, neque aliæ respublicæ, quæ sunt aberrationes*, ait *III. Pol. 12.* Τυραννὶς πολλῷ μᾶλλον ἀπέχει πολιτείαν, *plurimum abest à rep. IV. Pol. 2. Tyrannis est*

est in invitos: neque enim quisquam liber tale imperium sponte ferat. l. Pol. 10. Idem *d. lib. cap. 3.* docet democratiam, quam nos ὀχλοκρατίαν dicimus, non esse è numerô rerump. Augustinus *l. 2. de civit. Dei c. 21.* ex Cicerone de republ. *Cum injustus est Rex, quem Tyrannum more Graco appellavit: aut injusti Optimates, quorum consensum dixit esse factionem; aut injustus ipse populus, cui nomen usitatum non reperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum vocaret, non jam vitiosam, sicut pridem fuerat disputatum, sed sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rempublicam.* Quæ omnia eò recidunt, pactum secundum esse dissolutum, aut certè populum justam habere causam, Tyrannum potestate expellendi, si auscultare nolit melioribus consiliis, obtestationesque omnes insuper habeat; de quo in jure publico universali professâ operâ tractandum est. Exempla Tyrannorum passim in historiis obvia sunt, quin D. Bœcler. *in Diss. de Pol. Lipsian. c. 3. hebetudinem judicii prodere dixit, qui non observaverit, regna & Principatus, præsertim absolutiores, trahere aliquid ex confinio tyrannidis.* Ubi causas adjicit. conf. *ad 1. Tacit. Ann. c. 4. p. 125.* Quod quidem dictum in disciplinâ hac, ubi agitur de consiliis gubernandarum civitatum, non difficulter admiserim; at in publici juris doctrinâ periculo non vacaret. Verè enim & prudenter Bodinus *2. de rep. 5.* observavit: Tyranni nomen ignotum plerosque in errorem impulisse, & in perniciem Principum multorum armavisse. Dynastiæ exempla vide apud Aristot. *V. Pol. 6.* conf. de triginta tyrannis Athenis Nepot. *in Thrasybul. cap. 1.* Diodor. Siculum *lib. 14.* (3) De ochlocratiâ Athenienſium Dio Chrysostom. in politico. *Nonne se invicem accusant, ejiciunt? nonne alios in Senatum legunt, alios inde pellunt? annon omnia ut*

in terra motu fluctuant, omnia in ſuſpenſo ſunt, nihilque ſtabile? Eò tandem deventum, ut ducibus ſuis non contenti quaſi in peregrinis morbis opus habeant medicis. Talem Venetiis aliquando obtinuiſſe notat Amelottus *in hiſtoriâ regiminis Venet. tom. 1. p. 503.* ubi etiam in publicis conventibus civium rem non tantum ad clamores, ſed & ad manus & verbera perveniſſe refert.

(1) Tyrannidem ἀδικίαν ἐνδαίμονα, *beatam injuſtitiam*, vocat Jocaſta apud Euripidem *Phœniſſis*. Polybius V. hiſtor. 11. Τυραννὶς μὲν γὰρ ἔργον ἐστὶ, τὸ κακῶς ποιεῖν τῷ φόβῳ διεπόζειν ἀκουσίους, μυσούμενον τῇ μισοῦντι τὰς ὑπολαμβάνεις. *Tyranni enim proprium eſt, ut ſceleſtè vivendo invitis per vim ac metum dominetur, ſubjectis pari jure exoſus, & odio illos habens.* conf. 2. hiſtor. 59.

(2) Bene Bayle Diction hiſtor. critiqu. ſub Pericle in Not. O. *Fruſtra quaretur in Macedonia regno tot exempla tyrannidis, quot hiſteria Athenienſium vobis ſubminiſtrat.*

(3) Ubi omnia cedunt κλήροις τῇ ζυγῇς, ut loquitur Xenophon *de Republicâ Athenienſium*. Et tantum non omnia poſſunt pauci quidam oratores, vel unus etiam, aſſentientes populo. Hinc Phalereus apud Laërtium *l.* 5. ſcitè dixit: Ὅσον ἐν πολέμῳ δύναται σίδηρος, τοσοῦτον ἐν πολιτείαις ἰσχύει λόγος. *Quantum in bello poteſt ferrum; tantum in rebuspublicis valere orationem.* & Lyſias oration. Περὶ τῆς δήμου καταλύσεως ad Athenienſes mirabundus dixit: Ὑμῶν δὲ ἄξιον θαυμάζειν, ὅτι οἴεσθε μὲν δημοκρατίαν εἶναι, γίγνεται δ' ὅ τι ἂν οὗτοι βούλωνται. *Meritò vos miretur aliquis, quod putetis Democratiam ſive populare imperium eſſe, & ſit tamen, quodcunque iſti* (Demagogos intelligit) *volunt.* Ariſtophanes *Equitibus* ex verſione H. Grotii:

O plebs, imperium tibi
Magnum, nec metui magis
Reges ſceptrigeri ſolent.
Sed palpo facilius capi
Ad fraudes nimium pates:
Nam dicentis ad os hias,
Sed de corpore mens abeſt.

v. Grot. *in excerpt. p.* 532. Huc reſpexit Hobbeſius part. 2. de corps politiqu. ch. 2. §. 5. *Democratie*, inquiens, *en effet n'eſt*

n'eſt rien autre choſe, qu'une ariſtocratie d'Haranguers, quelque fois auſſi une Monarchie d'un ſeul orateur

XVI. Specietenus tollitur pactum ſecundum, cum alius ſine jure invadit dominatum. Quam ſpeciem reipubl. multi tyrannidem titulo vocant. Quanquam ea non minus in paucorum & multitudinis imperio habere locum poſſit. * Exemplo ſit Decemviratus Romanorum, facundè Livio *l. 3. hiſtor.* tractatus, & Trîumviratus in eadem rep. de quo Florus *l. 4. c. 6.* & inprimis Dio. *l. 46. & 47.* Dominatus quadringentorum Athenis, de quo Ariſtotel. *V. Pol. 4. infine.* Sic & Geomoris (ſive optimatibus) extinctis, aut expulſis, ſervi, clientes, & Plebs Syracuſana remp. invaſerunt. V. Herodot. *l. 5. Hiſt.*

* Talium Tyrannorum ante alias omnes regiones ferax fuit Sicilia, quorum velut ſeges quædam illic aſſiduò proveniebat. In eadem Sicilia fatum fuit civitatis potentiſſimæ Syracuſarum, ut vel tyrannis iisque crudeliſſimis pareret, vel inteſtinis ſeditionibus laboraret.

XVII. Cæterum duo ſunt modi invadendi & conſervandi dominatum, alter violentus, alter, ut ita loquar, ſophiſticus, dolis ſc. ſimulationibus & callidis commentis compoſitus. ut docet Ariſtotel. *V. Pol. 11.* Hinc Cicero duas ſpecies tyrannidis facit Πεισιϛρατισμὸν & Φαλαριϛμὸν. Piſiſtratus enim mitus erat ingenio ac moribus, ut præclarè pluribus teſtimoniis demonſtravit Meurſius *Piſiſtrato c. 6.* Interdum uterque modus conjungitur, & partim vi, partim dolis, prout res poſtulat, imperium firmatur. ut idem obſervavit *V. Pol. 4. infine.* Cujus rei incomparabile exemplum ſuppeditant Imperatores Romani à Julio Cæſare: hi enim quaſi aliud agendo, omnium rerum ſummam ad ſe trahebant, mirâ quadam ratione hoc efficien-

tes, ut resp. quam dominatione suâ occupaverant, in pristinô tamen statu relicta videretur. Quas artes Dio inprimis & Tacitus accuratissimè descripserunt. Huc aliquo modo referri possunt personati Reges, quibus Respublicæ aliquando, veluti domus per lemures & spectra, inquietantur. Exemplo sunt Pseudo-Nero apud Tacitum *II. histor. 8. & 9.* & apud Suetonium *in Nerone* Pseudo-Philippus, Imaginarius & Scenicus Rex, apud Florum *l. 2. c. 14.* Livius *l. 49. epit. & 50. in fine.* Pseudo-Cambyses, Pseudo-Alexander, Pseudo-Alexius, Perkinus sub Henrico VII. Rege Angliæ *(in cujus vitâ p. 190. seq.* add. eundem de Simnello *p. 43.)* (historiam illam Verulamius egregiè narravit) Pseudo-Demetrii in Russiâ, Grot. *l. 15. p. 497.* * Pseudo-Sebastiani in Portugalliâ, Pseudo-Fridericus in Imperio Romano Germanico, Dattius *l. 1. P. c. 4. n. 30.* Pseudo-Waldemarus in Marchia Brandeburgicâ, apud Crantzium *l. 8. Vandalicor. c. 19. ad A. 1335.* Add. Valer. Maxim. *l. 9. c. 16.*

* V. de his Thuanum *l.* 65. *histor.* & *l.* 126. H. Grotius *l.* 10. *histor. ad A.* 1601. *p.* 416. Zevecot. *ad l.* 2. *Flor. c.* 4.

XIIX. Pactum primum & secundum tollitur, vel certè rumpitur, ubi regnum divisioni est obnoxium; de quo supra; item civitas factionibus & bellis civilibus distracta sive diducta est. Quam reip. speciem egregiè depictam dedit Sallustius *in bell. Jugurth. c. 41. 42.* ubi de perverso Reip. Romanæ statu agit, qualis fuit à Gracchianis temporibus. *Caterum*, inquiens, *mos popularium partium & Senatus factionum, ac deinde malarum artium, pau cis annis Roma ortus est. Namque cœpere Nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere, sibi quisque ducere, trahere, rapere: ita omnia in*

duas

duas partes abſtracta ſunt: reſp. quæ media fuerat, dilacerata. Ariſtot. *II. Pol. 8.* loquutus de republicâ, in quâ Principes conſurgunt in arma & pugnant mutuò: *Quid intereſt*, inquit, *inter hoc, & non eſſe illam per aliquod tempus civitatem? quid eſt aliud civilem communionem ſolvere;* Idem V. Polit. 9. ait: *duas fieri civitates propter pugna.* conf. H. Grotium *II. de jur. B. c. 18. §. 2.* Adhæc, poſt ſeditiones aut bella civilia contingere poteſt, unâ ex civitate duas revera fieri, ut in populo Hebræorum poſt mortem Salomonis regnum Judæ & regnum Iſrael.

XIX. Sunt autem factiones, *partes in civitate, præſertim circa ejus adminiſtrationem, ſacra, honores aut commoda diſſidentes, & in ſocietates plerumque occultas ſegregatæ, occaſionem erumpendi in tempore expectantes.* Lipſius *VI. Pol. 3.* definit *paucorum aut plurium inter ſe coitionem, & cum aliis diſſenſum.* Exemplo ſunt Alcoſonbegi & Caracoionbegi apud Perſas, v. Thuan. *l. 67. p. 258.* Syllani & Mariani, Cæſariani & Pompejani Romæ, Guelphi & Gibellini in Italiâ (de quibus omnino videndus Otto Friſingenſis *lib. 2. de geſt. Frider. c. 63.*) Neri & Bianchi Florentiæ, Bellamontani & Acramontani in Regno Navarræ, de quibus Thuanus *l. 1. Hiſtor.* Roſa Alba & Rubra in Anglia, Adornii & Vulgoſii apud Genuates. conf. Nepot. *in Phocione c. 3.* adde Baco de Verulam. *ſerm. 49.*

XX. A factionibus diſtinguuntur conjurationes, hoc eſt, molitiones occultæ duorum pluriumve in civitatem ejusvé imperantes, ſacramento ac diris confirmatæ. Fiunt autem conjurationes vel contra (1) Principem tantum, vel (2) contra reipublicæ ſtatum. Egit de conjurationibus aliquot libris Scipio Gentilis, & Machiavellus *III. ad Livium 6.*

admirabili ſagacitate earum genium exponens. conf. Tacitum *XV. Annal. 49.* & ibi commentar.

(1) Exemplorum plena eſt hiſtoria, v. Forſtner. *ad XIV. Annal. Taciti* 48. Adde recentius exemplum Stautembergii contra Principem Mauritium in Hollandia, apud Maurier *memoires pour ſervir a l' hiſtoire de Hollande in vitâ Barneveldii in fine.*

(2) Exempla vide apud Septalium *l.* 3. *de ratione ſtatus c.* 1. Adde de Rep. Veneta St. Didier *part* 2. *de la Rep de Veniſ. p.* 216. *ſequ.* Huc pertinet etiam conjuratio in veſperis Siculis.

XXI. Bellum civile eſt *ſtatus civium, vi & armis concertantium, quatenus tales ſunt.* Hæc moventur vel à ſubditis contra ſubditos, vel à ſubditis contra imperantes, eosque vel ſummos vel vicarios. conf. Baco de Verulam. *ſerm. 59.*

XXII. Affinia bellis civilibus ſunt tumultus & ſeditiones. Tumultus eſt *motus quidam repentinus, à terrore vel ſimili cauſa ortum habens.* ſive, ut Bœclerus V. Polit. 3. definit, eſt *repentinus motus, à multitudine excitatus, metu aut conſternatione aut indignatione, ſine altiore propoſito mutandi ſtatus aut res novandi, ſeditioni proximus.* Cicerone I. in Anton. eſt, *bellum ſubito & derepente concitatum.* Seditio *eſt motus civium inter ſe diſcordantium, bello proximus.* Sive, ut idem Bœclerus definit, eſt *motus populi vim minantis aut facientis, mutandi regiminis ergo, vel quoad perſonas, vel quoad formulam reip.* Sunt autem ſeditiones, quemadmodum & bella, vel civicæ, vel militares. Ratione objecti etiam non una eſt differentia. Ut enim Ariſtoteles V. Pol. 1. obſervavit, *aliquando ſiunt adverſus rempublicam, ut ex eâ, quæ conſtituta eſt, aliam inducant. ceu è ſtatu multitudinis ſtatum paucorum; vel ſtatum multitudinis è ſtatu paucorum; vel rempublicam*

publicam & ariſtocratiam ex his, vel has ex illis. Aliquando autem non adverſus rempublicam conſtitutam, ſed ſtatum reip. eundem amant: in ſuâ verò poteſtate hunc eſſe volunt, ceu paucorum dominatum vel imperium unius. Amplius pugnant de majore vel minore, e.g. ut oligarchia intendatur vel remittatur. Amplius ad partem aliquam reip. movendam, e.g. magiſtratum aliquem conſtituendum vel abrogandum. Quemadmodum Lacedæmone Lyſandrum quidam ſcribunt aggreſſum eſſe regnum tollere, & Pauſaniam Regem Ephororum magiſtratum. Epidamni quoque reſpublica mutata eſt quadam parte: nam loco Phylarchorum, hoc eſt, tribuum, Præfectorum conſilium conſtituerunt. Porro quædam ducem habent, quædam eô carent. conf. Lipſium *l. 6. Pol. c. 4.*

XXIII. Omnino ſolvitur pactum primum & ſecundum anarchiâ, quæ eſt funus & cadaver ipſum civitatis, diſſociata multitudo, in qua

ἀκούει οὐδὲν οὐδεὶς οὐδενός.
Nullus nulli in nullo paret,

ut Euripides *in Cyclop.* canit. (1) Talis ἀναρχία Syracuſis extit poſt mortem Dionis. (2) Ita civitas, è quo exiverat, ad ſtatum naturalem miſera revolvitur.

(1) Et apud Judæos ante captivitatem Babylonicam, cujus ἀναρχίας egregia eſt deſcriptio apud Eſaiam III, 4. ſequ. add. Micham VII, 2. ſequ. & apud Romanos, *cum viginti per annos diſcordia non mos, non jus: deterrima quaque impune ac multa honeſta exitio fuere.* teſte Tacito *III. Ann.* 28. Et in regno Feſſano per octo annos poſt mortem Regis Abuzahitis. In Friſia etiam, cum turbidæ eſſent Imperii Romano-Germanici res, fere per ſeculum: ſciſſa gente tota in duas quidem factiones ſummas, verùm ita, ut ſine ſedibus certis gladii per omnem provinciam micarent, ſibi quisque nobilis & paterfamilias viribus ſuis fidens, clientes amicosque

que in auxilium aſciſceret, auctor & dux pugnæ eſſet; arces contra arces, turres contra turres, in eadem vicinia ubique erigerentur & munirentur; plerunque bellum ſine legibus belli, nec modo cædes & ſanguis in rabie præliorum, ſed etiam in captos ſævitia, carceres inhumani, & quicquid furor civilis efferatis odiis indulget, ſine fine modoque exercerentur. Quæ fuſius narrat Ubbo Emmius *libro XIII. Rer. Friſicar. ad A.* 1343 *& ſequ.*

(2) Ariſtot *V. Phyſic.* 5. dixit: *Unumquodque ſuo interitu reſolvi in illa, ex quibus conſtituitur.*

FINIS
PARTIS PRIMÆ.



ELEMENTORUM PRUDENTIÆ CIVILIS

Pars altera sive rectoria.

PROLOGUS.

Absolutâ pro instituti modo parte architectonicâ, ad rectoriam progredimur, diffusissimam utique & valdè arduam. In hujus explicatione cùm judicio omnium præclaram posuerit operam Aristoteles: præcepta ac regulas administrandi, velut oracula quædam, ex eodem excerpere placuit; paucis hinc inde additis, quæ illustramenti loco esse poterunt. Usi autem sumus methodô nostrâ, quam in propædiâ præscripsimus. Nimirum generalia prius explicanda sunt, quam ad species descendatur: deinde in speciebus illa præmittenda, quæ perfectior aut prior est: porro illa prætractari debent, sine quibus quæ sequuntur intelligi nequeunt. Quamobrem cum in universum civitates, inprimis regulares, quà corrumpuntur & quà conservantur, non pauca habeant communia; horum prima debet esse consideratio:

ratio: hinc civitatum regularium ſingulatim, & in his primô locô optimarum doctrinæ ſequuntur: illás excipiunt irregulares civitates; & demum eæ ſpecies, quæ poſt civitatum mutationes exiſtere conſueverunt. In ſingulis autem hiſce mala civitatum ante modos earundem conſervandarum conſideranda. Appoſitè Euripides *Bellerophonte:*

Πρὸς τὴν νόσον τοι χ̓ τὸν ἰατρὸν χρεὼν,
Ἰδόν̓ ἀκεῖσθαι.
Mali neceſſe eſt noſcat ingenium, malo
Qui vult mederi.

Ariſtoteles V. Pol. 8. *Perſpicuum eſt, ſi quidem tenemus, quarum rerum vi respublicæ intereunt, tenere etiam nos quarum vi conſervantur. Res enim contrariæ contrariorum efficientes ſunt: Interitum autem ſaluti contrarium.* Idem Ariſtoteles IV. Pol. 2. *Enitendum eſt, ut perſequamur, qui interitus & quæ incolumitates ſint civitatum tum universè, tum ſingulatim, & per quas cauſas hæc maximè natura fiant.* VI. Pol. 1. *Quia contingit plures eſſe ſpecies ſtatus multitudinis, & eodem pactô aliarum rerumpublicarum; non abs re eſt, ſuum proprium atque utilem modum ſingulis illis tribuere.* conf. V. *Pol. 1. init.* *& paſſim.*

SECTIO PRIMA.

DE MALIS ſive MORBIS vel omnium vel præcipuarum Civitatum; & de modis easdem conſervandi.

I. Hlatus doctrinæ hujus in opere Ariſtoteleo politicorum.

II. Prius MALA CIVITATUM conſideranda, & quidem ſecundum cauſatum ſeriem.

III. A FINE MALUM EST, quando media ſunt inepta.

IV. A SUBJECTO MALUM EST, nimia ſervorum multitudo, & fœminarum licentia.

V. Exteri in civitatem recepti.

VI. Mala educatio.

VII. Nimia exiſtimatio civis alicujus præter ſummum Imperantem.

IIX. Incrementum ultra proportionem.

IX. Paupertas.

X. AB OBJECTO MALUM EST, defectus munimentorum.

XI A FORMA vel ESSENTIALI UNIVERSALI MALUM EST diſcordia.

XII. Et vis dominationis nimium intenſa.

XIII. Vel ESSENTIALI SPECIALI, ſi conſilia ſunt ſophiſtica, aut nimis ſpecioſa.

XIV. Si impetia ſunt nimis magna, eaque diuturna aut bellica.

XV. Si leges crebrò mutantur.

XVI. Si judicia male ſe habent, & lites in longum protelantur.

XVII. A FORMA ACCIDENTALI MALUM EST, nimia ſecuritas, aut potentia externæ civitatis.

XIIX. A CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI MALUM EST, quando luminus Imperans τῶ μικρῶ curam non habet.

XIX. Contumelioſus eſt, vel avarus.

XX. Aut vilis.

XXI. A CAUSA MINUS PRINCIPALI, ſi adminiſtri civitatis non ſunt amici reip.

XXII. Si multi civium à magiſtratibus excludantur.

XXIII. Si plebs magnis magiſtratibus admovetur.

XXIV. Si magiſtratus quæſtui habent temp, aut pretio parantur.

XXV.

XXV. Si in policraticis civitatibus magiſtratus non niſi cum vita deponuntur.

XXVI. Aut è contratio voluntate ſola abrogantur.

XXVII. Si pœnæ opportuno tempore non ſumuntur.

XXIIX. Si nullum eſt æratium, aut contributio fit iniquè.

XXIX. His malis opponuntur REMEDIA.

XXX. A FINE, quando beatitudo quæritur, quæ in cives cadere poteſt.

XXXI. Et virtutum, inprimis juſtitiæ, ratio habetur.

XXXII. A SUBJECTO, quando cives reip. convenienter inſtituuntur.

XXXIII. Incivilis unius vel alterius magnitudo paullatim accidenda.

XXXIV. Egeſtatem excludunt mercatura, opificia, coloniæ.

XXXV. AB OBJECTO, ſi munimenta convenienter locantur.

XXXVI. A FORMA ESSENTIALI UNIVERSALI, ſi concordia foveatur.

XXXVII. Si curatur, ut ſaltem præcipua civitatis pars reip. ſit amica.

XXXIIX. Si poteſtas ſumma ad mediocritatem redigitur.

XXXIX. Ubi ad genium populi reſpiciendum.

XL. A FORMA ESSENTIALI SPECIALI, ſi in conſultationibus prævaleat major pars.

XLI. Si conventus populi inſtituuntur.

XLII. Imperiis opus eſt in civitate omni.

XLIII. Verum ea non ſint magna nimis.

XLIV. In legibus quoque ſalus reip. eſt poſita.

XLV. Hæ civitati accommodandæ.

XLVI. Et in iis ferendis ad vicinos reſpiciendum.

XLVII. Leges non ſcriptæ ſunt conſtantiores.

XLIIX. Ne minimum aut leve adverſum leges fiat, cavendum.

XLIX. Nec leges mutandæ, niſi magnas ob cauſas.

L. Sapientiorem eſſe legibus, verat civilis ſapientia.

LI. De judiciorum conſtitutione rectâ nihil eſt in opere Ariſtoteleo.

LII. A FORMA ACCIDENTALI, ſi in pace cogitatur de bello.

LIII. Et ante bellum initur ratio expenſarum.

LIV. A CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI, quando ſummus Imperans agendo præit illis rebus, quas à populo fieri deſiderat.

LV. Summus Imperans abſtineat ab injuriis.

LVI. A CAUSA EFFICIENTE

INTE MINUS PRINCIPALI, ſi magiſtratus eliguntur amici reip. politici & juſtitiæ amantes.
LVII. Plures uni magiſtratus non conceduntur.
LIIX. Nec magiſtratibus quæſtum ex reip. facere licet.
LIX. Magiſtratum alicui abrogare nonniſi ſecundum leges conceditur.
LX. Miles eſt lectus potius, quam mercenarius.
LXI. Ærarii ſumma eſt cura.

§. I.

VAldè in his manca & brevis eſt doctrina Ariſtotelis: nihil enim de religione; nihil de univerſitatibus ſive collegiis: nihil de importandis & exportandis, & ſingulatim de annonâ; nihil de ærario; nihil de belli, pacis & fœderum ratione; nihil de legationibus; pauca de nummo, de munimentis civitatum, de conſultationibus, de Legibus, de judiciis, ſimilibusque attulit. Cum tamen circa talia civitatibus tantum non omnibus quam plurima inſtituta ſoleant eſſe communia. Quamobrem quod heic deeſt, ex aliis ſuppleri debet. De *officio majeſtatis civilis circa ſacra, de rei nummariæ curâ, de judiciorum formâ & reliquis cauſis* egit ſatis accuratè H. Conringius *pec. diſſertationibus*. Utinam reliqua argumenta eadem methodo & demonſtrandi ratione haberemus explicata!

II. Cæterum mala morbive, nec non remedia illorum, optimè conſiderantur ſecundum cauſas conſtitutarum civitatum. In univerſum tamen, quæ mala dominantur in naturali ſtatu, (de quibus *part.* 1. *ſect.* 1.) inimica ſunt etiam civitatibus. *Nam jucundius eſt multis vivere ſolutè, quam ſecundum legee.* Ariſtot. VI. *Pol.* 4. in fin. *Et quæ volunt, cum poſſunt, agunt omnes.* Id. V. *Pol.* 10.

III. A fine malum eſt, quando eidem non reſpondent media. *Aliquando enim finis rectè ſe habet, in agendo autem ab ipſo adipiſcendo aberratur.* Ariſtot.

VII.

VII. Pol. 13. conf. II. *Pol.* 9. In ipso fine malum est maximum, * si nulla religionis, nulla justitiæ habeatur ratio. *Per injustitiam everti regna, maxime vero eam cui adest contumelia,* auctor est idem Aristot. V. Polit. 10. Jacob. Bonfar. *l.* 1. *Ann. Genues. pr.* Cum vera felicitas in usu virtutis sit posita, fere contingit, ut in magnâ hominum multitudine alii, & ii quidem admodum pauci, valde virtutem colant, alii parum, multi verò, ne quidem quid ipsa sit virtus, intelligunt: ut mirum minimè sit, si videamus res civiles non modo in proposito fine impediri, sed ab eo sæpius aberrantes multis magnisque perturbationum incommodis conflictari.

* Salomon Proverb. XXIIX. 2. Ecclesiast. V, 7. sequ. *Ob prævaricationem multi Principes ejus.* In Psalmo LXXXII, 5 est: ob perversa judicia *vacillare omnia fundamenta terræ*

IV. A subjecto civitatis multa mala oriuntur. Et quidem in familiâ sive domo malum est nimia servorum multitudo. *Si namque remissius habeantur, contumelioſi fiunt, atque æquum putant, ut æquali cum heris loco sint: sin autem miserè vivant, insidiis eos appetunt, & odio prosequuntur.* Aristot. *II. Pol.* 7. ubi hoc illustrat (1) exemplo Helotarum in rep. Spartanâ & Penestrarum apud Thessalos. Plato VI. *de Legib.* possessionum omnium difficillimam ait esse servos, propter ipsorum improbitatem atque nequitiam. Sic & nimia mulierum licentia nocet civitatibus. *Nam ex mulieribus non minus quam viris constant civitates. Quare in quibus civitatibus non coërcentur, ut oportet, fœmina, atque in istâ parte disciplina labat, ibi alteram earum partem malè habere, neque legibus fundatam, ut oportet esse, existimandum est.* Arist. paraphrast. Heinsio. *d. l.* ubi iterum de Spartanis agit. (2)

(2) Thu-

(1) Thucydides l. IV. Hiſtor. ait: *Lacedæmoniis plurimum negotii fuiſſe in cuſtodiendis ſervis.* Atticos ſervos, per quos vinctos metalla exercebant, à dominis defeciſſe, & cuſtodes interemiſſe, & diu Atticam devaſtaſſe, memorat ex Poſidonio Athenæus *l.* 7. *Dipnoſoph. c.* 7. ubi addit: Id eodem tempore factum eſſe, quo & in Sicilia exorta eſt alia ſervorum ſeditio, aut potius multæ. Seditionem graviſſimam à ſervis excitatam ob nimiam eorum multitudinem, narrat Diodor. Sicul. *in excerpt. Peireſian. p.* 263. conf. Florum. *l* 3. *rer. Rom.* 19. Addi poteſt exemplum Romanorum, apud quos privati multa millia ſervorum habebant. de quo prudenter queritur Seneca *de tranquill. anim. c* 9 *& de vita beat. c* 17. Hinc Florus 3. Rer. Rom. c. 12. n. 10. *Quid autem bella civilia? unde nobis, niſi ex abundantiâ familiarum?* v. ibi Freinshemium. conf. Thom. Morum. lib. 1. *Utop.* ubi de multitudine famulorum in Anglia agit.

(2) Γυναικοκρατέμενοι memorantur fuiſſe Ægyptii, teſte Herodoto, apud quos majori libertate fuerunt fœminæ, quam viri. Lycii quoque majoribus honoribus affecerunt fœminas, quam viros. Sauromatæ in univerſum mulieribus paruerunt. Cum apud Japonios olim mulieres magnam obtinerent libertatem, multa inde exitiſſe tragica facinora, quorum aliquot adhuc hiſtoriarum monumentis contineantur, memorat Valentius *Reſcript. regni Japon. c.* 12.

V. Porrò ſi exteri in civitatem recipiantur, malo id eſſe ſolet; quod multis exemplis probat Ariſtot. V. *Pol.* 3. *

* Intellexit hoc prudenter Alcibiades apud Thucydidem *l. VI.* ubi de Sicilia diſſerit: *Urbes illic ſunt promiſcuis hominibus frequentes, qui facile aliquid in rep. mutant, neque quiſpiam illic tanquam pro patriâ ſua, aut ad corporis ſui defenſionem arma ſumit.* &c. Exemplum inſigne eſt in Imperio Romano, in quo Valens Imper. Gothis ad ſe confugientibus in Thracia atque alibi agrum attribuit, quod præter Ammianum Marcellinum, Zoſimum, Themiſtium & Eunapium in Eclogis legationum teſtatur Socrates l. 4. c. 34. addens: Id initium fuiſſe calamitatum, quæ mox Imperium Romanum adfligêre. Pufendorf. l. 3. c. 3. §. 10. Et quod ſec. IV. Barbaræ gentes Scythicæque & aliæ in orbem Romanum, & Orientalem nominatim, immiſſæ, vel privatam viram degebant, vel Romanis paſſim militabant, quin & magiſtratus paſſim

passim gerebant privatasque domos implebant, Synesius *oratione de regno* ad Arcadium Imp. scribens, seditiones (στάσεις) jam aliquas inde ortas prodit, & tandem inde excidium ipsi Imperio ominatur. Aliud exemplum habes apud Loccen. *lib. IV. Hist. Suecan. ad A.* 1389. alia apud Arnis. *l.* 2. *Pol. c.* 3. H. Grotius *ad Exod. l.* 10. notat, triplicem esse metum à peregrinis, ubi multum increscit eorum multitudo, ne conspiratione indigenas opprimant, ne hostibus se adjungant, ne vi exitum quærant. Adde Platonem *IV de LL.*

VI. Bona anima vitiat mala educatio. * *Nullum enim emolumentum capitur ex utilissimis legibus, & quæ probatæ sint judicio cunctorum, qui dant operam reip. nisi erunt assuefacti & instituti.* Et mox. *Si namque est in uno incontinentia, est etiam in civitate.* *V.* Pol. 9.

* Quantum sit in educatione momenti, docet idem II. *Nicom.* I. *Non parum refert, sicne an sic ab adolescentia consuescat aliquis, sed quam plurimum, imò totum in eô consistit.* IV. Pol. 1. dixit: *non est minoris laboris dedisce re, quàm ab initio discere.* Et in problem. sect. 18. quæst. 6 *Quæ aliqui principi pio sibi delegerint, quibusve insueverint; in iis ne judicare quidem possunt, quidnam melius sit: animus enim eorum jam corruptus est propter pravas præsumtiones.* & Plato *de LL. l.* 6. *Homo si cum natura felici rectam quoque disciplinam fuerit assecutus, in divinissimum mansuetissimumque animal solet evadere. Si verò non satis aut non bene fuerit educatus, ferocissimum omnium, quæ in terris nascuntur, animal solet evadere.*

VII. In bonis fortunæ malum est nimia existimatio, * *cum aliquis fuerit potestate major, vel unus vel plures, quàm ferat civitas & facultas reip. Exoriri enim solet ex hujuscemodi rebus regnum vel dynastia.* *V.* Pol. 3. *Mutantur autem & in paucorum dominatum & in popularem statum & in remp. ex eo quod magistratus aliquis vel civitatis pars magnam opinionem consecuta aut amplificata fuerint. d. l. c.* 4. ubi exempla profert, conf. *c.* 7. *verb.* ἔτι ἐάν τις μέγας &c.

* In

* In civitate Romana fuit Pompejus & Cæſar, de quibus Lucanus *l.* 1. *Nec quenquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem, Pompejusve parem.* conf. Juſtin. *l.* 21. *c.* 14 de Principe Carthaginenſium Hannone. V. Forſtner. *ad* 2. *Taeit. Ann* 5. 1.

IIX. Huic affine eſt *incrementum ultra proportionem*, (five cum pars aliqua civitatis nimium augeſcit:) *nam ex hoc fiunt mutationes rerumpublicarum. V. Pol.* 3.) ubi eleganti ſimilitudine hoc illuſtratur, & cauſæ incrementi explicantur. Hinc *qui copiam magnam nacti ſunt rerum proſperarum, virium inquam, & divitiarum, & amicorum, & hujuscemodi rerum, parere nolunt magiſtratibus, neque etiam ſciunt. IV. Pol.* 11. Et impoſſibile eſt, ut, qui vim facere & prohibere poſſunt, ſemper ſub imperio contineantur. VII. *Pol.* 9.

IX. (1) *Paupertas ſeditionem efficit & injuriam II. Pol.* 4. Inprimis autem *malum eſt multos è divitibus fieri pauperes* (2) *Vix enim fieri poteſt, rerum novarum non eſſe cupidos hujuscemodi homines d. l. II. c.* 5. quod repetit & exemplis confirmat *l. V. c.* 6. Ingenui *autem & probi nullibi centum, pauperes multis in locis. V. Pol.* 1.

(1) Idem 2. *Rhet.* 16. *Pauperes callidè & verſutè ſunt improbi, & in rebus exignis ſe dedunt nequitiæ, evadunt fures, maledici, invidi, & parvis in rebus injuriam facere non detrectant. & IV.* Pol. l. 11. *Valdè egentes fraudulenti fiunt, & minutis flagitiis valdè dediti.* Seneca l. de irâ 14. *Omne invalidum natura querulum eſt.* conf. Piccart. *ad d. l.* 3. *p.* 217. *ſeqq.* Gaudent de turbato reip. ſtatu plerumque egeni & mala fortuna preſſi. Tacitus.

(2) De talibus Euripides *Hercule furente*:

Οἱ τἀπὶν ἴθηκαν κ᾽ διώλεσαν πόλιν
Ἐφ᾽ ἁρπαγαῖσι τῶν πέλας· τὰ δ᾽ ἐν δόμοις
Δαπάναισι φρένδα διαφυγόνθ᾽ ὑπ᾽ ἀργίας.

Qui ſeditionem concitarunt & perdiderunt civitatem
Propter rapinas proximorum: res enim familiaris.
Sumtibus profuſa eſt, & otio perlit.

Idem *Antiopa*:

Καὶ μὴν ὅσοι μισὰ σαρκὸς εἰς ἰνιξίαν
Ἀσκῶσι βίοτον, ἢν σφαλῶσι χρημάτων,
Κακοὶ πολῖται.
Hi qui ſagina manciparunt corpora,
Periculoſum civitatibus genus,
Pecunia fugiente.

X. Ab objecto malum eſt, ſi regio munimentis non eſt inſtructa. *Uſu enim venit, ut majores ſint opes hoſtium, quàm & humana & quæ in paucis eſt virtute ſuſtineri poſſint. Idcircò, ſi ſaluti conſulendum eſt, & injuriæ contumeliæque vitandæ murorum præſidium tutiſſimum, & bellicis rationibus convenientiſſimum putari debet. Præſertim hoc tempore tormentis & machinis ſolerti ratione ad obſidendas oppugnandasque urbes inventis. VII. Pol.* 11. *

* Malum hoc prudentes agnoſcunt in Polonia, etſi Starovolſcius *Pol. deſcript.* elevare id ſuſtineat. Spartani tandem ipſi in ſua rep. id viderunt, atque emendaverunt. teſte Ariſtot. *d. l.* v. omnino Æſchylus apud Grot. *excerpt. p.* 24. Machiavellus quoque munimenta non omnia noxia cenſuit. V. Conring. *ad Machiav. Pr. c.* 10.

XI. Forma eſſentialis civitatis universè conſiſtit in concordiâ & ſummâ poteſtate. Hinc maximum malum eſt diſcordia, & *periculo verſatur civitas in partes diſtracta, maximè cum eſt, qui eam invadere velit & poſſit.* II. Pol. 8. *Infirmum eſt, quod diſcordia laborat.* V. *Pol.* 6. * *Et diſcordia nobilium* (hoc eſt primorum) *alliciunt ad ſe univerſam civitatem.* V. *Pol.*4. Cicero de amicitiâ. Quæ domus tum ſtabilis, quæ tum firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus everti poſſit?

* Optimè Tacitus *de morib. Germ. c.* 21. *Periculoſiores inimicitia juxta libertatem. Neque*, ut Cicero orat. de haruſp. reſp. c. 27. obſervavit, *ullus alius diſcordiarum ſolet eſſe exitus inter claros & potentes viros, niſi aut univerſus interitus, aut victoris dominatus aut regnum.*

XII. A ſumma poteſtate malum eſt, quando nimium

mium intenditur vis dominationis. *Unus enim* * *eſt interitus, regni efficere poteſtatem procliviorem ad tyrannidem.* V. *Pol.* 11.

* Oreſtes apud Euripidem *in ejusdem nominis tragœdia:*

Καὶ ναῦς γὰρ ἐνταθεῖσα πρὸς βίαν πολὺ,
Ἔβαψεν, ἵστη δ' ἄνυδρις ἡ χαλᾷ πόδα.
Μισεῖ γὰρ ὁ Θεὸς τὰς ἄγαν αὐθαδίας,
Μισοῦσι δ' ἀστοί.

Nam & navis intento vi clavo
Mergitur: manet rurſus, ſi relaxes clavum.
Quodcunque nimium eſt ac ferox, odit Deus,
Odere populi.

Nutrix apud Euripidem in Medea:

Τὰ δ' ὑπερβάλλον
τ', οὐδὲν καιρὸν δύναται φθιτοῖς.

Sed immoderata
Nullo tempore valent hominibus ad diuturnitatem.

Multi, ut Taciti verbis utar, *injuncta imperii munera impigrè obeunt, ſi vis & injuria abſint.*

XIII. Formam eſſentialem ſpecialem conſtituunt conſultationes, imperia, ſub quibus etiam leges continentur, & judicia. Eſt autem malum in conſultatione, ubi conſilia ſunt ſophiſtica; nam ut Ariſtoteles ait IV. *Pol.* 12. (1) *aliquando è ſimulatis bonis verum evenire malum neceſſe eſt.* Aut ubi ſunt nimis ſpecioſa. Egregiè Euripides apud Ariſtotelem III. *Pol.* 3.

(2) *Specioſa mitte: prome queis urbi eſt opus.*

(1) Similis eſt locus Senecæ *ep.* 79.

(2) *Tiberius* à Vellejo 2. *Hiſt. c.* 113. laudatur, *utilia ſpecioſis præferens.*

XIV. Imperia magna civitatibus ſolent eſſe periculo, præſertim ſi diutius gerantur. Hinc enim tyrannides exiſtere, exemplis probat Ariſtot. V. *Pol.* 8. *quia non cujusvis eſt hominis, ſecundas res ferre.* ut ait idem *dicto loco.* Inprimis verò hoc uſu venit in imperiis militaribus. v. V. Pol. 5. *in med.* & 6. *ab init.* * *Qui enim in ſua manu habent arma ſive*

militiam, in eorundem arbitrio eſt, maneat an non maneat respublica. v. Pol. 10. *p.* 358. VII. Pol. 9. Hinc idem II Pol. 7. præfecturam claſſis perpetuam quaſi regnum eſſe dicit.

* In ſacris literis conſiderentur Joabus, qui regnum ſui quaſi beneficii eſſe volebat, & Abner, de quo 2. *Sam. III,* 8. *ſeqq.* adde 1. *Reg. XVI.* 6. ubi Grotius notat: *Metuendi Regibus illi maximè, qui milites ſibi habent obnoxios, quales Praefecti Praetorio, magiſtri militum, magiſtri equitum & ſimiles.* Rebus ſecundis etiam egregios Duces inſoleſcere, eſt apud Tacit. 2. *hiſtor.* 7.

XV. In legibus malum eſt, ſi non ſunt certæ, & proptetea judices judicant αὐτογνώμονες, id eſt, opiniones ſuas, non ſcriptas leges, in ferendis ſententiis ſequentes. Quod de Lacedæmoniorum Ephoris tradit Ariſtoteles II. Pol. 7. ſcribens: *Satius fuiſſet, eos judicare, non ſuum ſenſum ſecutos, ſed & ſcriptis & legibus.* Nec minus malum eſt, ſi eæ crebrò mutentur. *Inde enim reliquis perit reverentia* II. *Pol. 6. circa extr.* Inprimis hoc accidit in publicis legibus. (1) Ab harum enim tenui etiam mutatione paullatim ad alia pervenitur, ut eleganter diſſerit V. *Pol. 7. circa extr. conf. c. 3. ejusd. libri.* Simile malum eſt, ſi bonæ leges negligantur. (2) Hinc Ariſt. VII. *Eth.* 11. ſcitè comparat civitatem, quæ bonas habet leges, cum homine incontinente, qui, quid bonum ſit & decorum, novit quidem, ſed non facit. Sæpius etiam fraus fit legi, quod pluribus exemplis demonſtrat H. Grotius *ſparſ. flor. ad l. contrà D. de LL.*

(1) De hac re longa eſt oratio Demoſthenis *contra Timocratèm.*

(2) *Nihil intereſt, non condantur leges, an non obſerventur,* eſt apud Ariſtot. I. *Rhet.* 15.

XVI. Eſt quoque malum, (1) ſi nulla ſunt judicia, quæ civium contentiones componant. Hinc

Ariſtot.

Ariſtot. *judicia omnium maximè neceſſariam reip. partem* dicit, & niſi judicia de civilibus controverſiis rectè fiant, exiſtunt rerump. mutatiooes. Ariſtotel. 4. *Pol.* 16. *Exiſtunt autem contentiones inter cives non modo de bonis, ſed & de honore.* II. *Pol.* 5. Non minus malum eſt, (2) defectus executionis: *Fruſtra enim exercentur judicia, niſi ad finem perducantur. Quarè ſi communitas conſtare nequit, niſi judicii fiant; ne conſtabit quidem, ſi nemo, quod judicatum fuerit, exequitur.* ait Ariſtotel. VI. *Pol.* 8. (3) Accedit alium malum diuturnitas & mora litium.

(1) *Nulla civitas revera civitas erit, niſi debito ordine judicia fuerint conſtituta.* Plato *l. VI. de LL.*

(2) Ut in Poloniâ, de quâ Pialecius *Chronic. geſt. rer. ſingul. in Europ. ad A.* 1632. Cicero orat. II. in Rullum: *Judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes, reſtitutio damnatorum, civitatum afflictarum, perditis jam rebus, extremi ſolent eſſe exitiorum exitus.* v. plur. Herald. *de auctorit. rei judicatae, 1.*

(3) Accedit malum diuturnitas & mora litium. Hinc prudenter dixit Montanus *c.* 33. *de tut. n.* 287. *Forenſibus jurgiis & reſp. concuti, & familias peſſum ire, & mores corrumpi.* Et Oldendorp. præfat. claſ. action. *Ex immortalitate controvertendi non ſolum rem familiarem & nunquam redituram tempus inutiliter conſumi, verum etiam diſtrahi amicitias, ſuccreſcere odia, ex litigatoribus paullatim in utriusque familiam diffuſa; tandem ex lite non ita magna reip totius tranquillitatem diſturbari.*

XVII. A formâ civitatis accidentali malum eſt nimia ſecuritas. Hinc Ariſtot. *V. Pol.* 8. *Rempubl. qua ſe extra omne periculum poſitam eſſe arbitratur, in periculo eſſe judicat* (1) Nam *qua è rebus ſecundis percipitur lætitia & otium cum pace, contumelioſos reddit* VII. *Pol.* 15. Porrò *externe corrumpitur civitas, quando contrariam remp. vicinam habet, vel ſi longius abſit* (2) *nimis potentem* V. *P.* 7. Sunt autem reſp. bifariam contrariæ: vel æmulatione; (3)

vel ſtatu; ut docet. V. *Pol.* 10. ubi obſervat Lacedæmonios plures diſſolviſſe tyrannides.

(1) Bene Tacitus 1. hiſtor. 15. *Secunda res acrioribus ſtimulis animum explorant: quia miſeria tolerantur, felicitate corrumpimur.* Florus l. 3. c. 12. de Rep. Romanâ. *Quæ res alia furores civiles peperit, quàm nimia felicitas?* v. ibi Freinshemium in not. Sulpitius l. 1 hiſtor. ſecr. de Hebræis: *Ita ſemper in ſecundis rebus immemores cœleſtium beneficiorum idolis ſupplicabant: in adverſis Deo.* Paulo ante dixerat de eodem populo: *Ut ſemper fieri rebus ſecundis ſolet, morum diſciplinæque immemor.* Catullus:

Otium & cives, prius & beatas
perdidit urbes.

Juvenalis:

Nunc patimur longæ pacis mala, ſævior armis
Luxuria incubuit.

Nicol. Burgundus l. 2. Hiſtor. Belgic. *Adverſa quàm proſpera feruntur melius. Res ſecunda impotentiam generant, adverſa moderationem. Philoſophia opus eſt ad otium; fortitudine & conſtantia ad negotium; temperantia & juſtitia ad utraque: ſed magis in pace & otio. Ex bello calamitas & inde humilitas; ex pace laſcivia, contemtusque Numinis ex laſcivia oritur.* H. Grotius l. 4 hiſtor. Belgic. ad A. 1595. de Emda: *Florentium populorum mala, ſuperbia apud ipſos & luxus, invidia apud dominantes.* Nepos *Conon. c. 5. Accidit huic, quod cæteris mortalibus, ut inconſideratior in ſecunda quam in adverſa eſſet fortuna.* & *in Pelop. c. 3. Magna fiducia magna calamitati ſolet eſſe.* Joach. Paſtorius l. 6. hiſtor. plenior. de Chimelnicio, *tot ſeculorum innumeris exemplis compertum ait, bene etiam præparatas mentes facilius à blandiente fortunâ quam adverſa vinci. Nam quos aſpera res modeſtos atque induſtrios reddunt, eos felicitas dulcibus venenis in honeſti omnis & ſui denique oblivionem ſoporat.* conf. Curtius *l. 4 c. 14. n. 20. & l. 10. c. 1. n. 40.* Felicibus quoque venit ex nimiâ proſperitatis continuatione faſtidium. Quint. *dial. 17.*

(2) Ordines fœderati Belgii apud H. Grotium l. 2. hiſtor. Belgic. ad A. 1590. *Quomodo bellua feraque piſcium & gregum prædâ veſcuntur, ita magna ſemper imperia minori poteſtati exitioſa ſunt.*

(3) Liv. *l. 44. c. 24. Natura inimica inter ſe ſunt libera civitas & Rex.* Polyb. *in excerpt. legat.* obſervavit: *Immixtas liberis civitatibus monarchias nunquam bona fide coaliſcere,*

fecere, idque tralatitium esse. Demosthen. in Olynthiacis. *Liberi populi aversantur Reges, quia obediunt legibus; qui verò parent Regibus, obediunt voluntati, i. e. libidini unius plerumque pravi.* v. de pugna naturæ inter hyænam & canem, Siracid. XIII, 22. & ibi Grotium. v. & Loccen. *l.* 4. *Histor. Suecan. ad A.* 1442. Athenienses ut Aristoteles *d. l.* observavit, ubique dominatus paucorum, Lacones verò populares status dissolvebant. v. H. Grotium *l.* 3. *de Jur. B. & P. c.* 15. §. 8. Naturale odium inter Anglos & Scotos. Hinc apud Camdenum est ad A. 1571. receptissimam consuetudinem in legem invalusse: *testimonium Scoti in Angliam, aut Angli in Scotiam non admittendum.*

XIIX. Causa efficiens civitatis sunt summus imperans, ejus administri, & instrumenta cætera. In summo Imperante malum est *primo:* * si exigui sive τῶ μικρῶ, ut Aristoteles loquitur, curam non habet. *Nam latent vulgò mutationes pleræque, quia sunt exiguæ, & tum demum quasi in conspectum veniunt, quando diuturnius augmentum jam accepere: perinde ut modici sumtus in re familiari crebrius facti fallunt, & ad summam proficiunt,* Aristot. V. *Pol.* 3. *conf. c.* 7. & 8. Idem ait: ἐκ ὀλίγου τὸ παρ' ὀλίγα, *non est parvum, quod à parvo.*

* Exempio Hierarchiæ Papalis hoc illustrat Piccart, *ad* 5. *Pol.* 3. Et Germania nostra insigne suppeditat exemplum à temporibus Caroli M.

XIX. Deinde malum est, si contumelioſi sunt vel avari: * nam utrumque motuum esse causam, docet Aristot. V. *Pol.* 3. *init,* & *c.* 10. ubi magis odium quam iram nocere tradit.

* *Generosus animus contumeliam pati non potest.* Seneca 9. *contr.* 1. & Cicero 2. *ad Attic.* 21. de Pompejo. *Timeo, tam vehemens vir, tamque acer in ferro, & tam insuetus contumelia, ne omni animi impetu doleri & iracundia pariat.* Petron. *in vita Caroli* III. meminit Aquitani, qui interrogatus à Rege suo, quibus muneribus à fide erga se abstrahi posset. *Non tuo regno,* inquit, *non orbis imperio adduci possem, non omnium thesauris: contumelia tamen & stomachosa injuria possum.* Colaphus à Francisco 1. Rege Gall. Borbonio impactus in eas

angustias Regem compulit, à quibus, quamdiu vixit, nunquam se extricare potuit. Cicero 3. Verrinar. *Habet quendam aculeum contumeliæ, quem pati prudentes ac boni viri difficillimè possunt*

XX. Denique malum est, si imperantes summi sunt viles & propterea contemptui expositi. Id ἐρίθειαν dixisse Aristot. V. *Pol.* 3. quidam putant, Καταφρόνησιν vocat *dict. cap. & in c.* 10. ubi multa de tyrannis ob contemptum occisis.

XXI. Ab administris civitatis mala quoque multa veniunt, & primò quidem, si ad magistratus admittantur non amici reip. V. *Pol.* 5. ubi exemplum in Heracleodoro.

XXII. Deinde, si multi excludantur à magistratu vel administratione reip. *Quando enim expertes honoris multi & pauperes extiterint, hostium necesse est civitatem illam plenam esse.* Aristot. III. *Pol.* 7. Rursus *necesse est, eos omnes ignominia notatos existimari; quippe cum minimè honorentur: honores enim dicimus magistratus esse,* ut ibidem ait. conf. II. *Pol.* 8. de Cretensibus.

XXIII. Item, si plebs magnis magistratibus admoveatur: *Ob injustitiam enim & ob stoliditatem in aliquibus injustè se gerit, in aliis labitur.* Aristot. III. *Pol.* 7. conf. II. *Pol.* 7. *ubi de Ephoriâ Laconum & cap.* 9.

XXIV. Item, si quæstui habent remp. *Ob hoc enim maximè indignatur vulgus,* Aristot. V. *Pol.* 8. *Hinc malum est, magnos magistratus precio parari: quandoquidem consentaneum est, ut, qui emerunt, assuescant quæstum facere,* ut egregiè differit Aristoteles II. *Pol.* 9.

XXV. Item * in civitatibus policraticis, si magistratus nonnisi cum vita deponantur. *Hoc enim causa existit seditionis apud illos, qui nullius dignitatis sunt; nedum apud viros animi plenos & bellicosos.* II. *Pol.*

Pol. 3. conf. *cap. 8.* ubi de Coſmis Cretenſium. adde ſupra §. *14.*

* In regnis plerumque non nocet. V. Piccart. 6. *obſ. politic.* 7.

XXVI. Poſtremò malum eſt in civitatibus polycraticis, ſi magni magiſtratus voluntate ſolâ, non lege abrogentur. *Illa enim minus tuta eſt norma.* Ariſtot. *II. Pol. 8.*

XXVII. Inter reliqua inſtrumenta civitatis ſunt pœnæ, præmia, & ærarium. A pœnâ malum eſt, ſi non opportuno tempore ſumatur. * *Propter metum enim ſeditiones movent, qui injuſtè aliquid fecerunt, timentes ne pœnas dent.* V. Ariſtot. *V. Pol. 3.* & *10.* ubi ait, hoc uſuvenire in imperio & plurium & unius.

* Conf. *p.* I. *S.* I 5. 10. Florum *l.* 3. *c.* 14. *n.* 2. ſub exemplo Tiberii Gracchi, ubi *in obſervationibus* plura addit Zevecotius. Apud Appian. *de bellis civilib.* 2. egregius locus eſt de Julio Cæſare, qui cum remnublicam occupatet, dicebat, ſe metu adverſariorum eò adactum. *Illum time, qui te timet, ô ſapiens,* ait Sadus *in Roſar. c.* 1.

XXIIX. Malum quoque eſt, ſi vel nullum ſit ærarium, vel contributio inæqualiter fiat. Hinc Ariſtot. *II. Pol. 7.* in culpa ponit, *quod in ærario Spartanorum nihil ſit, cum tamen cogantur magna bella gerere, & è privato malè conferant,* * *minus ſubtiliter inquirentes mutuas collationes.*

* V. omnino Mevium *p.* 2. *ad Jus Lubecenſ. t.* 3. *art.* 3. ubi incommoda, quæ in collationibus ſe offerunt, prudenter expendit.

XXIX. Hæc mala ſunt, quibus quæ remedia opponat Ariſtoteles, nunc videndum eſt. Pauciores autem remediis egent benè conſtitutæ civitates, quam vitioſæ. *Quemadmodum corpora bene valentia & naves, nautis ad navigandum bene inſtructa plura, errata ſuſtinent, ut non pereant ſuo vitio. Quæ autem corpora valetudinaria ſunt, & naves pa-*

rum firmæ, quæque malos nautas ſunt nactæ, ne parvæ quidem poſſunt ferre errata. Ariſtoteles VI. Polit. 6.

XXX. Ut à fine ordiar. * *Politici eſt videre, quemadmodum civitas, & genus hominum, omnisque alia ſocietas, vitæ beatæ quodammodo fiat particeps ejusque beatitudinis, quæ in ipſos cadere poſſit.* Ariſtoteles VII. Pol. 2. in fine.

* Huc pertinet etiam Platonis monitum *XII. de LL.* ut civitas ſemper ſibi propoſitum habeat unum aliquem ſcopum, quò omnia conſilia dirigat. Alioquin ſecutuias legum mutationes. Seneca quoque dixit *ep.* 71. *Errant conſilia noſtra, quia non habent, quò diriguntur.*

XXXI. Igitur virtutum habenda ratio, inprimis verò religionis & * juſtitiæ; *hæc enim civitatem continet.* I. Pol. 2.

* Juſtitiæ fruendæ cauſa Reges conſtitutos, veteres Philoſophi dixerunt, *ut data ſc. legibus vi, judiciis auctoritate, cultus agris, ſacris honos, ſecuritas hominibus, certa rerum ſuarum poſſeſſio cuique conſtet*, ut verbâ Velleji Paterculi 2. *Hiſt* 80. huc accommodem. *Eam lamentum perpetuæ commendationis & famæ juſtitiam* dixit Cicero 2. *de offic.* Daniel IV, 24. ad Nabuchodonoſorum: *Quare Rex conſilium meum placeat tibi, ut peccata tua in juſtitiam mutes, & iniquitates tuas in miſerationem afflictorum: ſi futura ſit diuturnitas tranquillitati tuæ.* conf. *Pſalm. LXXXII*, 3. *ſeqq.* Proverb Salomon. *XIV*, 34. *XXV*, 5. Syracid. X. 8. Chorus apud Sophoclem Electra, *Summam juſtitiam dicit & optimam pietatem erga Deum.* Adde infra ſect. 2. §. 6.

XXXII. In ſubjecto, hoc eſt civibus, * *omnium præceptorum eſt maximum, ad hoc ut reſp. conſerventur, quod nunc plerique negligunt, id eſt, inſtitui convenienter rebuſpublicis. Nam legum utiliſſimarum & decretorum, quæ ab omnibus rempublicam gerentibus ſunt facta, nulla eſt utilitas; niſi ſint aſſuefacti & inſtituti in republicâ, populariter quidem, ſi leges ſint populares, obligarchicè verò, ſi ſint obligarchicæ.* V. Pol. 9. Euripides in Hecubâ:

Ἔχει

Ἔχει γὲ μὴν τοι καὶ τὸ θρεφθῆναι καλῶς,
Δίδαξιν ἐσθλὲ.
Namque educari providè, fons optima
Est disciplina.

Adraſtus apud eundem in *Supplicibus.*

Ἃ δ' ἂν μάθοι τις, ταῦτα σώζεσθαι φιλεῖ,
Πρὸς γῆρας· ὅτω παῖδας ἐυ παιδεύετε.
Quæ verò didicit aliquis, ea ſervare ſolet
Ad ſenectam. Sic bene inſtituite liberos.

* Inſignis eſt locus apud Joſeph. contra Apion II. ubi de Hebræorum educatione agit, & aliorum populorum ea in re errata notat. A bona educatione petendum eſt remedium contra licentiam fœminarum. Add. Iſocrates Areopagita *p.* 357. Apud Japonios fœminæ omnes ita informatæ ſunt, ut nunquam ſe rebus civilibus aut regimini immiſceant, nec de talibus maritos percontentur, vel aliorum nomine quicquam ab illis petant. Varenius *deſcription. Japon c.* 12. Apud Sinenſes idem obtinet. v. P. le Comte *nouveaux memoires ſur l'Eſtat preſent de la Chine ep.* 9. *p.* 59. Apud Sinenſes quoque unus eſt locus, per quem exteris in Sinenſe Imperium aditus datur, ſicut egredi ad externas oras ex eodem Imperio niſi per Cincæonem aliâ regione portum haut licet. H. Grot. *l.* 11. *hiſtor Belg. p* 428.

XXXIII. Ne quis nimis magnus fiat aut incivilis, *melius quidem eſt initio providere III. Pol. 9. & V. Pol. 3.* (1) *Quod ſi verò alicujus potentia videatur diſſolvenda: erit hoc ſenſim ac paulatim faciendum, nec univerſa ſimul auferenda. V. Pol. 11. & 8.* Athenienſes (2) oſtraciſmo utebantur. Nam decennale exilium civi indicebant, qui cæteros gloriâ, divitiis, exiſtimatione ſuperabat, ut ſine ſuſpicione in civitate retinendus non eſſet. Quemadmodum Plutarchus *in Niciâ* loquitur. Dictus autem oſtraciſmus ab ὀστράκοις h. e. teſtulis, in quas viritim à populo ſuffragia de tali viro conjiciebantur. de quo vide pluribus Ariſtot. *III. Pol. 9.*

(1) Pertinet huc πολιλαιώπολον illud Æſchyli, apud Ariſtophanem in Ranis, quo alluſit ad Alcibiadem, qui in urbe omnia

omnia poterat, cum de magiſtratu ei abrogando ageretur; de quo v. Nepot. *vit. Alcib. c.* 7. & Plutarchum *in Alcibiade*, ubi verſus hoſce adducit:

Catulum leonis nunquam in urbe nutrias;
Ipſum leonem nutrias multò minus.
Sin educaris, cenſeo ut morem geras.

conf. Florum *l.* 3. *c.* 23. Varios & ſubtiles modos atterendi alterius potentiam V. apud Forſtner. *ad* 2. *Ann. p.* 106. *ad p.* 251. Freinshem. *ad Curt. l.* 8. *c.* 1. *n.* 46. Machiav. 1. *ad Liv.* 52.

(2) Huic ſimilis Petaliſmus apud Syracuſanos, ſed brevi abrogatus, cum patum inde fructus conſequi animadverterent. V. Ubbon. Emmium *de rep. Syracuſana*. Add. Grotium *in excerpt. p.* 486

XXXIV. Contra egeſtatem facit, ſi (1) mercatura & opificia foveantur, aut (2) coloniæ deducantur. Quod à Carthaginenſibus cum fructu non parvo uſurpatum memorat Ariſtot. *II. Pol. 9. & VI. Pol. 5.*

(1) De commerciis matitimis eruditè diſſeruit D. Wetlhofius ſub præſidio H. Conringii.

(2) Coloniarum uſus eſt multiplex. De quibus utiliter legi poteſt Carolus Sigonius *l.* 2. *de antiqu. jur. Ital. cap.* 2. *ſeq.* ubi de Coloniis Romanorum agit. adde Machiav. *hiſt. Florentin. l.* 2. & *de Princip. cum animadv. Conringii.*

XXXV. In objecto civitatis, hoc eſt, regione, commendat Ariſtoteles (1) munimenta. *Non tamen eadem perinde omnibus reip. generibus ſunt accommodata. Etenim* (2) *arces paucorum potentiæ & unius Principatui conveniunt: loci æqualitas ſtatui populari apta eſt. Quorum neutrum in Optimatum republ. ſed plura loca natura munita deſiderantur.* ait Ariſtot. *VII. Pol. 11.*

(1) De numero arcium & munimentorum videndus Forſtner. *ad XI Ann Tac.* 19.

(2) Hinc arcem occupare, tyrannidis eſt ſignum, de quo Quintilianus *in Declamation.* V. de Piſiſtrato Aciopolin Athenis occupante Herodotum *lib.* 1. & alii, de quâ arce legendus Meurſius *in Cecropiâ* per totum opus.

XXXVI.

XXXVI. Formam civitatis eſſentialem in univerſum ſive communiter conſtituit concordia & ſumma poteſtas. *Videtur autem amicitia civitates continere, majorique quam juſtitiam latoribus legum curæ eſſe. Nam concordiam, quæ amicitiæ ſimillima eſt ac gemina, ſummopere expetunt, & ſeditionem ei inimicam omni ſtudio exterminant.* Ariſtot. *IIX. Eth. 1. Hinc danda eſt opera, ut Principum motus atque contentiones per leges caveantur, aut, ſi jam ortæ ſunt, ſtatim in herba ſupprimantur, antequam reliquos corripiant. V. Pol. 8.*

XXXVII. *Videbit autem ſummus Imperans, ut ſi non omnes, ſaltem principes civitatis, ſibi & reip. habeat faventes.* Ariſtot. V. Pol. 9. & VI. Pol. 5. & *maximè partis illius, quæ erga præſentem ſtatum eſt bene animata, rationem habeat.* Ariſtot. IV. Pol. 12. Hoc autem *commodè fit, ſi expertes reip. nullâ injuria afficiat, & præterea illos, qui cæterorum duces eſſe poſſunt, in rempubl. inducat: nec cupidos honoris lædat in his rebus, quæ ignominiam adferunt, multitudinem verò in iis, quæ pertinent ad lucrum. V. Pol. 8.*

XXXVIII. Poteſtas ſumma ad mediocritatem revocanda. * *Nam quo pauciorum rerum domini ſunt Rectores, eò longiore tempore conſiſtere neceſſe eſt omne imperium.* Ariſtot. *V. Pol. 11. ab init.* Hinc *d. l. c. 9.* inter præcipuè obſervanda collocat: *populo nullam facere injuriam.* Pertinet huc Heſiodeum illud dimidium plus toto. Videlicet ut ait Plato 3. de Rep. *cum totum accipere noxium fuerat, dimidium autem moderatum.*

* Conf. plur. Platon. *libr. 3. de LL.*

XXXIX. Reſpiciendum tamen ad genium populi. *Nam apud quosdam juſtum & utile eſt, ut herili dominatui, aliis, ut regno, aut populari imperio ſubſint. III. Pol. 11.*

XL. For-

XL. Formam eſſentialem in his vel illis partibus conſtituunt conſultationes, imperia (quorum ſpecies ſunt lex) & judicia. * In conſultationibus prævalere debet major ſuffragantium numerus: *Nam & in oligarchia, & in ariſtocratia, & in populari rep. quod majori eorum, qui reip. participes ſunt, parti viſum fuerit, ratum eſt.* Ariſtot. *IV. Pol. 8. & VI. Pol. 3.*

* Spenſerus apud H. Grotium *l.* 16. *Hiſt. Belgic. ad A.* 1608. dicebat: *remp. in qua jus plurium ſententiarum non valeat, virgini eſſe ſimilem, quam priſci auctores memorent diſcerpiam contendentium inter ſe rivalium manibus.* Rectè autem Ariſtoteles regnorum non meminit: nam ut Rex ſequatur plurium ſententiam, non eſt neceſſarium, & H. Grotius *lib.* 4 *Annal. Belgicor. ad Ann.* 1584. notat, morem, qui majoris partis decreta in quibusdam negotiis valere vetabat apud Belgas, ſub principatu haut imprudenter introductum, libertati periculoſum eſſe, ni pro jure ſuccedant prudentia & publici amor. Conf. Reinking. *Bibl. Polit. ax.* 64.

XLI. Utile quoque eſt, conventus populi inſtituere in rebus, quas odium comitari ſolet. * Hinc in aliis, etiam præter populares reſpublicas, populus ad conſultationes ſolet adhiberi. Exemplo ſit Cretenſium reſpublica apud Ariſtot. II. Pol. 8.

* Videndum tamen, ne populus aut primores populi hac occaſione in ſummi imperii jura irrepant. Ut factum in Polonia, ubi cum ſub Caſimiro Rege placuiſſet, binos è ſatrapiis ſive palatinatibus legatos ad comitia Petricovienſia mitti, qui decernendi in commune cum ceteris Regi moderati tributi poteſtatem haberent, hoc tum primum fieri cœptum ſic inolevit poſterioribus temporibus, ut ſine iis legatis ſeu nuntiis terrarum (ſic enim vocantur) nulla comitia legitima haberentur, neque tributum decerni, ac ne lex quidem ulla ferri poſſe videatur, & poteſtas eorum inſtar Tribunitiæ apud Romanos, vel Ephororum apud Lacedæmonios eſſe cœpit. Ut memorat Martin. Crometus *lib.* 27. *Rer. Polonic.* ubi in nimiam Nunciorum illorum licentiam graviter invehitur. V. quæ dixi part. 1. ſect. 10. §. 12.

XLII.

XLII. Imperiis opus est in omni civitate. Quæ verò necessaria sint, docet Aristot. *VI. Pol. 8.*

XLIII. *Generale autem est monitum & in populo, & in paucorum dominatu, & in principatu, & in omni republica, (1) neque augere valdè quempiam præter justam mensuram, sed curare, ut parvi potius & diuturni, (2) quàm ad breve tempus summi maximique in civitate conferantur magistratus.* Aristot. *V Pol. 8.*

(1) *In statu multitudinis & paucorum sæpe creari unum, in cujus manu sit dispensatio civitatis*, docet Aristot. III. Pol. 12. ab init. Sed tunc cautione opus est.

(2) *Nihil tam civile, tam utile est, quàm brevem potestatem esse, qua magna est*, ait Seneca 7. *epist. controv. 8.*

XLIV. De Legibus egregia sparsit præcepta Aristoteles. Nam * *in legibus salus reip. est posita.* Aristot. *I. Rhet. 4.* conf. Aristot. *III. Pol. 12.*

* *Imperia legum potentiora, quam hominum*, dixit Livius 2. *hist.* 12. Quod in aristocratia & politia maximè valet. Plura habet Gutackerus *ad l. 10. Antonin §. 25.* Apud Herodotum Demaratus Laco in oratione ad Xerxem, *Spartanis*, inquit, *præest domina lex, quam multò magis metuunt, quàm tui te* Euripides Supplicibus.

Οὐκ ἔστιν ὧδε κρεῖσσον, ἢ νόμοι πόλει
Καλῶς τεθέντες ὅ, τε γὰρ ἀφανὴς ὢν
Ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην ἔχει.
Νικᾷ δ' ὁ μείων τὸν μέγαν δίκαι' ἔχων.
Utilius urbi legibus nihil est bonis
Per quas potens pauperque tantundem ferunt,
Æqualitatis arbitro libramine:
Vincitque fretus jure majorum minor.

Sane *leges possessiones & cupiditates civium ad mediocritatem redigunt.* Aristot *II. Pol. 5. civitatem faciunt unam. II. Pol. 3*

XLIV. *Leges reip. sunt accommodandæ. III. Pol. 7. & IV. Pol. 1. in fine & V. Pol. 9. Neque enim fieri potest, ut eadem leges prosint imperio paucorum & statui multitudinis.* Aristot. *d. l.*

XLVI. Respiciendum etiam in legibus ferendis ad vicinos. Aristot. *VII. Pol. 2. in fine.* conf. *II. Pol. 4.* *

* Hoc

* Hoc obſervatum apud Hebræos. Hinc frequentiſſimè occurrit apud Magiſtros, quod quædam permittantur pacis ergo, & quædam prohibeantur propter motes Amorrhæorum ſive Ethnicorum, Ligtfoot. *Hor. Hebr. ad Act. Apoſt. XV*, 20. conf. *Exodi XIII*, 19. *XX*, 5. *Deuter. XIV*, 1.

XLVII. * *Leges moribus receptæ validiores ſunt, quam leges ſcriptæ, & de rebus majoribus. III.* Pol. 12.

* Pertinet huc Iſocrateum illud: δεῖ τὰς ἰυπολίτευμένους ἐ τοὺς τοὺς ἐμπιπλάνειν γραμμάτων, ἀλλ' ἐν ταῖς ψυχαῖς ἔχειν τὸ δίκαιον. *Qui bonâ republicâ frui velint, ii debent non literis implere pectus, ſed in animis quod juſtum eſt ferre.*

XLVIII. *In rebus ſp. bene conſtitutis, ut ſi quod aliud, maximè videndum, ne quid contra leges fiat, & exiguum maximè cavendum: occultè namque obrepit detrimentum: quemadmodum facultates parvis ſumtibus ſæpe iteratis conſumuntur.* V. Pol. 8.* Bene dictum ab antiquis: Οὐκ ὀλίγον τὸ παρ' ὀλίγον. *Non paulum eſt, quod paulatim fit.*

* Uſum hujus præcepti v. apud Suavem *l.* 7. *Hiſt. Concil. Trident p.* 775.

XLIX. * Nec ob quodlibet incommodum, ſed ob maximum leges ſunt mutandæ. *II.* Pol. 6. *Neque enim*, inquit, *mutando tantum quis conſequitur boni, quantum nocebit conſuetudo non parendi ſuperioribus.*

* Hinc ſemper curæ fuit legumlatoribus cavere, ut ne ſine gravi conſilio leges mutarentur. Apud Locros, qui volebat novam legem ferre, ſuadens eam cogebatur dicere collo in laqueum inſerto, ut, ſi placeret lex & judicaretur utilis eſſe, dimitteretur ſuaſor incolumis, laxato laqueo: ſi non placeret, adſtricto laqueo mox ſtrangularetur. Quam legem tulit Zaleucus, & leges à ſe latas immane, quantum communivit. v. Demoſthenes *oratione contra Timocratem.* Ubb. Emmium *de Republic. Locrenſium.* Idem de Thuriis refert Diodor. Siculus *l.* 12. Eandem ob cauſam Leges Moſaicæ quolibet ſeptimo anno prælegebantur. Deut. XXXI, 10. 11. & nunc apud Suedos quotannis. Loccen. *Exercit. jur. Sued.* 1. §. 26. Similia inſtituta Venetorum, Florentinorum, Spirenſium, V. apud Lehmann. *Chron. Spirenſ. l.* 5. *c.* 62. Mevius *part.* 5. *Dec.* 229. *n.* 6. Auguſtinus: *Conſuetudinis mutatio quan-*

quantum utilitate adjuvat, tantum novitate perturbat. v. Differt. de lege clauſulâ ne abrogari poſſit mouit. §. 2

L. * *Velle eſſe ſapientiorem legibus, iis legibus prohibetur, quæ in maxima ſunt commendatione.* Ariſtot. *I. Rhet. 15.*

* *V. l. 21. de LL. l. 91. § 3. de V.O. l. 12. qui & à quib. manum.* &c. Pertinet huc memorabilis, à Platone (qui *l. de LL.* interdicit junioribus, ne quærant rectene annon rectè poſitæ ſint leges, ſed rectè eſſe poſitas omnes, uno ore cenſentur) etiam celebrata, lex Minois, quâ juvenibus inquirere in leges patrias, bene aut ſecus habeant, interdictum, præceptum verò ut nonniſi, tanquam quæ ſanctæ ac venerabiles ſint, de iis ſentiant loquanturque: Senibus verò permiſſum, ſi quid ipſis ſuccurreret quod huc pertineret, ut id ſubmotis juvenibus ad magiſtratus & æquales ætate referrent. Quo modo Legislator legum majeſtati conſulere voluit. Ubbo Emmius *de Republ. Cretenſ.*

LI. De judiciorum conſtitutione rectâ nulla reliquit præcepta Ariſtoteles, niſi unum, quod præcipuè ſpectat ad ſtatum popularem, in *VI. Pol. 5.*

LII. Ad formam accidentalem, & quidem ad pacem pertinet, quod eſt V. Pol. 8. * *Decent, qui reip. curam gerunt, terrores injicere civibus, ut vigilent, & tanquam nocturnam vigiliam non deſerant reip. cuſtodiam: atque, quod procul, facere prope.*

* Mala enim homines conciliant, ut ſupra *part. 1. ſect. 2. §. 3.* ex Ariſtotele diximus.

LIII. Ante bellum cum Eubulo apud Ariſtot. *II. Pol. 5.* cogitandum, *ut ratio ſumtuum ineatur, iique ad vires adverſarii comparentur.*

LIV. Cauſa efficiens civitatis principalis eſt ſummus Imperans. Heic notandum inſigne Ariſtot. *II. Pol. 9.* monitum: *Quodcunque apud Principes in prætio fuerit, eandem exiſtimationem apud reliquos cives conſequi neceſſe eſt.* *

* Ciceto epiſtolâ ad Lentulum: *Quales ſunt in republicâ Principes, tales in eâ ſolent eſſe cives.* Idem III. de Legibus 14. *Non tantum malum eſt peccare Principes (quanquam*

eſt hoc magnum per ſe ipſum malum) quantum illud, quod permulti imitatores Principum exiſtunt. Nam licet videre, ſi velis replicare memoriam temporum, qualescunque ſummi civitatis viri fuerint, talem civitatem fuiſſe: quacunque mutatio morum in Principibus exſtiterit, eandem in populo ſecuturam. &c. Quo pernitioſius de republicâ merentur vitioſi Principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem: neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpantur, plusque exemplo, quàm peccato nocent. Egregiè Nic. Burgundus *l.* 3. *hiſt. Bavar. Innocentia ſubditorum ſita eſt in regnantium pietate. Talis populus, qualis Princeps. Quicquid delinquunt faſtigia exemplo diffunditur, & ſuis moribus multitudinem inquinant.* V. *I. Reg. XIV*, 16. & ibi dicta veterum in notis H. Grotii, Tacit. III. *Annal.* 55.

LV. Imperantes præcipuè abſtineant ab injuriis: *nam improbi vix volunt aliquid moliri, ſi nullam injuriam acceperint.* II. Pol. 5.

LVI. Cauſa efficiens minus principalis ſunt adminiſtri reip. & inſtrumenta cœtera: *Tria autem oportet eos habere, qui magnos gerunt magiſtratus: primum quidem amorem erga ſtatum præſentem; deinde maximam facultatem ſive peritiam inſignem civilia obeundi munia; denique juſtitiam reip. ſtatui accommodatam.* V. Pol. 9.

LVII. Plures uni magiſtratus non concedendi. Nam ſingula à ſingulis rectius curantur. II. Pol. 9. & IV. Pol. 15. *ubi hoc limitat in parvis civitatibus.* conf. I. Pol. 1.

LVIII. *Maximum eſt in omni republicâ, & legibus aliisque inſtitutis eam ita eſſe conſtitutam, ut ex eâ magiſtratibus non liceat quæſtum facere.* V. Pol. 8. ubi hoc in dominatibus paucorum maximè ſervandum ait.

LIX. Magiſtratus, inprimis ſummos, abdicare non fiat ex voluntate, ſed ſecundum leges. *II. Pol. 8.* *

* Hoc præceptum maximè valet in civitatibus policraticis.

LX. In

LX. In rep. regulari præstat miles lectus. * Huc pertinet dissertatio Aristotelis *II. Pol. 6.* qua improbat distinctionem civium in agricolas, opifices, & milites, quæ in Ægypto & Cretâ usitata fuit. conf. *VII. Pol. 10.*

* Ita sanè est in rep regulari. Nam in quibusdam aliis mercenarius præstat miles. V. Herm. Conring. *in animadv. ad Machiav. Princip. c.* 11. *&* 12. incomparabili solertia hoc argumentum tractans.

LXI. *Pecuniarum copia desideratur ad usus & civiles & militares. VII. Pol. 8.* Hinc modos augendi ærarii nosse prodest iis, qui versantur in republicâ; & nonnulli qui operam dant reip. hoc tantùm curant unicè. *I. Pol. 7.* Huc pertinet monopolii institutio, de quo Aristot. *d. l.* Quod verò Aristoteles bona damnatorum non in fiscum sed in sacros redigi usus vult, *VI. Pol. 5.* non tantum in politiis, * verum etiam in aliis rebusp. bene constitutis utile est.

* Hoc Nobilium ordo commendat Regi Gall. apud Thuanum *l. XXVII. ad A.* 1560. conf. Goldast. *de confisc. bonor. ad sag. pertin.* §. 57. *seqq.* §, 107.

SECTIO SECUNDA.

DE CIVITATE EX VOTO OPTIMA.

I. UTilitas hujus doctrinæ.
II. Ejus FINIS.
III. OBJECTUM.
IV. FORMA.
V. EFFICIENS.
VI. Est autem CIVITATIS EX VOTO OPTIMÆ FINIS, VIRTUTUM exercitium cum rerum sufficientia copulatum.
VII. SUBJECTUM PRIMARIUM SUNT CIVES, quorum PRIMA est DIVISIO in originarios & adscriptos. Illorum potissima in hac civitate ratio habenda.
IIX. Hinc domus sive familia rectè formanda. Et quidem in societate conjugali conjuges habeant gignendi facultatem.

IX. Et ætatem commodam.
X. Societas autem hæc sit rectoria.
XI. Individua.
XII. Incommunicabilis.
XIII. In societate paterna præcepta ex Aristotele adferuntur, quorum tamen aliqua ad Oeconomicen pertinent. V. §. §.
XIV. XV. XVI. XVII. XIIX. XIX. XX. XXI. XXII.
XXIII. ALTERA civium DIVISIO est à bonis animi, corporis & fortunæ. A bonis animi sint pii.
XXIV. Et virtutibus motalibus prædiți.
XXV. XXVI. XXVII. Temperantes & tenui victu utentes.
XXIIX. Modesti.
XXIX. Benigni.
XXX. Non artifices rerum humilium, non agricolæ, non pastores, ex doctrina Aristotelis, quæ expenditur.
XXXI. Venatores esse, nihil vetat.
XXXII. Non sint mercatores.
XXXIII. Non fœneratores.
XXXIV. Gymnasticen colant.
XXXV. Sint petiti musices.
XXXVI. Et grammatistices.
XXXVII. Et graphices.
XXXIIX. De civium bonis corporis nihil legitur in opere Aristotelco.
XXXIX. A bonis fortunæ cives sint medii.
XL. TERTIA civium DIVISIO est in paucos & numerosos. Hinc qualem civium numerum esse conveniat, disquiritur.
XLI. QUARTA civium DIVISIO est in singulos, & collectos in universitates. Ad has pertinent scholæ.
XLII. Nec non comœdiæ & tragœdiæ.
XLIII. Συσσίτια apud Græcos.
XLIV. SUBJECTUM SECUNDARIUM sunt (1) regio, quæ debet esse tei nullius indigens.
XLV. Opportunè collocata.
XLVI. Et mari adsita sec. Aristot.
XLVII. (2) habitationes, quò pertinent urbes.
XLIIX. (3) Bona cœtera, quæ potius sint propria, quam communia.
XLIX. Sint etiam sacra quædam & publica.
L. & LI. Proprietas autem bonorum non sit omnino libera.
LII. Hinc modus possessionum sit circumscriptus, & alienationes veritæ.
LIII. Hereditates non testamento sed cognatione deferantur.
LIV. Fœminis dos nulla vel exigua detur, neque jus successionis iis competat.

LV. Re-

LV. Reliqui liberi æqualiter succedunt, & post hos agnati.

LVI FORMA civitatis consistit *in summa potestate & subjectione.*

LVII. Summæ potestatis finis sit salus promiscua summi Imperantis & eorum qui reguntur.

LIIX. Quodnam ejus subjectum esse debeat, ambigitur.

LIIX. & LIX. De forma essentiali partiali, ut & de accidentali, nihil repetitur in opere Aristoteleo.

LX. CAUSA EFFECTRIX sunt summi Imperantes, & eorum administri. In Imperantibus eligendis ad profectam ætatem respiciatur.

LXI. Miles sit potius lectus, quam mercenarius.

LXII. Inter præmia laudati meretur, quando eorum, qui pro patria cecidetunt, liberi è publico aluntur.

§. I.

UT mala, de quibus præcedente sectione diximus, aliâ ratione & quidem radicitus extirparentur, existimarunt prudentes, animo concipiendam esse civitatem, quæ ab omni congenitâ humano generi labe atque imperfectione semota intelligatur. Et quemadmodum in domo exstruendâ partim ad ea attenditur, quæ eam firmiorem reddunt, partim quæ elegantiorem: ita in condendâ civitate videndum, ut ea tum sit firma ac valida, tum venusta & elegans. Proinde inter species civitatum Optima ex voto, velut naturæ ordine prima & cæterarum exemplar, * primô loco consideranda.

* Planè ut Aristoteles post librum tertium egit de Optimâ republicâ, licet nunc ætatis vitio inversus sit ille ordo. V. Pædiam 6. 17.

II. Finis autem hujus disciplinæ est, non ut civitas talis ex omni parte in usum deducatur, quod in Campaniâ olim frustra molitus est Plotinus, memorante Porphyriô *in ejus vita*, verum ut eam velut in exemplum intueamur: Planè *ut Romani Nobiles, qui se reip. parabant, Xenophontis librum de Agesilao cum*

ejusdem * *Cyropædia legebant, unde exemplum caperent, quod sequerentur*, ut auctor est Cicero *l. 1. ep. ad fratr. 2. Non enim dubitandum, quin meliorem civitatem necesse sit esse, quæ huic maximè est propinqua.* Aristot. IV. Pol. 12. in fin. v. Thuan. l. 29. p. 585. ad A. 1562. *Et satis felix erit, quæ in aliquam ejus partem est recepta.* quod de eloquentia dixit Seneca *proœm. lib. 3. controv.* In vetere versu est:

Amare liceat, si potiri non licet.

* Quem librum æmulatione Platonis operum de Rep. & LL. scriptum à Xenophonte, tradit Gellius *lib.* 14. *N. A. cap.* 3.

III. Objectum sunt omnes civitatis partes, per quas circumferendus animus. Neque enim satis erit, quod multis hodie persuasum, formam tantum reip. optimam efformari. Rectius dixit Aristot. II. Pol. 4. *Politico civitatem conditurο tria spectanda, regionem, homines, & vicina loca.* Quanquam ne sic quidem omnia dixit. Verè quoque Polybius l. 6. histor. 45. *Ego duo principia sive fundamenta esse autumo cujuslibet reipublicæ, propter quæ forma illius & constitutio vel optanda censeri debeat vel fugienda. Et optanda quidem illa sunt, quæ & civis cujusque vitam privatam sanctam reddunt & castam, & publica civitatis instituta mansueta ac justa: fugienda verò, quæ præstant contrarium.* Planè ut Plato *VI. de Republ.* ad duo voluit respici, modo ad illud, quod suapte naturâ justum, pulcrum, moderatum, cæteraque id genus omnia: modo ad alterum, quod inter homines elaborant simulacrum, ita suis ex studiorum officiorumque rationibus conflantes atque temperantes, ut illud semper imitentur, quod Homerus ipse quoque insitam impressamque hominibus divinam speciem & imaginem appellavit, & humanos mores quam

quam maximè fieri poteſt Deo caros acceptosque reddunt.

IV. Forma conſiſtit in operatione mentis, quædam ſc. quæ fortunæ bona ſunt, ſupponente, quædam, quæ conſilii ſunt, inſtituente. V. Ariſtot. *VII. Pol. 13.* modo teneamus quod idem dixit *II. Pol. 4. & VII. Pol. 4.* initio, *ſupponere licere, dummodo res non ſit impoſſibilis*, qualis eſſet, ſi quis arces in aëre ædificandas ſuaderet. Optimum verò videtur, ſi quis hujusmodi ſpeciem inſtar ſingularis alicujus civitatis conſideret, & in eam, quicquid in aliis civitatibus pulcherrimum eſt excellentiſſimumque, transferat, & cooptet, quemadmodum Xeuxis, cum Helenam pingeret, incluſam habebat in animo pulcerrimam mulieris ſpeciem, collectam ex optimis exemplis. Qua in re uſui inprimis eſſe poterit reſp. Hebræorum à Deo ipſo condita, & ſapientiſſimis inſtitutis exornata. Dicere enim de hac optimo jure licet, quod de Romana Livius ingreſſu hiſtoriæ eloquitur: *Nulla unquam reſpublica nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Eodem retuleris Platonis illud VI. de Republ. negantis Remp. *aliter felicem futuram, niſi eam Pictores illi, divinum exemplar intuentes, informaverint.*

V. Efficiens ſunt Philoſophi, quos Cicero architectos reip. ædificandæ dixit. Primus autem Plato fuit, qui in libris *de republica* finxit quandam ex ſuo ingenio rempublicam, nullo ad homines reſpectu. Nam ipſe *lib. 9. de rep. circa extrem.* fatetur, *rempquam condidiſſet, in verbis tantum reperiri, in terris verò nuſquam extare.* Hinc aliam in libris de Legibus deſcripſit, quam vocat ἐξ ὑποθέσεως rempublicam, quoniam major ibi habetur ratio ejus fortis, quâ humanum genus poteſt frui. Platonem νομοθεσίαν Moſis imitatum, eruditè obſervavit Huetius

prop. 4. D. E. c. 2. §. 14. Ad exemplum Platonis Cicero se composuit conscriptis itidem duobus voluminibus, alterô *de republ.* alterô *de legibus.* Verùm prioris vix quicquam superat præter somnium Scipionis, ex quo divinô fragmentô satis conjectare licet, quantum eruditionis & industriæ universo operi fuerit impensum; posterioris tres supersunt libri item mutili. Aristoteles eandem disciplinam tractavit in volumine de *republicâ.* Verùm in hoc & libri aliquot injuriâ temporis perierunt, tractantes de civitate optima, & qui superant loco moti sunt, cum series ipsa ostendat libro quarto, quinto & sexto præcessisse septimum atque octavum. V. omnino H. Conring. *introduct. c. 5. & 6.* Vidit hoc Cyriacus Strozza, & libris duobus jacturam sarcire conatus est, ut tamen eruditis non satisfaceret. Superiori seculo Thomas Morus, Cancellarius Angliæ, imaginem hujus civitatis depictam dedit in *libro de Utopia secundo.* Josua Glamvillius, pariter Anglus, Baconis exemplo remp. confinxit quam appellavit Anti-fanaticam. Idem molitus est Baco de Verulamio *in Atlantide novâ*, verum quod instituerat, non absolvit. Thomas etiam Campanella civitatem Solis descripsit, hoc est, ideam reip. longè præstantiorem Platonicâ, ut ipse gloriatur *de recta ratione studior. c. 1. art. 3.* an ex verô, vel ex hoc colligi potest, quod monstrosam mulierum communionem inter præcipua ejus instituta collocavit. Anno seculi hujus quadragesimô octavô in Angliâ prodierunt libri sex, sub titulo *novarum Solymarum*, de quorum instituto liber tertius circa extrem. legatur; quanquam ad hanc rem, quæ de institutione liberorum habet, & pauca alia tantum commendari mereantur. Jacob. Harringtoni Oceanæ Respublica A. MDCC. Londini edita v. *Act. Eruditor. Lipsienſ. A. 1701.*

A. 1701. mens. Januar. p. 45. seqq. Pertinet etiam huc historia Sevirambium, quæ Anglicè, Gallicè, Belgicè & Germanicè translata exstat, atque ita scripta est, ut lector incautus facile crediturus sit se veram historiam legere. Omeisius, Prof. Altorf. latinè descripsit hanc Remp. sub titulo insulæ fortunatæ. In Germaniâ extant Joannis Valentini Andreæ *Christianopolis*, & *Peregrini errores in patria.* Adde his *Characterem beatæ reip.* D. Andreæ Bosii, & quæ præclarè disseruit Benedictus Gustavus Carlströhm, Præside H. Conringio, *de recta in republica optima educatione.* Partem etiam hujus doctrinæ, nimirum optimam judiciorum rationem, tradere instituit quidam Octavius Pisanus *Lycurgo Italico*, sed ineptissimè.

VI. Verùm age instituta civitatis ex votô optimæ ex Aristoteleô opere colligamus. *Qui autem de rep. tali rectè volet disputare, ei ante omnia definiendum, quæ vita sit maximè expetenda: eô namque ignotô, ut optima quoque ignoretur respubl. necesse est*, ait Aristot. *VII. Pol. 1.* Finis igitur reip. optimæ est, *ut quisque secundum virtutes operetur, & tantum habere possit, quantum ipsi satis est. VII. Pol. 2.* Inter virtutes præcipua est pietas in Deum, quæ virtus cæteras omnes ex se parit, neglecta multis gentibus, maximi autem facta ab Hebræis sapientibus, ut (1) Josepho notatum est. Hinc Plato sanctissimè admonet, εὐσέβειαν εἶναι σπόπον, ὃ δεῖ στοχάζεσθαι τὸν νομοθετοῦντα. (2) Non verò lata dominatio, ut Arist. *d. l.* pluribus argumentis eleganter demonstrat. (3) Non voluptatis aut superfluarum divitiarum studium. V. *l. Pol. 5. & 6.* ubi ostendit, divitias non esse in infinitum quærendas. Cæterum civitas hæc etiam ad usum & disciplinam militarem instituenda est, non tamen ut finem ultimum in eo ponat. v. Aristot. *II. Pol. 5. & VII. Pol. 2.*

(1) Verba Joſephi ſunt altero contra Apionem. *Puto evidens fore, ad pietatem, praterea ad juſtitiam & ad tolerantiam laborum, mortisque contemtum optimè factas leges nos habere.*

(2) V. ad Ariſt. *d. l.* Piccart. *in comm.* Forſtner. *ad IV. A.* 32. Cicero I. de officiis. *Sed cum plerique*, inquit, *arbitrentur, res bellicas majores eſſe, quam urbanas, minuenda eſt hac opinio.* quod pluribus ibi perſequitur. Seneca I. de clement. ult: *Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulcriusque eſt, quam corona illa ob cives ſervatos: non hoſtilia arma detracta victis, non parta bello ſpolia, non currus barbarorum ſanguine cruenti.* Hinc Ariſtot. II. *Pol.* 7. & VII. *Pol.* 14 in vitio ponit, quod Laconum diſciplina tota ad vim bellicam reſpexerit. Andromache apud Euripidem in ejus nominis Tragœd â:

Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποις ἐχθίστοι βροτῶν,
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
Ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
Ἑλικτὰ, κἀδίκ' ὑγιὲς, ἀλλὰ πᾶν πέλας
Φρονοῦντες, ἀδίκως εὐτυχεῖτ' ἂν εἰκάθε.
Τίδ' ὧδε ἐν ὑμῖν ἐστιν; ἢ πολίταις φόνοι;
ὦδε ἀισχροκερδεῖς; ἢ λέγοντες ἄλλ' μὲν
Γλώσσῃ, φρονοῦντες δ' ἄλλ' ἐφευρίσκεσθ' ἀεί.
O omnibus hominibus inimiciſſimi mortalium,
Sparta incola, doloſa conciliabula,
Mendaciorum principes, fraudulenti ſutores malorum;
Tortuoſa & nihil ſani, ſed omnia ſubdolè
Circumſpicientes, immerito floretis in Gracia.
Quid ſceleris non eſt in vobis? nonne plurima cades?
Nonne turpis quaſtus cupidi eſtis? nonne alia quidem dicentes
Lingua, alia verò ſentientes deprehendimini ſemper?
En pulcher character hujusmodi civitatum!

Obſervandum & illud de eadem Spartanorum Republica, cum ea ſuis contenta erat, manſiſſe illius rempublicam immotam. Add. Æſchyl. apud Grot. *excerpt. p.* 24. Poſtquam verò vicina affectare cœpit, & paulatim pluribus bellum faciendo imperium in alios quærere, in varias murationes incidiſſe, quas expoſuit Cragius *l.* 1. *de Republ. Lacedam. c.* 4. v. omnino Forſtner. *ad XI. Ann. Tacit p.* 124.

(3) V. pl. Herm. Conring. *in Diſſert. de rep. veter. German.*

VII. Sub-

VII. Subjectum primarium cujusque civitatis ſunt cives. Hinc prima eſt diviſio in originarios & factitios. Ubi commendanda eſt inſignis ſententia Ariſtotelis I. *Rhetor.* 5. *Genti & civitati nobilitas eſt* (i. e. magnificum) *ſi cives ex ipſo ſolo progeniti ſunt ſive antiqui.* Quacum convenit Iſocratis illa *in ſociali.* * *Ea demùm civitas felix eſt habenda, non quæ è promiſcua hominum colluvie multos cives temerè colligit, ſed quæ antiquiſſimas & primas familias maximè conſervat.* Publicè enim intereſt, ut dignitas familiarum ſalva ſit *l.* 1. §. 13. *de ventr. inſpiciendo.*

* Hac in re nullus eſt populus, qui contendere potuerit cum Hebræis, apud quos eam ob cauſam laterculi ſive tabulæ genealogicæ cuſtodiebantur, quorum memoria eſt *Ezræ.* II. 62. *Neh.* VII. 5. & 64 V. Selden. *l.* 1. *V. H. c.* 7. Eo nomine etiam temp. Athenienſem laudat Euripides Erechteo:

Πρῶτα μὲν πόλιν
ἐκ ἄν τιν' ἄλλην τῆς δὲ βελτίω λαβεῖν
Ἡ πρῶτα μὲν λεὼς ἐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν,
Αὐτόχθονες δ' ἐφυμεν. αἱ δ' ἄλλαι πόλεις
Πεσσῶν ὁμοίως διαφοιτῶσαι βολαῖς.

Primùm Urbem meâ
Reperire quæ ſit melior, haut uſquam licet:
Cui non coactus populus alieno ex ſolo,
Indigena ſed gens: cætera, ſcrupi velut,
Urbes loco mutantur, ut jactus tulit.

Romani quoque ſtudebant, *ut populus à ſervili colluvione incorruptus ſervaretur.* Sueton. *in Auguſto c.* 40. Quod Græcis Imperatoribus poſtea curæ non fuit, Ægyptii, forte non ſine jactantia, omnes æque Nobiles in Ægypto eſſe cenſebant, teſte Diodoro Siculo *l* 1. *Biblioth.*

IIX. Jam cum *familiæ potiores fere civitatis partes ſint* 1. *Pol.* 3. *ab init.* earum inſtituta nobis ſunt conſideranda. Et quidem in ſocietate conjugali primum eſt, ut uterque conjux habeat gignendi facultatem. Nam ſi alteruter eâ deſtituatur, *id ſeditiones inter ipſos & lites gigneret* 7. *Pol.* 16. Jam verò Liberi communes vinculi cujusdam inſtar obtinent,

nent. Itaque citius diſſolvuntur, qui liberis carent. Ariſtot. IIX. *Eth.* 14.

IX. Hinc ætatis quoque ratio haberi debet. (1) Nam properata Venus officit robori & maturitati corporum in liberis & parentibus: unde obſervamus, partus hujusmodi plerumque eſſe imperfectos, puſilli corporis & ſequioris ſexus; laborare magis in partubus adoleſcentulas & plurimas interire. Porro ſera Venus facit ad temperantiam; (2) è contrario præpropera homines reddit intemperantes, nimis verò ſera impedit educationem liberorum, neque ii ætate rudes parentibus ſenio confectis opitulari poſſunt. Quas rationes plerasque attulit Ariſtot. VII. *Pol.* 16. (3) qui terminum ætatis in maſculis ſtatuit triginta ſeptem, aut paulò plus minusvè, in mulieribus decem & octo annos. Lycurgi inſtitutum ut nonniſi robuſtæ & grandes puellæ nuptum collocarentur, magis naturale ad liberorum procreationem eſſe quam Romanorum, obſervavit Plutarchus comparatione Lycargi & Numæ.

(1) Conf. Plato. *l.* 4. *&* 6. *de LL.* H. Conring. *libr. de cauſis antiqui & novi habitus corpor. Germanicorum.*

(2) Properatam Venerem non tantum animo ſed & corpori officere, effœtos ſenes facere, obſervarunt Cicero *libro de ſenectute* Ariſtotel. VII. *hiſtor. animal.* 1. Adde Morum *l.* 2. *Utopiæ.*

(3) Voluit ergo Ariſtoteles legibus determinari, quo tempore mas & fœmina ad generandum conveniant. Ubi arbitramur, ſuaderi id quidem poſſe, at magis laudandam ſummi in Hebræorum republica Legislatoris ſapientiam, qui Hebræis nullam talem legem præſcripſit. Et ſanè hoc legibus præſcribere fere videtur impoſſibile, propter ingentem corporum ac animorum diverſitatem: quoniam eorum alia citius, alia ſerius procreationi apta redduntur. In Imperio M. Mogolis mares 10. & fœminæ 8vo ætatis anno ineunt matrimonium & procreant liberos. teſte Thevenole. v. Journal. des Sçavans A. 1685 p. 173.

X. So-

X. Societas hæc sit rectoria, ubi primas habeat maritus: *nam licentia fœminarum non congruit civitati optimæ.* Ut sub exemplo Laconum docet II. *Pol.* 7. conf. V. *Pol.* 11. ubi observat, muliebria imperia tyrannidi convenire.

XI. Sit quoque individua. Et perperam Minos divortia permisit, ne multitudine liberorum laboraret respublica.

* Multa enim sunt incommoda divortiorum. Hinc Plato reprobavit *XI. de LL.* In Insulis fortunatis infamia puniebantur, ut auctor est H. Grotius *l.* 8. *Histor. Belg.* conf. *Malach. II.* 14. 15. Apud Romanos divortia inter licita quidem, sed tamen non honesta habebantur. v. Valer. Maximum. *l.* 2. *c.* 1. *& c.* 9. Apud Persas quidem libera sunt divortia, sed tamen ils rarius utuntur. v. Equitis Chardini *Voyage en Perse p.* 129. les Siamois peuvent se separer du consentiment des deux parties & se pourvois comme il leur plait. L'Abbé de Choisi Journal du voyage de Siam. Journal des Sçavans A. 1686. p. 309.

XII. Denique sit incommunicabilis. Hinc Platonica mulierum communio (1) (si modo Plato eam asseruit) (2) rectè reprobatur ab Aristotele II. *Pol.* 2. Hinc (3) *cum alio vel aliâ consuetudinem habere, dum conjuges erunt & vocabuntur, in rebus turpissimis habeatur.* Aristot. VII. Pol. 16. circa extrem.

(1) Bessario *l.* 4. *in calumniator. Platon. c.* 2. mitigavit ejus sententiam, refutatus propterea à Joanne Baptista Crispo *in quinario primo de Ethnicis cautè legendis.* Fœminas adulteras dogmate Platonis de communitate mulierum se defendere solitas, testatur Artianus. Apud Hunnos ea fuit, teste Ammiano l. 31. c. 2. addens: *Nullus apud eos interrogatus respondere, unde oritur, potest, alibi conceptus natusque procul & longius educatus.* conf. Lactant. *l.* 3. *divin. Inst. c.* 21. *seqq.*

(2) Plutarchus licet *in Lycurgo* morem commodandarum uxorum Laconibus usitatum laudet; Elegantèr Grotius *in Sophompan.*

Fortu-

Fortunata domus, quam pari li fide
Indivulsa regit copula conjugum.
Fert vultu soboles patris imaginem:
Gaudet casta suo teste puerpera:
Nec vir, barbarica more potentiæ,
Noctes multiplici fœdere dividit,
Litesque atque odium seminat in domum.
Unam totus amat.

(3) Hinc pœnæ adulterii apud populos. Yuca Pachacatea in Peruviano Imperio edixit adulteria esse capitalia, Ut & libetorum matrimonia citra parentum consensum esse irrita, teste Garcilasso de la Vega *in commentar. regiis.* Apud Tataros Precopienses, adulteria, quæ luxum consequi solent, capite puniuntur. Thuan. *l.* 67. *ad A.* 578. In regno Japoniæ, si fœminam vel secretum cum aliquo sermonem habuisse constet, morti ea fit obnoxia, & maritus mortem utrique infetendi jus habet. Unde adulteria hac in gente ratissima sunt, teste Bernardo Varenio *descript. regni Japon. c.* 13 Apud Persas uxor adultera ex altô templi præcipitatur. Virgini, quæ copiam sui facit, capilli abscinduntur, fœdatutque facies; adhæc ea asino imponitur, vultu ad hujus caudam obverso, & parentes eandem occidendi potestatem habent, ut nuper tetulit Auctor de l' Estat present du Royaume de Perse. Vandalos gladio impudicitiam coercuisse testis est Salvianus *l.* 8. *de gubernat. Dei p.* 292. De veteribus Germanis nota sunt quæ scripsit Tacitus *de M. G. c.* 18. Sanè si mulier ligata cum alio consuescat, facit primum contra pacta & conventa, adeoque tanquam legis violatrix punienda: deinde injuria & magno proprium maritum afficit incommodo, alienos ipsi subjiciendo liberos. v. Sinaiden XXIII, 33. sequ. quos alere is cogitur: præterea facit suspectos libetorum suorum natales, ut maritus quo deberet amore eos non prosequatur; nec possibile est ut maritus talem uxorem amet, quam scit peregrino amore duci & vagis libidinibus detineri. Postremum hac tatione lædirut integritas familiarum, quod quantum mali habeat in republica, norunt prudentes & docent historiæ. Add. mulieres adulteras plerasque veneficas. Ausonius epigr. 10. in Eunapinam:

Toxica Zelotypo dedit uxor mœcha marito.

v. Henel. de dotalit. p. 352. Si veto matitus cum soluta consuetudinem colat, amor conjugum minuitut, nam perit amicitia

citia in plures diffusa, ut ait Plutarchus περὶ τῆς πολυφιλίας, & vehementer amare inter paucos locum habet, secundum Aristot. IX. *Eth.* 10. & turbatur societas domestica. Accedit maritum alienis amoribus rem familiarem impendere, blandimentis scortorum ad animos sibi devinciendos efficacissimis, unde neglectus educationis & rei familiaris angustia. Verè Agrippina apud Tacitum: *neque enim perinde à parentibus liberi, quam ab impudica adulteri mutantur.* Idem Tacitus: *animo*, inquit, *per libidines corrupto nihil honestum inest.* V. Henel. *de Dotalit. c.* 10. §. 1. *& sequ.* Selden. *l.* 3 *Ux. Hebr. c.* 12. In Japoniâ mariro nonnisi una uxor est. Habet tamen Dagris privilegium ut possit duodecim ducere, & concubinas sine numero. ex libro cui titulus Ambassades de la Compagnie Hollandoise vers l' Empereur de Japon. Journ. des Sçavans. *A.* 1687. *p.* 149. *sequ.*

XIII. In societate parentum cum liberis hæc præscribit Aristot. (quanquam nonnulla in œconomicis rectius traderentur.) * Parentes hyeme potius liberis procreandis operam dent VII. *Pol.* 16.

* Admitti hoc potest hactenus, ut suadeatur, non ut Legibus definiatur: nam talia sub deliberationem politicam non cadunt, nec tanti sunt ad civilem vitam; jam & sine valetudinis dispendio ventis aliis flantibus iniri matrimonia, testatur experientia. Fac autem legem omnino necessariam, tamen inter illa, quæ suaderi possunt, etiam est, ut ne gravati vino & cibo partes naturæ jussa exsequantur, nec intra secretiores thalamos depictas habeant deformes monstrosasque figuras, denique ut nimiam congrediendi consuetudinem fugiant, ceu quæ animum pariter & corpus enervat.

XIV. Prægnantes curam gerant corporum, * non desidiæ deditæ. neque tenui alimento utentes. *d. c.* 6.

* Eam in rem dedit Aristoteles consilium de templo aliquo extra urbem consecrando, quod prægnantes adire teneantur. Verum id meliori potest permutari, si Legislator reipublicæ bona ita distribuat, ut nemo opibus affluat, sed victum cogatur ex agro quærere. Tum enim non minus fœminæ quam viri cogentur laborare, quo & victus parari & valetudo conservari possit. Ita sanè Deus ipse Rempublicam suam instituit, ut ci-

ut civibus neceſſum fuerit victum labore, quamvis non moleſto, ſibi parare.

XV. Si quid mancum aut debile naſcitur, * exponatur *d. c.* 16.

* Hoc impium & crudele eſt, & tectè reprehenditur à Philopono *libro contra Proclum de ætern. mund. c.* 9. In debili enim corpore animus ſæpe eſt præſtantiſſimus; quæ præſtantia animi multum prodeſſe reip. poteſt: deinde debilitas in infantibus procedente ætate ſæpius corrigitur. Poſtremùm licet tales non ſint in numero civium habendi, non tamen ſequitur, eos exponi debere. Apud Hebræos tantùm a Pontificatu, qui mutilato erat corpore, excludebatur. Strabo inter Ægyptiorum laudatos maximè mores eſſe ſcribit, quod ptolem omnem educant, *l.* 17. *Geograph.* Apud Thebanos etiam expoſitio legibus erat prohibita, teſte Æliano 2. *Var.* 7. Tribunus apud Livium l. 7. *c.* 4. ajebat: *ne mutas quidem beſtias minus alere ac fovere, ſi quid ex progenie ſua parum proſperum ſit.* Et tamen apud Romanos, ut & alias gentes, moribus receptum erat prolem nimis creſcentem exponere. Quod Chriſtiani ſcriptores Tertullianus, Ambroſius, Arnobius Romanis ſæpe objecerunt., V. Freinshem. *l.* 9. *ad Curt. c.* 1. *n.* 25. Piccart. *dec.* 9 *obl.* 5. Petr. Petitus *l.* 3. *obſerv miſcell* 16.

XVI. Ne numerus liberorum exuberet, (1) abortus procuretur. *d. c.* 16. Exiſtimavit enim Ariſtoteles (2) definiendum numerum liberorum in hujusmodi civitate. II. *Pol.* 4. Abipones binas proles tantum educunt, reliquas Atrei plusquam crudelitate trucidant. Rationem prolicidii reddunt, nam cum Abipones bello latrocinioque aſſueti nullam fixam ſedem habeant, ibique vivant, ubi ſtoreas ſuas in formam oppidi erigant, inde fit ut plures duabus prolibus, quarum unam circum ferebant mater, alteram pater ne in hoſtium manus deveniant, non ſinant vivere. Niſi una vel utraque proles pedibus ſuis incedat ut bellum ſequi poſſit Nic. del Techo *hiſt. paraguar. l.* 13. *c.* 6. *p.* 355.

(1) Eſt & hoc impium, licet Plato *V. de LL.* probaverit. Præterquam enim quod fœtus in utero etiam homo ſit. V. quæ dixi Diſſert. *de ſocialit. ſect.* 3. 5, 6. nulla ratio eſt, quamobrem

brem è re beatæ reip. fit, numerum liberorum minui. Et concedamus licet, reip. rationes id postulare: tamen ad hoc extremum non est accedendum. Quandoquidem pietas, quæ omnium parentum animis insita esse debet, non modo petit, si id concedatur, sed metuendum etiam, ne adsuefactione atrocis facti delicatulæ fœminæ ob dolorem plurimos fœtus in maximam reip. perniciem aborticone amoveant: adhoc abortu semel factô mulieres deinceps non facile concipiunt. Equidem Joh. Philippus Pfeiffer *l.* 4. *Antiqu. Græcar. gent. c.* 25. Aristotelem excusandum existimavit, quod reip. ex voto optimam voluerit describere, sed frustra, cum quod impium est inter optimæ Civitatis instituta toleari non debeat. Add. Piccart. Dec. 8. *obs.* 9.

(2) Eandem ob causam Minos Venerem nefandam in republica Cretensi permisit, quod institutum quoque Lycurgus in leges suas transcripsit. At abominatus est non tantum Plato *libr.* 8. *de LL.* absurditatem ejus patiter & fœditatem prolixè ponens ob oculos, sed & Aristoteles. V. Meursius *l.* 3. *de Creta c.* 13.

XVII. (1) Lac copiosè præbeatur infantibus, non vinum, (2) quippe progenerandis morbis idoneum VII. *Pol.* 17. v. omnino Excerpta Grotii ex Antiphone. p. 614.

(1) Infantes Hebræorum ad triennium sugebant. add. 2. *Macc. VII.* 27. æquè ut apud Romanos. V. *l.* 9. *C. de patr. potest. & ibi Gothofr.* In Moscovia tantum sugunt duos menses. Mater ipsa præbeat ubera. v. Erasmi *colloqu. de puerpera.*

(2) Otiti enim solet ἐπιλημψία, cui tenera ætas obnoxia Aristotel. *de somn. c.* 21. *de vigil. c.* 3.

XIIX. Ne membra infantum detorqueantur propter teneritatem, instrumentis uti oportet, ad hunc usum comparatis. Arist. *d. c.* 17.*

* Hodie fasciis utimur. Iis Barbaros diutius & diligentius usos in infantibus quam Romanos, ideoque corpora Barbatorum rectiora esse, notavit Hieronymus *ad Ezech. XVI*, 4.

XIX. Infantes paullatim ad frigus perferendum duritiemque assuefiant. * Hoc enim ad valetudinem & bellicum robur maximè est accommodatum. Arist. *d. l. c.* 17.

* Conducit etiam motus, quem ætas illa ferre poſſit, ut noxii humoris ſi quid ſit diſpellatur. Ariſtot *d. l. c.* 16. Hinc mos ſat antiquo receptum, ut cunis vehantur infantes, quod ad ſanitatem non parum facit, ſed magis, ſi manibus levarentur & attollerentur.

XX. Hinc ſe exerceant in luſibus non illiberalibus, non laborioſis nimium, neque delicatis, ſed qui præparent ad ſeria, ut corpuſcula fiant vegeta & robuſta. Eam ob rem etiam ploratus & contentiones puerorum non prohibeantur.* Ariſtot. *d. c.* 17.

* Perſtringit hoc loco Ariſtoteles Platonem, qui multum ploratum vetuit I. *de LL.* Sed nos malumus Platoni accedere: quoniam plorare multum officit valetudini, querulosque efficit ac moroſos. Interim aliquid permittendum. Siquidem ploratum omnem impedire velle, eſt impoſſibile, & ſi forte poſſibile, noceret.

XXI. Fabulæ etiam pueris narrentur. Ariſtot. *d. c.* 17.*

* Plato *l.* 2. de rep. *Selectas autem fabulas nutrices ac matres pueris narrare hortabimur, animosque eorum fabulis diligentius, quàm corpora ipſa manibus informare.* Suaviſſimus fabulatur Phædrus l. 2. à princ.

Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.

Quamobrem pueri libentius fabulas audiant, cauſam adducit Strabo Geograph. libro I. *quia fabula novarum quarundam rerum narratio eſt, non eas quæ ſunt, ſed alias quasdam ab his diverſas recenſens: jucundum autem eſt, quod novum & adhuc ignotum narratur, atque hoc ipſum eſt, quod cognitionis ſtudioſos efficit. Quod ſi admirabilia & portentoſa fabulis admiſceantur, augetur voluptas, quæ quidem medicamenti inſtar amorem diſcendi ingenerat. Ab initio igitur neceſſe eſt hoc modo pueros inesçari: progreſſu ætatis ad ipſarum rerum cognitionem ſunt adducendi.* Vide & Rittersh. *epiſtol. prælim. ad Phædrum.* Specimen eſt apud *A. novarum ſolymarum.*

XXII. Agant autem pueri in ædibus parentum ad annum ſeptimum, procul ab auditionibus & ſpectaculis illiberalibus, procul à picturis & fabulis obſcœnis, procul à conſortio ſervorum, & denique

ab

ab omnibus, quæ mores ingenuos & honestos corrumpunt. Aristot. *d. c.* 17. * Ab hoc igitur tempore in publibas Scholas ablegandi. de quibus infra.

* De tutela nulla, de societate verò servorum pauciſſima *l.* 7. *Pol.* 10. præcepta reliquit Aristoteles. v. leges te tutelâ ap. Pufendorf. *l.* 4. *c.* 4. §. *ult* Igitur de tutela videantur Plato *l.* 11. *de LL.* & prudentes Romanorum aliorumque populorum leges. De servis Hebræorum leges inprimis commendandæ.

XXIII. Secunda civium diviſio eſt à bonis animi, corporis & fortunæ. In bonis animi eſt virtus. Inter virtutes præcipua eſt religio. * *A civibus enim decet coli Deum. VII. Pol.* 9.

* Æschylus septem contra Thebas

Πόλις γὰρ εὐπρέπουσα δαίμονας τίει.
Nam civitas beata veneratur Deum.

XXIV. *Virtutum moralium omnes oportet esse participes. I. Pol.* 8.

XXV. Inprimis verò *temperantes esse cives convenit, & fortes, & * ærumnarum tolerantes.* Fortitudine enim opus eſt & tolerantiâ ad negotium. Temperantia verò ac juſtitia & belli & pacis temporibus uſum habet. Magis tamen in pace ac otiô. Bellum enim per ſe nos cogit juſtos eſſe & temperantet vivere, ut eleganter diſſerit VII. *Pol.* 7.

* Quando expetientia docet tempore pacis nihil magis nocere, quàm otium, & res ſecundas, opera danda, ut laboribus à prima ætate aſſueſcant cives. Quibus gravioribus aſſueta ſtudiis juventus, majorem ex iis capiet voluptatem, quàm ex otio. Apud Perſas hodie viget lex (quam & apud Ægyptios viguiſſe, memorat Diodorus. Pufendorf. *l.* 3. *c.* 3, §. 2. & *l.* 8. *c.* 5. §. 3.) quo ſinguli apud magiſtratus cojunguntur profiteri nomen ſuum, & quam vitam degant; quamque artem exerceant: ſin autem mentiantur, aut verberibus ſub plantis pedum caſtigantur, aut publicè ſervituti mancipantur, teſte Joann. Cartvvrigt. Itiner. apud Joan. de Laet. *deſcript. Perſia*

p. 260. Similem Corinthiorum morem fuiſſe, refert Diphilus, Græcus Comicus, *in Mercatore* ex verſione H. Grotii.

Corinthi apud nos iſtud ſanctum eſt legibus,
Si quem videmus obſonari largius,
Continuò interrogamus cujatis ſiet,
Quid agitet, unde vivat. Si reditus habet
Qui poſſint tantis ſuppeditare ſumtibus,
Suo arbitratu ſinitur facere impendia.
Sin ſupra vires erogat patrimonii,
In poſterum id ne faciat interdicitur:
Mulcta irrogatur, ni ſit dicto obaudiens.
Quod ſi quis ſinere vitam vivat ſplendidam,
Torquendus ille mox carnifici datur.

XXVI. Ad temperantiam facit tenuis parabilisque victus, corporum firmitati ac ſanitati conſulens, * Exemplo ſunt Cretenſes. II. *Pol.* 8.

* Egregiè Buchananus de Orcadum habitatoribus: *In convictu quotidiano multa è vetuſta parſimonia adhuc vulgus retinet. Itaque perpetuâ corporis & animi ſanitate fere omnes fruuntur. Rari morbis, plerique omnes ſenio ſolvuntur, plusquè apud eos delitiarum ignorantia, quàm apud alios medicorum ars & diligentia ad ſalutem tuendam prodeſt. Eadem parſimonia ad formæ elegantiam & ſtaturæ proceritatem plurimum facit.* &c. conf. Jacob. Wallace *deſcriptio inſularum* Orcadum *in Actis Erud. Lipſienſ. A. MDCCI. menſ. April.* Apud Strabonem etiam non uno loco notatum videbis, innocentiſſimè agere eas gentes, quarum victus eſt ſimpliciſſimus. V. Grot. I. *de jure B.* 2. §. 8. *n.* 16. *& in not.* Hoc ut aſſequerentur veteres Galli mulctabant juvenem, quisquis Zonæ menſuram exceſſerat, ut Strabo refert *l.* 4. *Geograph.* quoniam ventrem prominulum in ætate illâ ex ingluvie & deſidia provenire judicabant. Iberi quoque Zonam habebant certæ menſuræ, intra quam ſi venter cujusquam comprehendi nequiret, pro dedecore id magno habebatur, ut auctor eſt Nicolaus Damaſcenus *de Moribus gentium.*

XXVII. Ubi vero homines vivunt molliter atque intemperanter, *in ejuſcemodi rep. divitias in honore eſſe neceſſe eſt.* Ariſtot. II. *Pol.* 7. quod ab inſtituto hujus reip. alienum.

XXIIX.

XXIIX.. Ad modeſtiam aſſuefaciendi cives, ut non tantum imperare ſed & parere norint. III. *Pol.* 3, & 9. VII. *Pol.* 14.

XXIX. Sint quoque benigni non tantum inter ſe, ſed & * adverſus exteros & ignotos. VII. *Pol.* 7. de aurâ pauperum & viduarum v. Pufendorf. 7, 9. 11.

* Hanc curam eximiè commendant divinæ literæ, *Exod. XXII*, 21. *Leviticʼ. XIX*, 33. *Deuter. X*, 18. Plato *V. de Legib.* ipſos Sacerdotes voluit peregrinis jus dicere. De Indis Diodorus Siculus: *Sunt apud Indas prafecti peregrinis, quorum munus eſt proſpicere, ne cui peregrino ulla fiat injuria. Quod ſi quis peregrinus in morbum inciderit, illi medicum adducunt, & qua praterea neceſſaria ſunt agroto, curant. Si moriatur, ſepeliunt: hoc etiam amplius, pecunias, ſi quas forte relinquat, propinquis ipſius reſtituunt.* Conf. Strabo *l.* 15. *Geograph.*

XXX. *Non verò vitam artificum humilium neque forenſem oportet cives vivere: ignobilis enim eſt hujuscemodi vita, & à virtute abhorrens: neque oportet agricolas eſſe, opus enim eſt otio & ad virtutem gignendam & ad actiones civiles obeundas*, VII. *Pol.* 9. & II. *Pol.* 7. *Artifex enim tenuis definitam quandam ſervit ſervitutem.* I. *Pol.* 8. conf. III. *Pol.* 3. ubi docet antiquitus apud nonnullos populos opifices non fuiſſe participes magiſtratuum. * Hinc miniſteria hæc ſervis deleganda *l.* VII. *Pol.* 10. *circa finem.*

* Hoc inſtitutum fuit Lacedæmoniorum, v. Ælian. VI. V. H. 6. Nobis ſecus videtur: Nam utut fateamur, cum dignitate civis beari pugnare, ut is alii operam ſuam locet (nam multum refert, cujus gratiâ quis agat vel diſcat. Ariſtotel. IIX. *Pol.* 2., tamen virtuti contrarium non eſt, ut quis res neceſſarias ſibimet ipſi conficiat. Nimirum, ut Heſiodus ait;

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος,
Dedecus non eſt operari.

Hinc Ariſtoteles Phaleam peccaſſe dicit, opifices ſine diſcrimine è numero civium excludendo II. *Pol.* 5. Sane paſtoritiam otio abundare docet I. *Pol* 5. & VI. *Pol.* 4. optimum dicit populum, qui ex agricolis conſtat, & poſt agricolas paſtores,

quod bellicas actiones attinet, maxime esse exercitatos, corporibusque habiles, atque sub dio vitam facile posse vivere. Cicero orat. pro Q. Roscio: *Vita rustica maximè disjuncta est à cupiditate, scilicet honorum & pecuniæ: estque parsimoniæ, diligentiæ & justitiæ magistra.* Æschylus de Scythis apud Strabonem *l.* 7 *Geograph.*

Ἀλλ' ἱππικῆς βοτῆρες ἔννομοι Σκύθαι.
Gens justa & equis pascendis dediti Scytha.

De laudibus agriculturæ & pastionis v. Xenophont. *in Oeconomico.* Cato *de re rustica principio.* Veget. *l.* 1. *de re mil. c* 3. Schrad. *ad* 2 *Rhet.* 4. §. 12. Gerard Joann. Voss *de Philos. c.* 6.

XXXI. Venatus pars quædam artis bellicæ est 1. *Pol.* 5. sanè bello parat homines. * Itaque cives venatui esse deditos, nihil vetat.

* V. de laudibus venationis Xenoph. *l.* 1. & 8. *Cyrepad.* Ger. Joann. Voss. *de philos. c* 6. §. 11.

XXXII. (1) Mercatura negotiatoria (aliud dicendum de naturali sive œconomica, aut etiam artificiali) (2) cum civitate ex voto optimâ non congruit: *nam divitias in infinitum quærit.* I. *Pol.* 6.

(1) Hoc instituto olim usi Nervii, de quibus Julius Cæsar *l.* 2 de Bello Gallico. *Nullum aditum ad eos esse mercatoribus; nihil pati vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri.* Adde eundem l. 4. B. C. Suevis. Zaleucus usum tabernarum institoriarum civibus Locrensibus interdixit, quæ comparatæ sunt ad quæstum emendo vendendoque faciendum, sed jussit ipsosmet agricolas res suas, quas habent venales, vendere. V. Ubb. Emmius *descript Reip Locrens.*

XXXIII. * Fœneratoria quoque justè est in odio, *quia nummo utitur tanquam merce, quod omnino est contrarium nummi invento.* Aristotel. I. *Pol.* 7.

* *In usuris non servatur æqualitas: nam qui dedit mutuum, recipit suum, & accipit amplius.* Cato *de re rustica princip. Exhauritur ergo pars altera & non servatur æqualitas; sicut res ipsa ostendit, ubi concessa fuerunt immoderata usura, magnas gentes redactas esse ad inopiam, multos coactos vendere filios & filias. Qua ex re sæpe mutationes imperiorum ortæ*, ait Melanchton *ad* 5. *Ethic.* Apud Hebræos sanè usuras ab Hebræis sumere non erat concessum quocunque modo. v. omnino H. Grotius *ad Lucam VI*, 35. *circa finem.* Bene Hieronymus ad Ezechiel,

Ezechiel. XIIX, 8. *Putant quidam, uſuram tantum eſſe in pecunia, quod prævidens Scriptura divina omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non accipias, quàm dediſti.*

XXXIV. Gymnaſtice (1) ad valetudinem, ad robur corporis & (2) *ad fortitudinem conducit.* IIX. *Pol.* 3.

(1) V. omnino Gerard. Joannes Voſſ. *de quat. art. popul. c.* 3.

(2) Multi tamen civilium terum peririſſimi adumbrata prælia damnant, qui tubas, ſudorem, pulverem nihil prodeſſe arbitrantur, cum ad juſtum prælium deſcendamus. Ita Jonſthonus *l.* 16. *Rer. Britann. ad A.* 1614. locutus de exercitarionibus campeſtribus equorum & atmorum, quos in Anglia inſtituerant.

XXXV. *Muſice* (1) *animi motus remiſſio eſt, & per voluptatem requies.* Ob hanc (2) aliasque cauſas uſus ejus in civitate optimâ meritò valet. V. plur. Ariſtot. IIX. *Pol.* 3. 5. 6. 7.

(1) Attici curabant ſuos muſicem doceri, ut otium elegante ſtudio terere poſſent. Ariſtot. *d. c.* 3. Cicero III. *de Oratore* conf. Voſſium *d. libro c.* 4.

(2) *Quis ignorat, lituos & tubas concitamenta eſſe, ſicut quosdam cantus blandimenta, quibus mens reſolvatur?* ait Seneca III. de Ira 9. Apud Celſum eſt l. 3. c. 18. *Symphonias ad inſaniam levandam & diſcutiendas triſtes cogitationes plurimum prodeſſe.* Sic ferocientes animos mollivit Pythagoras, ſeditiones accenſas inhibuit Aſclepiades, Damon ebrios ac petulantes juvenes ad modeſtiam reduxit, lymphaticos morbo liberavit Xenocrates, de quibus v. Capellam *ſatura l.* 10. conf. I. *Samuel. XVI*, 16. ubi in annot. H. Grotius II. *Reg.* III, 15. Saxonem Grammatic. *l* 12. *ubi de citharœdo & Erico Dania Rege.* Apud Hebræos etiam muſicæ in Sacris uſus erat v. *Judic.* XI, 34. I. *Samuel.* X, 5.

XXXVI. Grammatiſtice ad rem faciendam, & ad domum adminiſtrandam, & ad doctrinas & ad civiles actiones multas utilis eſt. Ariſtotel. IIX. *Pol.* 3. *.

* Conf Voſſ. *d. l. c.* 2. §. 3.

XXXVII. Graphice ſive ars pingendi utilis eſt

ad exiſtimanda melius artificum opera. Ariſtotel. IIX. *Pol.* 3.*

* De aliis artibus ſcientiisque nihil eſt in opere Ariſtoteleo. Nimirum Ariſtoteles hæc diſſeruit ad morem Athenienſium, apud quos receptum erat, ut adoleſcentes artes haſce, Grammatiſticen dico, Gymnaſticen, Muſicen & Picturam, diſcerent, nec facile ingenuus quis reperiebatur, qui iſtis non eſſet inſtructus. Hinc Terentius in Eunucho introducit Parmenonem laudantem ſimulatum Eunuchum: *Fac*, inquit, *periculum in literis, fac in palæſtra, fac in muſicis, quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem.* V. Xenophontem *libro de republ. Lacedæmonior.* Platonem *l.* XII *de* LL. De Poetica Cicero II. Tuſculan. *Sed videſne, Poëta quid mali afferant? lamentantes inducunt fortiſſimos viros: molliunt animos noſtros: ita ſunt deinde dulces, ut non modo legantur, ſed & addiſcantur. Sic ad malum domeſticam diſciplinam vitamque umbratilem & delicatam cum acceſſerunt etiam Poëtæ, nervos omnes virtutis elidunt. Reſtè igitur à Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos & optimum reip. ſtatum exquireret.* De Poëtis Gallis ſub Henrico II. vide Thuani judicium *l.* 23. *ad A.* 1559. *p.* 455. Platonis locus eſt III, & X. *de Republica.* Idem VII. *de Rep.* Arithmeticam, Geometricam, Aſtronomicam, Dialecticam commendat. De matheſi v. omnino Tabor *de tort. p.* 85. Prædictionibus aſtrologorum & ſimilium homines ſæpe ad ruinas & novationem rerum impelluntur, nempe cum ad Principem aut ſummam reip. ſpectant: ideoque ea acrius coërcita ſemper fuerunt Tacitus *l.* 2. *Ann.* & ibi late Lipſius Paulus 5. *ſent.* 21. Qui de ſalute Principis vel ſummâ reip. Mathematicos, Ariolos, & Aruſpices conſulit, cum eo qui reſponderet, capite punitur. De Aſtrologis Lucilius *in Antholog. l.* 2. *c.* 6.

> Ἄξιοί εἰσι τυχεῖν πάντες ἑνὸς τυπάνου.
> *Uno ſunt omnes tympano* (ſive palo aut patibulo) *digni.*

XXXIIX. De civibus, quantum attinet bona corporis, etiam nihil reperitur in Ariſtotelis opere, niſi unum hoc VII. Pol. 16. *Corpora, quæ procreantur, ſint ad voluntatem legislatoris.*

XXXIX. A bonis fortunæ cives * neque ſint nimis

nimis divites, neque nimis pauperes, sed medii. Aristot. *IV. Pol. 11.*

* V. *part.* 1. *sect.* 5. §. 13. Optimè Plato III. de LL. *In quocunque hominum cœtu nec inopia neque divitiæ sunt, huic justissimi mores aderunt: Neque enim ibi contumelia, neque injuria habet locum. Æmulatio quoque & injuria procul abest.* Æduos quanto pecunia dites & voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles, dicit Silius apud Tacit. 3. *Annal.* 46.

XL. A quantitate cives distinguuntur in paucos & numerosos. Qualis autem numerus ad civitatem ex voto optimam requiratur, disquirit Aristot. *VII. Pol. 4.* Nempe iste populus justæ est magnitudinis, * qui tantus est, ut sibi ipsi sufficiat, ut sit cognosci facilis, adeoque commodè possit regi, & ut cives ipsi invicem sint noti ad colendam amicitiam.

* Alii putant, fore optimum, si universus orbis in unam civitatem concedat, quod rectè refutat H. Grot. *in apologet. c.* 5.

XLI. Ab eadem quantitate cives distinguuntur in singulos, & collectos in universitates. Harum usitatissima species sunt scholæ publicæ. An verò pueros publicè erudiri oporteat, an privatim, quod suo tempore factum, notat Aristoteles; proponit idem *l. VII. Pol. c. ult.* & prius adfirmat. *lib. VIII. Pol. cap. 1. cura enim studiumque singularum partium spectare debet naturæ ordine ad curam totius.* V. ibi Piccart. *

* Gabr. Naudæus *de stud. liber.* publicas scholas & gymnasia damnat. Sed rationes utique sunt majores pro eorundem usu. Videatur Quintilianus *l.* 1. *l. O. c.* 12. Carpzov. *l.* 1. *q.* P. *Conf def.* 73. *n.* 3. *l. unic. C. de stud. liber. urb. Rom. & Constantinop.* Cæterum de institutione juvenum, virorum & senum, de ordine & modo, de personis quæ præficiendæ scholis, hoc loco utique prolixè erat docendum; quanquam nihil horum nunc legatur in opere Aristoteleo.

XLII. Affines ſcholis ſunt cœtus, agendarum comœdiarum & tragœdiarum cauſa inſtituti. * *Juniores autem*, ait Ariſtot. VII. Pol. 17. *ne ſint ſpectatores jamborum aut comœdiæ, lege ſtatuendum eſt, donec ad juſtam ætatem pervenerint, & diſciplina à detrimento, quod proficiſcitur ab his rebus, tutos præſtiterit.*

* Debebat Ariſtoteles non ex moribus Græcorum conſiderare comœdias, ſed formare legibus & diſciplina ad genium reip. optimæ. V. Conzen. 12. *Pol* 13. Hic conſiderentur, quæ Aubinacus contra comœdias, & Voiſinus pro iis, ambo Galli, diſputarunt. V. *Hiſtoire & abregé des ouvrages Latins, Italiens & Francois pour & contre la Comedie & l'Opera in* 12. *Aureliæ A.* 1697. edita. De tragœdiis eleganter Timocles apud Stobæum 2. *t.* 125, ex verſione H. Grotii.

Primum tragœdos, ſi placet, conſidera,
Quam pulcra dent documenta. Nam qui pauper eſt,
Ubi pauperiorem ſe cognovit Telephum,
Ibi paupertatem fert ſuam patientius.
Lymphatur aliquis? Alcmæonem conſpicit,
Oculis laborans cæcos Phinidas videt.
Natum effert alius? Niobe lugentem levat.
Dolet hic ſe claudum? ſed Philoctetem videt,
Miſer in ſenectâ eſt? intuetur Oeneum:
Ita quisque, dum eveniſſe majores ſuis
Olim alios calamitates ſecum cogitat,
Animo æquiore fert fortuna injurias.

Conf. Epictet. *enchirid. c.* 23. Joluæ Barneſii *tractatum de tragœdiâ veterum Græcorum.* Maſſilienſium civitas, ſeveritatis cuſtos acerrima, nullum aditum in ſcenam mimis dabat, quod eorum argumenta majore ex parte ſtuprorum continerent actus, ne, ut ait Valerius Maximus l. 2. Var. c. 6. *talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumeret.*

XLIII. Huc pertinent etiam συσσίτια, apud Lacones & Cretenſes uſitata, quæ Ariſtotoles inter inſtituta reip. optimæ collocat. *VII. Pol. 12.* conf. *II. Pol. 8.* *

* De ſcopo horum publicorum conviviorum V. Plutarch. *in Lycurgo.*

XLIV.

XLIV. Subjectum ſecundarium civitatis ſunt regio, habitationes, & alia vitæ humanæ adminicula. Regio, juxta Ariſtotelem *VII. Pol. 5.* ſit * omnium rerum ferax, & nullius rei indigens, ut cives in otio poſſint & liberaliter & temperanter vivere. De Ægypto Lucanus l. 8. Pharſal.

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis.

Ariſtot. *V. Pol. 7.* monet, ne tanta ſit copia, ut vicini & potentiores eorum cupiditate corripiantur, neque adeo exilis, ùt pares non ſint bello ſuſtinendo, ne æqualium etiam & ſimilium.

* Nec tamen nimium ſit ferax: Veriſſimum enim Italorum eſt proverbium: *Buona terra, cattiva gente.* Plato, ut refert Plutarchus *in libello ad Principem ineruditum*, à Cyrenæis rogatus, ut leges ipſis ſcriptas relinqueret, rempublicamque conſtitueret, recuſavit, quod diceret, *difficulter Cyrenæos leges poſſe poni, rebus eorum ita latis: ac nihil ita eſſe petulans, ferox & imperio reluctans, atque eſt homo rebus, ut videtur, ſecundis fruens.* De Capua, civitate Campaniæ, Livius l. 23. c. 4. *Prona ſemper civitas in luxuriam non ingeniorum modo vitio, ſed affluenti copiâ voluptatum, & illecebris omnis amœnitatis maritima terreſtrisque.* Conf. Commentar. *de notit. reip. ſingular* §. 12.

XLV. Porro facilem exitum habeat, & introitum difficilem. Ariſtot. *d. c. 5.*

XLVI. Habeat etiam non tantum opportunitates terreſtres, * ſed etiam maritimas, ad defenſionem magis expeditam, rerumque importationes & exportationes. Ariſt. *d. l. c. 6.*

* Diſſentit melioribus rationibus Plato *l. IV. d. LL.* Eas recitat, non refutat Ariſtoteles *d. l.* Platonis ſententiam verbis hiſce effert Strabo l. 7. Geograph. Πλάτων δὲ ἐν τῇ πολιτείᾳ τὴν θάλατταν ὡς πονηροδιδάσκαλον φεύγειν ἔοικεν δεῖν, ὅπου παῤῥωπέστω τὰς ἐυπολιτευμένας ἢ μὴ οἰκεῖν ἐπ' αὐτῇ. *Plato in republica mare, ut magiſtram malorum, quàm longiſſimè fugere debere eos præcipit, quibus reip. forma bene conſtituta ſit cordi, neque ad mare habitare.* Cum Platone ſenſit Dicæarchus apud Ciceronem *l. 6. ad Attic. ep. 2.* Judæos regionem non maritimam habitare, eorumque urbes procul à mari ſitas,

fitas, notat Josephus *l. contra Apionem*, & hoc ipso eos præfert Ægyptiis & Phœnicibus. De his autem scribit Cicero l. 3. de republic. apud Nonium voce mercatura, *primos mercaturis & mercibus suis avaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportasse in Graciam.* Nimirum maritimorum populorum mores vulgò male audiunt. Ammianus Marcellinus *l. 17. c. 7. sequ.* Thom. Fazellus Rer. Sicul. Decad. I. *Omnes insulani mali, pessimi autem Siculi* Stanislaus Lubienski histor. Sigismundi profectionis in Sueciam: *Omnes maritimos populos pronos ad seditionem etiam veteres existimasse: è contra eos, qui mediterraneas regiones obtinent, civilieres esse solere.* Verum de malis civitatum maritimarum dicam sect. 3. Nisi quod unum heic addam, fere immedicabile: *omnem oram maris obnoxiam esse motui*, ut auctor est Seneca *l. 6. Quæst. natural.* ubi *c. 1.* vim mali hujus exponit, exemplis complurib. hoc demonstrans, & juxta Plinium *maritima maximè quatiuntur. 2. Hist. nat.* 80. In Angliâ terræ motus rarò accidere, testis est Camdenus *ad A. 1580. p. 333.* Exemplis adde illud in Apuliâ A. MDCXXVII horrendum, v. Piasecium *in Chron. ad d. A.* Ragusæ, A. 1667. & A 1634. terræ motu fere penitus conquassatæ, & nuperum Siciliæ, quando A. 1693. horrendo terræ motu non tantum florentissimæ urbes, cum arcibus & vicis, miserè quassatæ, concussæ, disjectæ sunt, sed & ad centies mille homines periisse dicuntur. De Syria, terræ motibus obnoxia, in qua uno fere tempore 170000. hominum perierunt, v. Justinum *l. 40. histor. c. 2.* Habet inprimis hic locum, quod est apud Ovidium l. 15. metamorph.

Sic toties versa est fortuna locorum
Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus
Esse fretum: vidi factas ex æquore terras.

XLVII. E re civitatis optimæ putat Aristot. *VII. Pol. 11. & 12.* ut urbes extruantur. (1) De ædificiis, quæ in urbibus collocanda, (2) & de situ urbium. V. Aristotel. *d. c. 11. & 12.*

(1) Add. Loccenium *de Republ. apum c. 2.*
(2) Add. A. *de regimin. Princip. l. 2. c. 2.*

XLIIX. Bona inter cives non sint communia. *Minus enim curam recipit, quod est cum pluribus commune. Suas enim propriasque res homines maximè curant,*

curant, communes autem ſibi cum aliis minus. Duo namque ſunt, quæ faciunt, ut homines curam gerant & ament, & ſuum & carum. Ariſtot. *II. Pol. 2.* & dici non poteſt, quantæ voluptati ſit proprietas. Ariſt. *d. l. c. 3.* Adhæc communio non minus quàm proprietas lites excitare & alere poteſt, ut pluribus docet Ariſtot. *d. c. 3.* in refutando Platone occupatus. Curandum igitur, poſſeſſiones *uſu, amicorum more, fieri communes.* Ariſtotel. VII. Pol. 3.

* Communio tamen non eſt impoſſibilis, præſertim in ſimplice populo, ut docemur exemplis nonnullorum Americæ populorum, qui per ſecula multa ſine incommodo in communione perſtiterunt. Aviis & Sardolybibus omnia fuere communia, præter enſes & pocula, teſte Euſtath. *in Homer. Παῳ.* Adde de Scythis juſtiſſimo populo, qui omnia habebant communia, Strabon *l. 7. Geograph. p. 209.* De Vaccæis Diodorus Siculus *lib. 5. c. 34. Vaccæorum*, inquit, *natio diviſos quotannis agros colit; & communicatu inter ſe frugibus ſuam cuique partem attribuit. Ruſticis aliquid interverientibus ſupplicium capitis pœna eſt. d. l. c. 45.* de Panchæorum republica, Rochefort *deſcript. Antillar. part. 2. c. 8. n. 8.* de Apalchitis, qui in commune laborant, & ex communi granario ſingulis patribusfamil. pro numero ſuæ familiæ ſingulis pleniluniis frumenta diſtribuunt. Gerammis etiam fuit communio. v. Pufendorf. *l. 4. c. 6. §. 3.*

XLIX. Res quoque ſacræ ſint & publicæ in lectiſſimâ hac civitate. Ariſtot. *VII. Pol. 10.* * partem agrorum publico vult ſeponi. Pufendorf. *8. 5. 5.* Romani hoc ſervarunt in occupatis provinciis, quem morem ait H. Grotius *in prolegom. ad hiſt. Gotth. Vandal. p. 58.* & prudentiſſimis in America Indiis Regibus placuiſſe video, agros facere publicos, partem autem fructuum aſſignare Regis regnique uſibus, in quibus & ſacra comprehendere velim; partem militum ſtipendiis dum ſub ſignis & concretorum præmiis, partem mercede agros colentium.

* Nobis

* Nobis magis in hac rep. placet inſtitutum decimatum apud Hebræos. Ipſe Ariſtoteles Hippodamum confutat, agrum civitatis in tres partes diſtribuentem, quarum una ſit ſacra, altera publica, tertia privata. II. *Pol.* 6. V. omnino D. Meyer 7. *Anal. polit. Ariſtot.* 10. §. 119.

L. Proprietas autem bonorum non libera ſit, (1) ſed reſtricta. Hic enim modus eſt conſervandi cives originarios; & litibus, (2) quæ ex vagâ licentiâ transferendi bona oriri poſſunt & ſolent, obicem ponit.

(1) Ut apud Hebræos poſſeſſio bonorum, Deo & legi feudi more devincta. v. *Levitic.* XXV, 10. 23. 38. 42. 55. Diodorus l. 40. de Judæis agens dicit, non licuiſſe eis τὰς ἰδίας κλήρους πωλεῖν, *fundos ſuos vendere.* Conf. Ezechiel. XLVI, 17. unde diſcimus, prædia etiam dono data Jubilæi tempore rediiſſe ad poſſeſſores veteres eorumve heredes. Et Philolaus conſtituit, ut numerus agrorum ſorte acceptorum conſervaretur, apud Ariſtotelem II. *Pol.* 10.

(2) Cauſam, quamobrem apud Turcas non adeo multæ lites ſint, Tavernier *relation du Serrail du Grand Seigneur ch.* 4. adſcribit, quod bona Principum non ad heredes eorum, ſed ad Imperatorem devolvantur.

LI. *Hinc apud populos quosdam eſt lex, quæ vetat poſſidere tantum telluris, quantum quis velit.* (1) *Similiter autem & patrimonium vendere leges vetant: quemadmodum* (2) *apud Locros lex eſt, quæ non ſinit vendere, niſi quis evidentem calamitatem oſtenderit ſibi contigiſſe: præterea veteres ſortes, i. e. partes attributas, ſervare, quod in Leucade abrogatum, valde populärem eorum fecit remp.* ut diſſerit Ariſtot. II. *Pol.* 5. conf. VI. *Pol.* 4. ubi obſervat, antiquitus multarum civitatum legibus fuiſſe definitum, (3) ne licere quidem vendere primos agellos ſorte attributos.

(1) Lacedæmoniis turpe fuiſſe, terram ſuam vendere, quia & lege ſancitum, ne veterem ſortem dividi fas eſſet, tradit Heraclides *de politiis.* Polyb. *l.* 6. *c.* 43. 46. ubi hoc valde laudat. Lex ea Lycurgi eſt, & errat Ariſtot. II. *Pol c.* 5. qui aliam longè diverſam ei legem tribuit. Cauſam erroris eruditè detexit. Ubbo Emmius *de Rep. Lacon. p.* 266. & *p.* 269.

Adde

Adde Henrici VII. Reg. Angl legem, quam mirabili & profunda prudentia latam dicit Baco de Verulamio *in ej hist.*

(2) V. Ubbo Emmius *de Republ. Locrenſ. p.* 319.

(3) Ex hoc principio fluxit jus retrahendi bona immobilia in extraneos ſive extra familiam alienata. Cui fini in quibusdam Germaniæ Civitatibus prudenter eſt conſtitutum, ne ullius rei immobilis alienatio ſit valida, niſi per inſinuationem apud Magiſtratum in publicis actis deſcribatur. Nimirum ut occaſio præriperetur clandeſtinis alienationibus, quæ alioquin in fraudem conſanguineorum ſæpe contingerent. v. Oldendorp. *libro de uſucapione.*

LII. Eodem pertinet lex, quam Oxyli dicunt fuiſſe, * ut ne liceret pecunia ſive nummo partem agri ſuam oppignorare. VI. *Pol. 4.* Qua in parte tamen haut dubiè præferenda lex Hebræorum, permittens prædia vendere, aut ſub hypotheca obligare pignorivè dare, ſic tamen, ut annus Jubilæus, hoc eſt, quadrageſimus nonus, quemadmodum ſervos ad libertatem, (ne civitas impleretur ſervis) ita prædia ad veteres dominos eorumvé heredes ſine pretio & compenſatione ullâ reduceret.

* Harum legum omnium ſcopus eſt, ut avaritiæ ponant repagulum; nec opulentiores prædia omnia & alienas poſſeſſiones ſenſim invadant: (ferme enim fit, quod Horatius 2. Sat. 6. ait: *O ſi angulus ille proximus accedat, qui nunc denormat agellum. Improbitas enim hominum eſt quiddam inexplebile. Et primum quidem ſatis erant duo tantum oboli; quando autem hi fuerint potiti, ſemper egent pluribus, donec ad infinitum venerint.* Ariſtot. II. *Pol.* 5.) adhæc egeſtatem & civium inæqualitatem, indeque ſecutnias lites excludant, excitent verò agriculturæ ſtudium. V. omnino P. Cunæum I. *de rep. Hebr. c.* 3.

LIII. Hinc hereditates (1) non teſtamento, ſed (2) agnatione deferantur, & ad eundem non plures unâ. Sic enim hereditates magis fient æquabiles, & tenuiorum plures fient locupletes. *V. Polit. 8.* conf. II. *Pol. 7. ubi Lacedæmoniorum inſtitutum reprobat.*

(1) Pri-

(1) Primum enim, ut ſæpe diximus, in civitate hac originariorum civium præcipua habenda ratio, quorum opes vel ſubruuntur vel everruntur nimia teſtandi licentia. Deinde teſtamentis ſæpe ægrè fit pauperibus, quando opulenti frequentius coluntur donis, quàm pauperes, & *pauperem ipſi propinqui edere*, juxta veriſſimam Salomonis gnomen *Proverb. XIV*, 20. Les Siamois ignorent l'uſage des Teſtaments, ait de la Loubere *du Royaume de Siam t. 1. part 2. ch. 7. n. 9.* Porro ubi nullus teſtamentorum eſt uſus, abſunt orbitatis præmia, quod de Germanis Tacitus teſtatur, tacitè perſtringens Romanos, apud quos ea erant effuſiſſima. Cicero paradox. 5. *An eorum ſervitus dubia eſt, qui cupiditate peculii nullam conditionem recuſant dura ſervitutis? hereditatis ſpes quid iniquitatis inſerviendo non ſuſcepit? quem nutum locupletis ſenis non obſervat? loquitur ad voluptatem, quicquid denunciatum eſt facit: aſſentatur, aſſidet, munerat, miratur.* Tales ſcitè depingit Horatius 2. *Satyr.* 5. Plautus *in milite act.* 3. & in Clericis Hieronymus *ad Nepot.* Poſtremùm experientia docet: teſtamentis incendi aliqua odia ac ſimultates inter præteritos, inſtituros atque legatarios. Add. Piccart. & Meyer. *ad* 5. *Pol.* 9. Quas ob cauſas in divina Hebræorum republica ſucceſſio in bona immobilia tantum κατὰ γένη ſive legitima fuit, ut adeo teſtamenta parum frequentarentur. vid. *Numer. XXVII*, 8. & 9. Læl. Mancinus *l.* 10. *collat. LL. Moſaicar. c.* 47. *n.* 4. Selden. *de ſucceſſ. in bona Hebraor. c.* 24. Et hæ cauſæ aliæque valent maximè in oligarchiis & democratiis, quibus inreritum ab illa immodica teſtandi licentia accerſitum obſervavit Ariſtoteles II. *Pol.* 7. & 9. cui junge Bodinum 5. *de Rep.* 2. alia adducenrem exempla. Quod Civitates nonnullæ in Germania liberæ, quæ polycratico utuntur regimine, animadverterunt, uſum teſtamentorum prudentiſſimè coarctantes. Sic apud Hamburgenſes & Lubecenſi jure utentes de bonis hereditariis ſine conſenſu heredum legitimorum teſtari nemini licet. *Jus Lubec. l.* 2. *tit.* 1. *art.* 14. & *l.* 3. *tit.* 7. *art.* 2. *Stat. Hamb. p.* 3. *tit.* 1. *art.* 4. & *ſequ.* Borchold. *conſ.* 15. Corhman. 3. *Reſp.* 11. 12. 45. de Groningâ v. Emmium de hac urbe *p.* 56. Addatur de Danis *c.* 2. *X. de conſuetud.* de Polonis Sprenger. *in perſpicillo orb. Chriſtian. p.* 99. de Gelris Fridericus à Sande *deſcript. Gelria.* In regnis, fateor, hujus generis legibus non adeo eſſe opus; quin tamen legibus feudalibus, quæ alienationes vetant, Nobilitas ſtet ac floreat, prudentibus non eſt dubium.

(2) In

(2) In hoc fundatur jus reverſionis ſive revolutionis, ut vocatur, in Friſia & alibi introductum, cujus vi bona redeunt, unde proceſſerunt. v. *l. 1. paræm. juris Germanic.* 83. §. 4. Ex quô jure etiam eſt, quod apud Hebræos patrui fratrum filiis præferrentur, ut propiores ei, à quo bona venerunt. Qui mos per Phœnices in Africam venit. v. H. Grotium, *l. 2. de J. B. & P. c. 7. §. 9. & ad Numeror. XXVII*, 10.

LIV. Hinc præſtat (1) nullam vel puſillam aut mediocrem dotem fœminis dare, (2) & easdem prorſus non ſuccedere. V. II. *Pol. 7.* Ita enim antiquæ familiæ conſervantur; quoniam mulier familiæ ſuæ caput & finis eſt, *l. 195. D. de Verbor. Siginf.* & ut Euripides Iphigeniâ dicit: φίλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρρενες. Itaque ſi quid filiæ ex bonorum paternorum diviſione conſequantur, id omne familiæ, ex quâ exeunt, intertrimentum & clades eſt. Eadem inſtituta probavit Plato *VI. & XI. de LL.*

(1) Ut ut hac in re tantum non omnium Europæ populorum inſtituta hodie ſint contraria exemplo Romanorum, Tamen rectè Plautus in Aululari de iisdem obſervavit:

Meo quidem animo, ſi idem faciant cæteri,
Opulentiores paupertorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum:
Et multò fiet civitas concordior,
Et invidia nos minore utemur, quàm utimur.

Alexis Comicus *Natibus:*

Ἔπειτ' ἔχων σεσῖτ' ἀχὶ πρὴν φάσκοφλα,
Πικρόν γα κὴ μισὴν γυναικὸς χολῆς.
Et dotem habere dicimus, quæ nîl niſi
Auctoramentum eſt plenum bile uxoriâ.

Juvenal Satyr. 6.

Intolerabilius nihil eſt, quàm fœmina dives.

Et Heroicis temporibus viri nuptis dotem dabant, non nuptæ viris, ut notat ad Euripidis Medeam Scholiaſtes, conf. *Gen. XXIV*, 53. Idem mos fuit antiquiſſimorum Græcorum, teſte Homero. De Athenienſibus vide Plutarch. *in Solone* & Ubb. Emm. *de Rep. Ath. p.* 146. Sparranis legem eſſe, ut matrimonia nulla intercedente dote contraherentur, ſcribit Ælianus 6. *varior.* 6. De Indis, Arrianus libr. de reb. Indic. γαμοῦσι δὲ οὔτε τι διδόντες, οὔτε λαμβάνοντες, conf. Diodor. Siculus *l.* 17.

ubi idem tradit de populis Indicis, quibus præfuit Zophites. Adde de veteribus Germanis Tacitum, de Vandalis Procopium & Grotium *in prolegom. hiſtor. Vandal.* de Armenis *Nov.* 22 *c.* 1. D. Suedis Locc. *D ſſ 7 de jure Suedie. quaſt.* 7. de Belgis A. Matthæi *de Crimin. p.* 428. conf. D. Eyben D. 8. *ad Inſt. obſ.* 13. de Japonenſibus Varenium *deſcript. regni Japon. c.* 12. *p.* 85. de incolis Imperii Maroccenſis St. Olon *de l'Empire de Maroc p.* 87. De Rep. Norbergenſi Scipio Gentil. *l.* 4. *de donat. inter vir. & uxor. c.* 1.

(2) V. Paganin. Gaudent. libello *de ſucceſſ. fœminar.* Loccenius *Synopſ jur. Sued. D.* 9. §. 10. qui multorum populorum exemplis hoc illuſtrant. Accedant iis Hebræi, apud quos filia non ſuccedebat, aut ſi eſſet ἐπίκληρος, extra tribum ſive cognationem ſuam enubere non poterat. v. *Numer XXVII*, 1. *XXXVI*, 1. *ſequ. Joſua XVII*, 15 Quò minus Auguſtinum 3. *de civit. Dei c.* 21. probare poſſumus, pronunciantem, lege Voconia apud Romanos nihil iniquius dici aut cogitari poſſe. Eâ autem lege cavebatur, ne quis mulierem, etſi filia eſſet, ſupra quadrantem faceret heredem. v. Cicero 2. *de finib.* 3. *in Verrem.* Dio, Livius & alii. v. & Struckium *Diſſ.* 8. *de ſucc. ab inteſtat. c.* 11. §. 14. *ſequ.* Mulieres imperare, quibus ampliſſimæ venerunt hereditates, obſervat Ariſtot. *IIX. Eth.* 12. Huic principio innituntur fœminarum nobilium renunciationes, quæ proinde odioſæ cenſeri non debent. v. Knipſchild. *de fideic. famil. c.* 7. *n.* 88. *ſequ.* Abraham à Weſel *de ſocier. bonor. connubiali c.* 6. *n.* 10. *ſequ.* Conſil. Marpurgenſ. 2. *conſ.* 29. *n.* 15. *ſequ.*

LV. Reliqui liberi, & poſt hos agnati, æqualiter ſuccedant. * Si enim hereditas dividi non poſſit, ſed ad unum tota deferatur; *neceſſe eſt, qui reſtant ſine fundo nihil habere, ſeu pauciores numerô fuerint, ſeu plures*, ut ait Ariſtotel. II. Pol. 4.

* Hinc ubi primogenito omnia cedunt, ut in Anglia fieri conſuevit, reliqui fratres vel latrones fiunt, vel, quod paulo honeſtius eſt, piraticam exercent; quin tales primogenitis inſidiantur, ut in bona ſuccedant ipſi. Ita Piccart. *ad* 2. *Pol.* 6. *p.* 217. Cæterum hoc loco etiam agendum fuiſſet de modis acquirendi reliquis, v. g. præſcriptione, alluvione &c. de pactis & contractibus &c. Plato *l. XII. de* LL. in actis & domibus, præſcriptionem admiſit, breviori etiam quàm apud Romanos tempore: cum nobis potius videatur, præſcriptio-

ni,

ni, quantum attinet res immobiles, in hac optima civitate locum haut esse, idque exemplo Hebræorum. Cicero 1. *de Rep.* Facilimam in eâ rep. posse esse concordiam, in qua idem conducat omnibus.

LVI. Forma civitatis consistit in summâ potestate & subjectione. Finis in hac civitate non est solum summi Imperantis commodum. *Imperium enim liberorum pulcrius est imperio herili; magisque cum virtute.* Aristot. *VII. Pol. 14.*

LVII. Subjectum quodnam esse debeat, valdè ambigitur. Quæ fuerit sententia Aristotelis, vix apparet. Platonem, quod suæ civitatis formam voluerit mixtam (v. Pufendorf. *l. 7. c. 6. §. ult.*) ex democratiâ & oligarchiâ, rejicit *II. Pol. 4.* addens: *melius dicunt; qui plures respubl. miscent; resp. enim, quæ conflata est è pluribus, melior est.* Quod illustrat exemplo Laconum. conf. *IV. Pol. 9.* conf. de Stoicorum sententiâ Laërtium *in Zenone sive libr. 7.* Verum cum Aristoteles per mixturam non partitionem jurium majestaticorum, sed temperiem intelligat, ut ex toto opere facile constat, quam speciem reipubl. pro fundamento & basi habuerit, nondum liquet. Tamen libro tertio *cap. 7.* politiam videtur præferre reliquis, & d. l. c. 11. *melius*, inquit, *turba existimat de multis, quàm faciat unus, quicunque ille sit: Amplius magis incorruptum est multum; quemadmodum aqua copiosior, sic & multitudo paucis incorruptior est. Uno autem ab irâ oppresso, sive quopiam hujuscemodi alio motu, necesse est judicium corruptum esse. Illic verò non facile est omnes iratos esse & peccare. Præstruimus autem multitudinem esse liberos homines, nihil præter legem gerentes, nisi in illis rebus; ubi necesse est ipsam deficere.* &c. Regnum omnium rerumpublicarum esse optimum docet *VIII. Eth. 12.* πρώτην καὶ θειοτάτην speciem regnum vocat *IV. Pol. 2.* Et profectò regnum plerunque est

optimum, ut infra dicemus. Ne regna exſtruantur ex voto optima. Introſpice (ait à Kochow *el. 1. Ann. Pol. l. 4. ad A. 1651.*) quisquis es autem, cum videris referta atria, obſeſſas penetralis fores, oppletam incubis limam; cogita larvato actu ſcenam inſtrui & tot vertumnos eſſe quot homines. Amplum hoc diverſorium hypocriſeos forum eſt, in quo præter formam venale nihil. Hic jusjurandum titulus fidei, re carens, ineptum amicitiæ vocabulum, inane prudentiæ nomen, niſi hæc omnia privatæ utilitati inſerviant. Per urbanam comitatem ac obvios ni deſunt ſane ſermones abſtruſa quæque arcanorum ſagaciſſimè veſtigantur. Accedunt ſimulatio & diſſimulatio incognita veteri Ethnicæ entia, nunc certantes eo loci virtutes. &c. Veterum quidam dixit: Omnes bonos Principes uni annulo, facillimè inſcribi poſſe.

LVIII. De conſultationibus, imperiis, * legibus & judiciis, uti optimè poſſunt inſtitui & adornari, accuratè heic agendum erat. Verùm hac quoque parte mutilum eſt Ariſtoteleum opus. Ad judicia pertinet quæſtio, quam tractat *II. Pol. 6.* An ſententia per calculos ferenda?

* De LL. ſive ſcriptis ſive non ſcriptis in hac rep. lectiſſima notandum, utile eſſe, ut cives à teneris leges patrias ediſcant, ne cogantur tantum ex pœnis eas diſcere, quæ diſciplina nimis magno conſtat. Sic apud Romanos ſtante republ cogebantur pueri diſcere LL. XII. tabul. ad unguem, tanquam carmen aliquod, teſte Cicerone. A quibus moribus poſtea diſceſſum, magno ſeip. illius malo. Deinde ſit morum & LL. uniformitas, ut apud Hebræos olim & hodie apud Sinenſes. De quibus Coupler in Confuc. not. ad l. 1. Sinic. Scient. p. 80. *Eſt*, inquit, *prorſus admiratione dignum, quod in hoc Sinarum imperio, quod unum, ſi non magnitudine ſua, certè hominum frequentia univerſam Europam longè ſuperat, tanta ſit tamen & ab omni retro memoria fuerit in rebus omnibus uniformitas, tam conſtanter & exactè obſervata, ut non*

ſolum

ſolum linguâ rituumque civilium, qui ad forum, conjugia & diſciplinas ſcholaſticas ſpectant, item ſacrificiorum veſtium, que una eademque pro cujusque gradu ſit ratio, ſed urbium quoque palatiorum & domorum par omnino forma: ſic, ut qui unam urbem viderit, omnes hujus imperii urbes vidiſſe cenſeri poſſit. De republica Veneta Joann. Caſa vita P. Bembi. *Hanc cautionem prudentiſſima una Venetorum civitas ſemper adhibuit, ut domeſticos ſuos mores diligentiſſimè retineret, eſſetque planè ſua, neque quicquam externi infundi in civitatem, aut ulla inſici ſe peregrinitate pateretur.* Hinc in conſultationibus avita lingua, utut impolita, utuntur. Quod inſtitutum ut prudentiſſimum meritò laudat Menagius *in Menagian part.* 1. *p.* 400. Et jam dudum Plato VI. de LL. etiam in levibus rebus, v. g. ludis, noluit fieri mutationem: nam ea conſuetudine mutandi pueros fieri inconſtantiores; paulatim eis vetera omnia ſordere & nova placere: quæ res maximam peſtem in civitatem inferat. Præterea in civitate hac leges ſint paucæ & breves. Bene Strabo l. 6. Geograph. p. 179. *Non eos, qui legibus omnem calumniæ locum volunt præcludere, bonis regi legibus, ſed qui ſimpliciter poſitis legibus inſiſtunt. Atque hoc etiam Platonem dixiſſe: Apud quos ſunt plurimæ leges, apud hos etiam lites eſſe & malos mores: ſicut morbi ſoleant eſſe multi, ubi multi ſunt medici.* Vide de Helvetiis, quare Romana jura non receperint, Simlerum *l.* 2. *deſcript. Helvet.* de Dania Joann. Iſaac. Pontan. *Chorograph. Daniæ deſcript.* ubi brevitati legum adſcribit, quod nullibi in Europa, modo officium judex faciat, aut citius quisquam aut minore cum impendio finem litis aſſequatur, quam in Dania. Sanè hinc fit, ut lites etiam ſint pauciores. v. de Scribus & vicinis eis gentibus Strabonem *l.* 15. *Geograph. p.* 483. de Tabropanenſibus Plinium *l.* 6. *hiſtor. natural.* 22. de Indis Philoſtratum *l.* 7. *in vita Apollonii c.* 9. in fine, & Nicol. Damaſcenum, de Tataris Præcopienſibus Joach. Paſtor. *l.* 12. *hiſtor. Polon. plenior. p.* 58. Cum è contrario, ubi legum eſt varietas, lites non poſſint non multiplicari. v. de Polonia Piaſecium *Chronic. ad A.* 1632.

LIX. De bello, pace, fœderibus, non dubitandum, quin optima quædam inſtituta reperiantur, etiam prorſus omiſſa in opere Ariſtoteleo.

LX. Idem dixeris de perſonis ſummorum Imperantium, eorumque adminiſtris. Tamen unum hoc

loco institutum memorari par est, quod habet *VII. Pol. 14.* ut in constitutione imperantium ad provectiorem ætatem respiciatur. *Stomachatur enim nemo, cui per ætatem imperatur, neque arbitratur se meliorem esse, præsertim cum hoc præmium recepturus sit, cum res tulerit justa ætate.*

LXI. De militibus etiam multa optimè possunt institui. Verum nec de his quicquam est in opere Aristotelis, nisi quod rectè Platonem reprehendit, qui diversos in hac republ. ab agricolis facit milites *II. Pol. 4.* Miles enim lectus haut dubie in civitate hujuscemodi esse debet: alioquin enim agricolæ & opifices *fierent propemodum servi eorum, qui arma possident*, ut idem ait *d. l. II. c. 6.* & sect. 1. §. 60.

LXII. De pœnis & præmiis æquè nihil reperitur in opere Aristot., nisi quod Hippodami legem refert *II. Pol. 6.* quâ voluit, ut eorum, qui pro patriâ occubuerunt, liberi è publico alerentur.

SECTIO TERTIA.

DE CIVITATIBUS MARITIMIS.

I. TRansitio ad civitates optimæ proximas.

II. CIVITAS MARITIMA contemplatione objecti est plerumque optima.

III. *MALUM* civitatis hujus *primum*, turba navalis.

IV. *Alterum*, imperitia rei navalis.

V. *Tertium*, inundationes & diluvia maris.

VI. *Quartum*, Depræda-tiones piraticæ in terrâ pariter ac mari.

VII. *Quintum*, crebra naufragia.

IIX. *Sextum*, alea belli maritimi incertissima.

IX. *Septimum*, si fructus marini nullo usu pereant.

X. Consectarium ex malorum horum consideratione.

XI. *REMEDIUM* adversus mala hæc *universè*.

XII. *Singulatim remedia* adversus *primum malum*.

XIII. Ad-

XIII. Adversus *secundum malum.*
XIV. Adversus *tertium malum*
XV. Adversus *quartum malum.*
XVI. Adversus *quintum malum.*
XVII. Adversus *sextum malum.*
XIIX. Adversus *septimum malum.*

§. I.

POst optimam civitatem ad reliquas species progrediemur eo ordine, quo illas in parte primâ explicuimus. *Neque enim ignorare oportet rerump. discrimina, & quot modis temperentur.* Aristot. *IV. Pol. 1.* Et ob variam civitatum conditionem fit, ut uni quod prodest, maximè obsit alteri.

II. Est autem ratione objecti civitas maritima non quidem ex voto, ut sectione præcedente demonstravimus, sed tamen plerumque optima. *Nam negari nequit,* (1) *tutiores ac munitiores esse tales: Tum ad rerum necessariarum copiam haut parum interesse, ut ex unâ parte terrâ, ex alterâ cingantur mari. Nam si propulsandus hostis, fieri non potest, quin facilius serventur, ad quos terrâ pariter & mari facilis accessus datur. Quamvis enim hosti non utrinque semper aquè in obsidione noceri possit, utrinque tamen id facilius fit, si utrumque nobis adsit. Terrâ, dico, pariter & mari. Ut omittam, quam sit necessarium, ut ea quibus egent aliunde accipiant; ea item, quorum magna apud eos copia, ad alios transmittant. Nihil enim permutatione eâ ac commutatione est utilius.* ut Aristoteles paraph. Heinsio loquitur *VII. Pol. 6.* v. omnino Loccen. *l. 1. de j. marit. c. 1. §. 8.* (2) Ne dicam nunc de aliis commodis.

(1) Dux Somersethæ in epist. ad Scot. apud Sleidan. *l.* 20. *hîs Oceano claudimur undique tanquam mœnibus & vallo firmissimo* Belgæ fœderati ad Reginam Angliæ apud Grotium l. 7. Histor. ad A MDXCVIII. *Britannis Oceanus & classis sola regni munimenta sunt.* De Suecia Thuanus l. 121. ad

An. 1598. *Ora maritima Sueciæ syrtibus & brevibus abundat, aspectu ob id terribilis. Eminus cautes horrorem propinquantibus incutiunt, neque pervia nisi juxta positu apparent; quin & scopuli ex imo assurgunt, quidam aquore tenus, alii exsurgentes desidentesvè ad cubitum unum alterumvè, navigantibus formidabiles. Cautes autem illæ sunt insulæ, quas indigena Schærenas nuncupant, & universo littori Suecico prætenduntur, atque à Calmariâ & Hallandiâ incipientes in Boddicum sinum per ducenta amplius Germanicæ milliaria porriguntur, quatuor aut sex milliarium latitudine: numerus earum iniri non potest, quippe ambitu vix stadium unum aut alterum, aut qua maxime Italicum milliare excedentes, pauca leucas aliquot continent. Inde difficile, cursum rectum tenere inter tot insulas, confusâ similitudine fallentes, ubi è pelago aperto in eas penetratur, ademto prospectu: nulli meandri, nulli inextricabiles labyrinthi, qui aquè errore implicent.* Ita Creta à loco incolumitatem habuit, ut observavit Aristoteles II. *Polit.* 4. Batavis sterile solum aut paludibus obsitum in mari opes & gloria & in validissimum hostem unicæ vires. apud Grotium l. 17. hist. p. 536. & post: *inutiles sunt Batavos mare amissum. l. 2. hist. p.* 161. Lœdentibus gentibus circumjecta flumina & mare in patrem præsidi veniebant. Planè ut hodie situs loci tuetur Venetos. i

(2) Inundatione, quæ alioqui malum est in civitatibus hisce, hostem arceri posse, exemplo Hollandiæ docemur, non semel remedio hocce adversum hostiles impetus defensæ. V. Louis Aubery *memoires pour servir à l'histoire de Hollande p.* 259. de inundatione A. 1672. procurata. Item A. 1575. apertâ amnium sextâ & tertiis immissum mare Lugdunum Batavorum servavere. v. H. Grotius *l* 2. *Ann. p.* 45. Adde de Dithmarsiâ Joann. Meursium *histor. Dan. in vitâ Joannis D. R. ad A. MD.* Non minus constat, civitatem in muris ligneis aliquando salvam fuisse. v. Nepotem *in Themistocl. c.* 2. Nihil jam dicam de fructibus marinis, margaritis, coralliis, gemmis, piscibus. Adde Xenophontem *de Republica Athenienf.* & Schefferum *de militiâ navali*, ubi multis disserit de commodis à mari venientibus.

III. Mala civitatis hujus tantum non omnia promanant ab ejus subjectô, vel primario, vel secundario. Et quidem (1) ingens malum sunt turba navalis, fæx maris. Euripides *Hecubâ.*

Ἀχάλα-

Ἀκόλαστος ὄχλος, ναυλικὴ τ' ἀναρχία
Κρείσσων πυρός. Κακὸς δ' ὁ μήτ' ἔρξων κακόν.
*Indomita plebs * & nauta frenari ſolens*
Minus igne: malus eſt, qui nihil fecit mali.

Adde & illud ita in regione non adeo magnâ magnam hominum multitudinem contineri poſſe. v. infra *ad p. 334.* Grotius *l. 4. hiſtor. p. 212.* Idem Iphigeniâ in Aulide:

Ναυλικὸν τέρατυμ' ἄναρχον, καὶ πὶ τοῖς κακοῖς θρασύ,
Χρήσιμον δ', ὅταν θέλωσιν.
Nauticum omne eſt vulgus audax ad mala, impatiens jugi,
Maximi, ſi cupiat, uſus.

* *Navalis turba, indomita legibus*, eſt apud H. Grotium *l. 2. Ann ad A.* 1576. Si regio eſt portuoſa, magnam utilitatem adfert. v. Grot. *l. 9. hiſt. p.* 387.

IV. Deinde (2) malum eſt, ſi nautæ eorumque præfecti ſint imperiti artis navigandi, cujus ſpecies ἰσοδρομία ſeu velificatoria & hydrographica ſcientia, & ventorum cognitio. Earum ſanè ob ignorantiam crebra naufragia evenire neceſſum eſt.

V. A regione terreſtri (3) malum ſunt inundationes & diluvia maris, præſertim ubi terra eſt depreſſior mari, ut in Friſiâ, de quâ * Ubbo Emmius *l. 7. Hiſtor. Friſic. rer.* ſcribit: *Oceani exundantis incommodum nimiam ore illius felicitatem corrigere & caſtigare.*

* Exempla v. apud eundem *l. 7. hiſtor. ad A.* 1163. *l. 9. ad A.* 1216. *l.* 10. *ad A.* 1249. *A.* 1250. *l.* 11. *ad A.* 1362. *l.* 12. *ad A.* 1277. In Hollandia celebre eſt diluvium Anni 1570. in feſto omnium Sanctorum, quô quater centies mille homines periiſſe dicuntur, & illud A. 1682. non minus horrendum. De An. 1170. Hollandis, Zelandis & maximè Friſiis ob eluvionem Oceani calamitoſo. v. Matth. Voſſius *Annal. Holl. & Zeland. l. 2. ad d. Ann. De A.* 1422. v. A. Chronici Belgici p. 363. De inundatione in der Inſul Nortland / in quâ ultra 6000. homines perierunt, v. Lohmeier *tab.* 60. *in Friderico.*

De exundatione maris sub Valentiniano & Valente Ammianus *l. 26. c. 10.*

VI. Item (4) malum sunt deprædationes piraticæ in terrâ pariter ac mari. Quæ non damna olim aliis populis intulêre prædones maritimi, Saxones, & * Normanni? v. & Florum *l. 3. Rerum Roman. c. 6. & ibi not. Freinsh.*

* De Normannis v. in compendio Calixtum *sec. IIX. histor §. 44. sequ.*

VII. A mari ipso (5) malum sunt (1 crebra naufragia. Unde non rarò è divitibus fiunt pauperes, & propterea à commerciis alii absterrentur. Hinc Euripides Philoctete;

Μακάριος, ὅστις ἐυλυχῶν οἴκοι μένει,
Ἐν γῇ δ' ὁ φόρος, κἀπάλιν ναυτίλλεται.
Beatus ille, qui domi felix manet,
Solidoque merces locat, & à ponto abstinet.

(2 Neque tamen cuncta maria æque navigantibus sunt infesta.

(1) Quot & quàm multa damna à mari acceperit Philippus II. Rex Hisp. singulatim narrat Reidanus *l. 13. histor. Belgic. ad A. 1596.*

(2) Menander apud Athenæum *l. 13. Dipnos.* ex stimat in Ægyptio, Lybico, Ægeo mari, *ex triginta navibus non tres perire*

IIX. Hinc (6) Marte maritimo nihil est incertius. Athenienſium florentissima civitas hâc unâ temeritate concidit, ajunt quidam apud H. Grotium *l. 16. Hist. Belgic. ad A. 1607.* Sumtus in triremes magni v. Pufendorf. *8. 5. §. 5. in fine.*

IX. Denique (7) malum est, si fructus quidam marini, nullo usu pereant, v. g. si pisces ob emtorum infrequentiam computrescant.

X. Quæ mala si considerentur, non temerè Censorinus dixisse videtur apud Appianum Alexandrinum *libr. de bellis Punicis:* Ὅλως τε μοὶ δοκεῖ πόλις ἐν τῇ

ἐν τῇ θαλάσσῃ ναῦς τίς ἐῖναι μᾶλλον ἢ γῆ, πολὺν τὸν σάλον πραγμάτων ἔχουσα καὶ τὰς μεταβολάς· Ἡ δὲ ἐν τῷ μεσογείῳ καρπῶσθαι τὸ ἀκίνδυνον ὡς ἐν γῇ. *Civitas maritima videtur mihi navis potius esse, quàm terra solida; ita jactatur variis negotiis subinde mutabilibus: mediterranea verò absque periculo fructus ex agris percipit.* Quam incertæ spei sint, quæ fluctibus & ventis traduntur exemplis probat H. Grotius *l.* 8. *hist. ad A.* 1599. *p.* 373.

XI. Ob tanta mala summum est remedium, Deum habere propitium. Hinc Bœcler. *Dissert. de civitat. maritim. c.* 3. meritò laudat institutum, in civitatibus maritimis receptum, Deo Servatori & custodi classem perpetuò ac expeditiones seorsim publicis precibus Deo commendare. Et jam olim in Gallis laudavit Arrianus *de venatione c.* 35. quod rem nauticam exercentis à Diis fecerint principium. Neque tamen non multum heic possunt alia instituta. De Rhodiorum Rep. * Strabo l. 14. Geograph. Θαυμασὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία καὶ ἡ ἐπιμέλεια περός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε πολὺν χρόνον καὶ τὰ λησήϊα καθεῖλε. *Admiranda verò etiam est praclara legum constitutio & observatio, diligensque cura tum reliquarum reipubl. partium, tum maximè rerum navalium, quo factum, ut multò tempore mari dominata sit, ac prædones ex eo amoverit.*

Addatur Morisotus *l.* 1. *orbis maritim. c.* 30. Ludovic. Nonius *comment. in Hubert. Goltzii numismata antiqua Græc. p.* 274. *seqq.*

XII. Malo primo remedium opponit Aristoteles VII. *Pol.* 6. Si turba navalis neque urbem ipsam habitet, neque valdè longè absit. Id quod fieri posse putat, * si portus ac navalia nonihil dissita à civitate huic rei destinentur, mœnibusque ac munimentis,

tis, ac ſi per civitates eſſent, & ab alterâ ſejunctæ undique circumſcribantur. legem ſalutarem Henrici VII. ap. Baconem V, *in quo vita p.* 133.

* In Suecia Holmiæ nautæ in tribus ſuburbiis (quæ Malmen vocant) habitant. In Dania Chriſtianus IV. Rex ædificia magno numero & æquali altitudine, ut habitacula nautarum eſſent, in locis Haffniæ & ejus caſtello interpoſitis, ſumtibus ſuis exſtruenda curavit.

XIII. Adverſus alterum malum remedium eſt, publicis ſtipendiis auctorare mathematicorum & inprimis navigande artium peritos, qui deſtinatam navigationibus juventutem artes illas, quarum ad rem nauticam uſus eſt, edoceant. Quod eò etiam proderit, ne nauticos homines aliunde conducere ſit opus, id quod periculoſum eſſe oſtendit Iſocrates *in Panathenaico.* Pontanus *l. 2, rer. & Urb. Amſtelod. cap.* 24. memorat, ad Batavorum navigationes verſus Boream & in Indiam plurimum contuliſſe Petr. Plantium, navarchos & claſſi præfectos, priusquam iter ingrederentur, privatim docendo dirigendoque. Ahhinc publica collegia inſtituta, in quibus vernaculâ linguâ artes illæ traduntur & excoluntur. Et non ita pridem (1) in Galliâ conſtitutum, ut in præcipuis maritimis Civitatibus ſint hydographiæ Profeſſores. Venetiis quoque eſt Academia della Marine dicta, quæ erudiendis in arte nauticâ junioribus Patritiis occupatur. Huc etiam pertinet, (2) præmiis excitare, qui quid rei nauticæ proficuum inventuri ſunt.

(1) Verba Ludovici XIV. Ordinationis touchant la Marine, ſunt l. 1. tit. 8. *Voulons, que dans les Villes Maritimes les plus conſiderables de noſtre Royaume il y ait des Profeſſeurs d' Hydrographie pour enſeigner publiquement la navigation.* v. omnino Bœclerus pravos maris dominos. p. 14. *Les Profeſſeurs d' Hydrographie ſçauront deſſiguer & l' enſeigneront à leurs Ecoliers pour les rendre capables de figurer les Ports, Côtes, Montagnes, Arbres, Tours & autres choſes, ſervant de marque aux*

aux Havres & Rades, & de faire les Cartes de terres, qu'ils decouvrtront. Tiendront quatre jours au moins de chaque semaine leurs Ecoles ouvertes, dans lesquels ils auront de Cartes, Routiers, Globes, Spheres, Bousſoles, Arbaleſtes, Aſtrolabes & les autres inſtruments & livres neceſſaires à leur arts.

(1) Hollandi inſigne præmium poſuerunt, ſolventi problema illud: invenire mari loci illius, in quo verſamur, longitudinem quovis tempore vel quovis die. V. & de Vallemont: *Les Elemens de l' hiſtoire, ou ce qui faut ſçavoir de Chronologies de Geographie. &c.*

XIV. Tertio malo nullum eſt quod opponi poſſit remedium. (1) niſi aggeres. vim unduram dispellere. Grot. Exemplo eſt Friſia, quæ gravi impendio ac labore excitatis in orâ permagnis è terrâ aggeribus, velut vallo quodam, ſe contra influxum maris & fluminum cingit ac munit, ne ſic quidem à fluctibus ſatis tuta ac ab inundationibus immunis, Quo magis ſanctos eſſe aggeres convenit, & graves adverſus eorum violatores ſtatui pœnas. Quæ in ruptores aggerum Nili conſtituta, extant in *tot. tit. C. de Nili agger. non rumpend. l. penult. de extraord. cognit.* Jure Saxonico dolo rumpentibus aggeres pœna vivicomburii conſtituta. Eodem jure ad reparationem aggerum vocatus non comparens, legitimo impedimento non probato, bonis quæ ſub aggeribus habet multatur. v. Specul. Saxonic. *l. 2. art.* 55. Quibusdam in locis certi eſſe ſolent curatores Judices & Præfecti aggerum.

(1) Ubbo Emmius de Rep. Friſiorum inter Flevum & Lavicam p. 66. *Contra anniverſarium univerſa Friſia hoſtem Oceanum, ventis commotum, inſtituti ſunt aggeres terrei vaſta molis, velut fluctuum obices. Nam tempeſtatibus intumeſcens Oceanus, & in vada, æſtuaria, flumina ſeſe infundens, ni obſtarent aggeres, univerſam pulcerrima & culiſſima regionis faciem opprimeret, ſæpe etiam armenta, greges, ſata obrueret perderetque. Itaque haut minima curationum publicarum in gente noſtra jam inde ab initio que regio hac haberi populariter cœpit, fuit illa, quæ ad aggeres pertinet, & ad aquarum*

clauſti-

clauſtra cum aggeribus conjuncta. Nam fortuna totius regionis & populi in duobus iſtis potiſſimum poſita eſt. De jure aggerum ſcripſit ex profeſſo Jodockus Hackmannus.

(2) De Dyckgraviis, Syll-und Dyck-Richtern/ in Friſia, quorum illos Græce χωματάρχας, hos χωματοδικαστάς dixeris, v. Ubbon. Emmium de *Rep. Friſior. inter Flevum & Lavicam p.* 66 & 67.

XV. Adverſus quartum malis facit (1) Pharos in locis littoralibus excitare, quibus accenſis vicini omnes ad communem defenſionem accurrant (2) Portus, ſi regio naturâ portuoſa non ſit, arte extruere. Qualis circa Tiberis oſtia fabricatus à Claudio, apud Dionem *l. LX.* de portu Haffnienſi v. l'Eſtat du Royaume de Danemarck. *p.* 15. *ſeqq.* Portus enim fidam ſecuramque navibus præſtant ſtationem, & à tempeſtatibus piratarumque incurſionibus eas dem defendunt. Quæ autem ſint conditiones boni, ſecuri & commodi portûs, in compendio explicat Boſius *introduct. in notit. rerump. c. cap.* 27. §. 3. Apud Romanos portui præerat peculiaris magiſtratus, qui Comes portûs dicebatur. v. Panciroll. *in Comment. de Imper. Occidental. c.* 9. Adde de portubus Ariſtotel. VII. *Pol.* 6. Inter Hiſpanos & Anglos convenit: ne naves bellicæ ſupra ſex aut octo alterius portubus conſiderent. Grot. *l.* 3. *Hol. Belgic. A.* 1604. *p.* 453. (3) Imperium maris, quà præſertim littora ſpectat, & ab aliis occupatum non eſt, ſibi vindicare, & curare, * ut mare tranſeuntes apluſtrium dimiſſione aliisvé ſignis id agnoſcant. (4) Naves militares inſtruere, quæ inerrent mari, ſive mare velut decuſſando percurant & piratas conquirant, (5) Privatis poteſtatem prædarum in mari ex hoſte agendarum per codicillos dare. Batavi hominum ſeptuaginta perpetuo millia in mari habent. Grot. *l.* 4. *hiſt. p.* 231. ubi addit: magnarum navium multitudine nulli regnorum cedit exigua natio

tio & boni addictis finibus incluſa, cujus adeo iis omnis extra ipſum eſt. v. & Grotium *l. 7. hiſt. p.* 311. v. omnino Grot. 220. *de J. B. & P.* §. 14. (6) Hoſtium, qui in fluminibus publicis capiuntur, redimendorum jus aut beneficium non indulgere, ſed eosdem capitali protinus ſupplicio afficere. Add. Grot. *l. 9. hiſt. Belgic. in fin. p.* 404. Add. *p.* 402. & *p.* 406. *l.* 10.

(1) Quam ob cauſam pharos plerasque extruxerunt Angii, v. Beemann. *hiſtor. Geograph. c.* 3. *part.* 3. §. 8. ubi obſervat. pharos etiam condi in ſignum vicini portus & ad declinandos ſcopulos.

(3) Omninò magnæ potentiæ præſidium & quaſi pignus eſt ſemperque fuit, Mari dominari, ut docet Iſocrates Caſaubon. *in Comment. ad Polyb. l.* 27. *hiſtor.* multa exempla populorum Maris potentum adferens. Cicero X. ad Atticum 2. *Pompeji omne conſilium Themiſtocleum eſt: exiſtimat enim, qui mare teneat eum neceſſe rerum potiri.* v. Baconis Verulam. *ſermon. fidel.* 29. v. ramen cur diſſuadeat imperium maris Athenienſibus Iſocrates ap. Bœcler. varios maris. Domus p. 21. Angli apud H. Grotium l. 13. *Hiſt. Belgic. p.* 453. *A.* 1604. Nimis multa extare documenta, Britanniæ eſſe dominos, qui eſſent maris. Xenophon libell. de republ. Athenienſ. *Ei qui imperium maris habet, pateant quoque adjacentia,* &c. &c.

* Hoc vetus eſt inſtitutum. v. Lipſium *l.* 1. *Elector. c.* 23.

(4) V. H. Grotium *l.* 7. *Hiſtor. Belgic. A.* 1698. *p.* 311.

(5) Philippum Cæſium *Leon. Belgic. ſect* 11. §. 7.

(6) Legem talem durare bello aliquando ſtatuerunt Fœderati Belgæ. v. Philipp. Cæſius *d. ſect.* 11. §. 4.

XVI. Malo quinto medetur (1) doliis aliisque ſignis brevis & tænia in mari denotare, quoniam conſpectu navigantes eorum locorum brevia devitant. v. omnino Grot. *l.* 1. *Hiſt. p.* 122. Aut ſi per tempeſtatem ſigna illa non appareant, homines illorum locorum gnaros, quos hodie Piloten vocant, in promtu habere, qui pro certâ mercede navigantes per vias tutas ad portus deducunt. (2) Ne commercia rareſcant, modos invenire, quibus pericula

in

in plures distribuantur. Huc pertinent societates mercatorum, si accuratis legibus circumscriptæ fuerint; quarum usus præterea est multiplex, præsertim ut propolia & monopolia impediantur. Tales complures regnante Elisabetha in Angliâ institutæ versus Turciam, Moscoviam, Indiam Orientalem, Groenlandiam, Hamburgum. Eodem spectant contractus quidam, ut averli periculi ratione mercium, quæ dicitur hodie assecuratio, vel pecuniæ in navem creditæ, quæ bodmeria nuncupatur. Etenim his contractibus incertus eventus sub ampla satis mercede in alios transferri solet. Nec alio scopo Lex Rhodia constituit, ut rem salvam habentes contribuerent illis, quorum res ob naufragii metum jactæ erunt. (3) Certum navigationibus tempus præfinire. Mense Novembri claudi maria notat Vegetius. Quod olim tanto magis erat necessarium: quia veterum navigatio erat littoralis, ut propterea cum fluctibus tempestatibusve sæpius colluctarentur. Hinc apud Romanos legibus definitum, quando apertum vel clausum esset mare *l. 6. C. de offic. rector. provinciar. l. 3. C. de naufragiis,* Adde Nicol. Henel *Ot. Uratislav. c. 29.* At postquam manifestô Dei beneficiô aperta magnetis efficacia cursus pelagi cœpit regere, * harum legem hodie non adeò magnus usus est. Quanquam Hollandos interdum pro ratione temporum similia edicta publicasse constet. Quale illud A. MDCLXXIX. sub pœna sexies mille florenorum in navigantes ab Anhangelô promulgatum. Lubecenses A. MCCCCLXXIIX. Statutum condiderunt, ne qua navis post idus Novembr. ex Traveno portu cum mercibus in Livoneum solveret. Adde statuta sive articulos Hansæ Teuthonicæ A. MCCCCXIIX. ap. Leibnit. Codic. diplomat. *c.* 128. *§.* 20, quod tamen statutum hodie non

non obſervari ex Herm. Bonn. Chron. Lubec. *l.* 2. *p.* 69. notavit Karicke *reſolut. quæſt. illuſtr.* 2. *p.* 37.

* V. Marquard. *l.* 1. *de jure Mercator. c.* 4

XVII. Adverſus ſextum malum eſt remedium ſecundum Ariſtotel. VII. *Pol.* 6. claſſem maritimam cum apparatu militari omni adornare, eique peritum belli maritimi Prætorem (* Admiralium vocant hodie) præficere. In Sueciæ regno & alibi prudenter inſtitutum eſt collegium Admiralitatis, curam habens extruendæ & armandæ claſſis, nec non portuum muniendorum & conſervandorum. Habet & tribunal ſuum, quo res ad juſtitiam & diſciplinam facientes devolvuntur.

* De Admiralii etymo v. Seldenum *l.* 2. *de mari clauſ. c.* 11. & 16. Adde Maimbourg *l.* XI. *hiſtoire des Croiſad. ad A.* 1150. ubi Carolum Cangium diſputat.

XIIX. Adverſus ſeptimum malum valet, certis hebdomadis diebus eſum carnium vetare. * Quanquam & conſervandorum quorundam piſcium non pauci modi ſolertiâ hominum reperti.

* Ut ſaliendorum halecum, cujus primus inventor, Ann. 1347. Guielelmus Bueckfeldius, V. Boxhorn. *Theatr. Urb. Holland. c.* 5. *p.* 48.

SECTIO QUARTA.

DE REGNIS IN GENERE.

I. POſt civitatem ex voto optimam regnum eſt pletunque optimum.

II. De hoc egit parciſſimè Ariſtot.

III. MALA REGNORUM alia ſunt EXTERNA.

IV. Alia INTERNA A SUBJECTO. Si cives libertatis immodicæ cupidi.

V. Si primarii cives privatum modum ſunt egreſſi.

VI. A FORMA, ſi titulus imperii eſt dubius.

VII. Aut imperium tyrannico modo adminiſtratur.

IIX. Si poteſtas ſummæ non ineſt majeſtas.

IX. A CAUSA EFFICIENTE PRINCIPALI, malum eſt, ſi Rex ni-

mium voluptatibus indulget.

X. Si cum fastu gravis, aut nimis popularis.

XI. Si amicus adulatoribus,

XII. Aut nimis credulus.

XIII. Nimium appetens scientiarum.

XIV. Nimis vel juvenis vel senex.

XV. Insidiis obnoxius.

XVI. Novus.

XVII. Aut vetus regnandi.

XIIX. Ab uxore Regi interdum imminet periculum.

XIX. Aut à liberis.

XX. Aula sive familia Regis sæpe vitiis scatet.

XXI. XXII. Contemtus aut odium exitio sæpe est Regibus.

XXIII. A CAUSA EFFICIENTE INSTRUMENTALI. Si quibus nota sunt Regum consilia fidem non præstant.

XXIV. Aut sibi solum tendunt.

XXV. Si consiliarii novi.

XXVI. Præfecti militiæ Regibus maximè metuendi.

XXVII. Nec raro periculum ab iis est, qui regias pecunias tractant.

XXIIX. Injuriæ ministrorum regiorum valdè utunt subditos.

XXIX. REMEDIA A SUBJECTO, populo, libertatis nimiæ cupido, artes pacis & negotiandi commoda ostendenda.

XXX. Dignitatum gradus inter cives instituendi; sed cavendum simul, ne in regale fastigium assurgant.

XXXI. A FORMA, Rex cutabit, ut justo & publicè confirmato titulo regnum teneat.

XXXII. Hoc consilio inaugarationum cerimoniæ inventæ.

XXXIII. Regna moderata maximè durant.

XXXIV. XXXV. Quicquid illustre vel magnificum in majestatem cooptandum.

XXXVI. Summâ severitate in eos animadvetendum, qui majestatem in ptiore Principe læserunt.

XXXVII. Nullum pœnæ vel contemtus exemplum statui in illum decet, qui eandem gerit personam.

XXXIIX. In consultationibus magni momenti est monitum, ut Rex conclave secretius, velut sanctuarium, habeat.

XXXIX. A CAUSA EFFICIENTE, Rex voluptatibus corporis se non dedat. Sin, minus nocet clam peccans.

XL. Regis cum popularitate temperata sit gravitas.

XLI. Ab assentationibus se liberat mendaces castigando, & aliis modis.

XLII. Regis una est scientia, regere populum.

XLIII. Ne senectus noceat, successor nominandus. Sed hæc cautionibus opus est.

XLIV.

XLIV. Insidiæ evitantur præsidio corporis.
XLV. Accuratâ victûs ratione.
XLVI. Et aliis cautionibus.
XLVII. Novo Regi utilis clementiæ fama.
XLIIX. Contra insidias uxorum & liberorum quæ remedia.
XLIX. Præstat mediocris & modesta aula.
L. Contemptus declinatur, si Princeps non tantum animis sed & oculis Principum serviat.
LI. Odium ex pœnis civitatur, eas irrogando per alios.
LII. Favor conciliatur, si Rex ipse præmia tribuat. Mos simul Galliæ laudatur.
LIII. Quomodo fides Consiliarii exploretur.
LIV. De Præfectis militiæ & ærario in officio retinendis.
LV. Adversus injurias ministrorum profuerit multum circumire provincias.
LVI. Adversus fraudes ministrorum valet si Rex chartas non quasvis, sed potiores, & quidem magnâ cum circumspectione subscribat.

§. I.

RAtione formæ regnum haut dubiè est plerunque optimum, quia tantis artibus opus non habet, ut conservetur, quibus indigent aristocratiæ ac politiæ, (1) & facilius gubernatur, (2) præsertim si populus amet Reges. (3) Accedit duratio major, quàm ut in ullâ polycraticâ rep. possit ostendi. Quoniam *verò regna manifestè conservantur, ut universè loquar, ex contrariis. V. Pol.* 11. prius mala regnorum considerabimus.

(1) Consilium heic est in promptu, neque necessarium, ut conventus habendi tempus aut locus indicetur ad consultandum. Regni subiti sunt impetus, populi sæpe dum deliberant pereunt, ait Muner. apud Grot. *l.* 17. *hist. Belgic. ad A.* 1608. *p.* 545. At ut idem fit omnibus propositum, difficillimum in imperio plurium. In consilio de rep. suam quisque considerat fortunam, pauci respiciunt communem. Porrò quam unus fortunam suam, sæpe suum alter censet infortunium. Hinc conatus in contraria, solo sæpe odio illius partis, cujus consilia sæpe cœpta sunt, suspecta esse, vel inimica haberi. Atque ut hotum nihil accidat, tamen ipso humani ingenii vitio evenit, ut ferme suam quisque optimam existimet sententiam, eamque cupiat valere; unde tandem fit quod Livius alicubi scribit: *Tendendo ad sua quisque consilia, ape-*

ruerunt ad occasionem locum hosti. Accedit, quod de Germanis memorat Tacitus *de morib. Germ. c.* 11. *ex libertate vitium, quod interdum non simul nec jussi conveniant, sed alter & tertius dies* imò mensis & amplius) *cunctatione coeuntium absumatur.* Hinc ad bellum gerendum nulla regno accommodatior est respublica, & jam facile patet, quo aspectu regnum dixerit optimam rempublicam. Aristoteles IIX. *Eth.* conf. Forstn. *ad* 1. *Ann. Tacit. p.* 97. Hobbes. *de cive c.* 7. Proverb. Salomon, XXX, 31.

(2) Ut in Europa Galli, *qui non modo Regibus suis sanctissimè parent, sed & eos ut mortalibus augustiores venerantur,* ut loquitur Jovius l. 15. histor. p. 294. In Ægypto si Princeps sua vel violenta morte periisset, aulici quoque de vita exibant, sibique in probi ministerii testetam glorioſas infetebant manus, teste de suis quoque temporibus Diodoro Siculo. Quinos etiamnum in Siamensium & præcipuè Calicuthanorum regno viget.

(3) Assyriorum regnum, à Belo inchoatum, ad Satdanapalum mille trecentum & sexaginta annos continua serie propagatum esse, ex Ctesia Gnidio refert Diodorus Siculus *l.* 2. *Bibliothec.*

II. Egit autem Aristoteles parcissimè de regnis. Cujus rei causam conjicit Septalius, * quòd eo tempore nulla vera regna fuerint *l.* 2. *de Rat. Stat. proem.* Nos igitur quæ desunt heic pro instituti modo supplere conabimur.

* V. Aristot. V. Pol. 10. ubi ait: *Non constituuntur amplius regna hac ætate, & cum extiterint, principatus potius ac tyrannides sunt.*

III. Mala regnorum sunt vel externa vel interna. *Regnum autem ex causis externis minimè quidem interit, quare & diuturnum est: ex ipso autem plurimi interitus existunt.* Aristot. V. *Pol.* 10.

IV. Et quidem à subjecto malum est populus libertatis immodicæ cupidus. Quales illi apud Tacitum *IV. Ann.* 46. * *ne Regibus quidem parere, nisi ex libidine soliti.*

* *Est quoddam genus natura factum ad horum recipiendum, aliud ad Regem, aliud resp. aptum & æqualitatis amans.* Aristot.

Not. III. Pol. 12. Quod egregiè illuſtrat, exemplis Aſianorum, Europæorum & Græcorum *VII. Pol.* 7.

V. Deinde, ſi primarii cives, v. Prælati aut Nobiles, potentiâ aut opibus privatum modum ſunt egreſſi, non caret periculo. V. ſupra *ſect.* 1. §. 7. & 8. v. Pufendorf. *l.* 8. *c.* 5. §. 31. *in fine.*

VI. A formâ ſive ſummâ poteſtate & ſubjectione malum eſt, ſi titulus imperii non eſt ſatis validus & in dubium vocatur. Neque enim quieti eſſe poſſunt, qui cauſis quibuscunque imperium deberi ſibi opinantur.

VII. Malum quoque eſt, ſi imperium tyrannicô modô adminiſtratur, *cum ſc. Rex in poteſtate ſuâ eſſe plura poſtulaverit, quàm ferant leges reipubl.* Ariſtot. V. *Pol.* 10.

* Nihil frequentius eſt, quàm ut regna in dominatus degenerent aut tyrannides. v. *part.* 1. *ſect.* 12. §. 14.

VIII. Denique malum eſt, ſi poteſtati ſummæ non ineſt majeſtas. Quod etiam uſu ſolet venire, quando impunè dimittitur, majeſtatem in deceſſore Rega læſiſſe; aut minus æſtimatæ majeſtatis exemplum ſtatuitur in eum, qui eandem gerit perſonam.

IX. A cauſa efficiente principali, hoc eſt, Rege mala ſunt plurima, quæ vitiant bona vel animi, vel corporis, vel fortunæ. Eò pertinent (1) illicitus aut nimius voluptatum uſus, v. omnino Ariſtot. *l.* 5. *c.* 11. *p.* 374. *p.* 376. Libido Piſiſtratidas, libido Tarquinios evertit, multosque alios, quorum mentio apud Ariſtot. V. *Pol.* 10. (1) Idem ait: *d. l. c.* 11. *Non facile inſidiis captari aut contemni hominem ſobrium, ſed temulentum, neque vigilem, ſed dormientem.* (3) In univerſum luxus complures in exitium deduxit.

(1) Julianus Bæticam in Hiſpania, cui præfectus erat, Saracenis prodidit, ut injuriam violatæ filiæ à Rege Roderico ac-

ceptam ulciſceretur, auctore Thuano *l.* 1. *Hiſtor.* Ibrahimus Turcat. Imperator, quod filiam Mufti victimam libidinis ſuæ feciſſet, imperio & vita privatus fuit, ut pluribus narrat Rigaltius in vita Ibrahimi ad A. 1647. Bene Salomon *Prov. XXXI.* 3. *Adulteria viæ ſunt, quæ Reges perdunt.* conf. Forſtner. *ad V. Annal. Taciti ab initio.*

(2) Temulentiæ occaſiones præcipuè captant Regum aut Principum percuſſores. V. Danielis VI, 30. & Gonthatidis eædem apud Procop. 2. Vandal. *Dionyſio poſteriori Dion inſidias ſtruxit, quia contemnebat, videns cives ſic affectos, & ipſum ſemper ebrium.* Ariſtot. *d. l. V. cap.* 10. Hoc conſilium datum & Piſoni videbis apud Tacitum *Ann. XV. cap.* 52.

(3) De Ægypti Regibus antequam à Romanis ſubigerentur, Strabo l. 17. Geographiæ. *Omnes poſt tertium Ptolomæum malè regnum geſſerunt, luxu perditi: omnium verò peſſimè quartus & ſeptimus, & ultimus Auletes.*

X. (2) * Σεμνοτυφία ſive *faſtuoſa gravitas*, qualem in Conſtantio depingit Ammian. *l. XVI. hiſtor. c.* 5. *& l. XXI. c.* 16. & retrò nimia popularitas, quâ peccavit Julianus apud eund. *l. XXV. c.* 5. & Henricus III. apud Thuanum.

* V. de *μεροφαγία* ſive ſoliepulo Principum Piccatus *Decad.* 17. *obſ. Pol.* 6.

XI. (3) Amicitia cum adulatoribus, (1) perpetuum malum Regum, (2) *quorum opes ſæpius aſſentatio quàm hoſtis evertit*, auctore Curt. 8. *hiſt.* 5. 1. ubi Freinshem. Sunt autem adulatores, *quibus omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt.* ut eos depingit Tacitus II. *Ann.* 38. 5. Philippus II. Rex Hiſpan. à Gretio I. *Annal.* deſcribitur gravitate auſterâ parſimoniâ verborum, turbæ fugâ, formatur ad mores Hiſpanorum. p. 6.

(1) *Imminens omni potentia malum adulatores*, apud H Grotium l. V. Ann. Belgic. A. MDLXXXVI. *Blandum malum, ſed peſtilens inprimis regnis & Regibus aſſentatio.* Cromer. oratione in funere Sigismundi Polon. Reg. V. de Conſtantio Imper. Amm. Marcellin. l. XXI. c. 16. v. omnino Dephilus apud H. Grot. p. 784.

(2) Bion

(2) Bion interrogatus quodnam animal omnium maximè esset noxium? respondit, *si de feris percontaris, Tyrannus; si de cicuribus, adulator.* Exemplum *l. Paral. XXIV*, 17. Valeris ad Senatum Urbis Constantinopolitanæ apud Themistium *orat.* 15. Imperii morbum periculosiorem esse, cum subditi calumniatoribus suppositi sunt, quam cum Barbaris serviant. apud Jacob. Gothofr. *ad l.* 8. *C. Theodos. de famos. libell.* Lactius *l.* 1. *Vitar.* Sunt autem adulatores non unius generis, sed multi; ac ita sæpe ingeniosi & astuti, ut non modo incautos fallant, sed cautos etiam aliquando. Quanquam hoc omnibus est commune, dare operam, ne suos patronos miseri clientes, & carissima capita mollissimi ventres offendant, atque gratiam aliquam ineant, sive hoc fiat verbis, sive factis, sive nutibus aut signis, aut gestibus corporis quibusdam, ac iis quidem vel concedendo manifestè, vel resistendo simulatè, & sive ab ipsis coràm, sive per alios conjuratos, vel etiam conjuges, ut est hoc genus aucupii prorsus infinitum.

XII. (4) Credulitas Regum, *quorum aures sæpe nihil accipiunt, nisi jucundum & lætum*, ut Tacitus loquitur *3. Ann. 56.* Quanquam interdum ita speciosæ sint calumniæ, ut etiam prudentissimo Regi possint imponere, exemplo Davidis 2. Samuel. XVI, 3. * *Bonus, catus, optimus, venditur Imperator.* ait Diocletianus apud Flav. Vopiscum. in vita Aureliani *c. 43.* v. omnino.

* Gordianus apud Jul. Capitolinum: *Miser est Imperator, apud quem vera reticentur, qui cum ipse publicè ambulare non possit, necesse est ut audiat, & vel audita vel à pluribus corroborata confirmet.*

XIII. (5) Quædam sciendi intemperantia, imprudentia v. Salom. Eccl. *X, 5. cùm non retinetur, quod est difficilimum, ex sapientiâ modus.* ut cum Tacito loquar *de Agricolâ c. 4.* Aristoteles *IIX. Pol. 2.* docet, etiam philosophiam ac scientias liberales reddi sordidas ac illiberales, si quis in iis modum non servet, sed περιτρέχειν λίαν πρὸς τὸ ἐντελὲς, *assiduus valdè in iis sit, ut perfectè assequatur.* V. Forstner. *ad XIII. Ann. Tacit. c. 2.*

* Jacobus I, M. Britanniæ Rex, Ludimagiſter appellatus fuit ob nimium literarum ſtudium.

XIV. (6) Ætas vel immatura, vel nimis provecta Regis, cum

propter amara ſenectæ
Pondera (1) deſpicitur, (2) nec quo prius ordine regnat. ut eſt apud Ovidium *lib. IX. metam. fab. 11.* Dictum vetus eſt, quod uſurpavit Pompejus, deinde Tiberius: *A plerisque adorari ſolem orientem.*

(1) Apud Tacitum 1. hiſt. 7. *Ætas Galba & irriſui & faſtidio erat.*

(2) Senectus enim ſegnes & ineurioſos rerum facere ſolet, Herodes mimiambis:

Τὰ λευκὰ τῶν τριχῶν ἀπαμβλύνει
Τὸν νοῦν.

Hebeſcunt, cum nives caput ſpargunt,
Et mentis acies.

& ut Ariſtoteles ait II. Pol 7. Ἔστι γὰρ ὥσπερ σώματος οὕτω καὶ διανοίας γῆρας. *Eſt enim, ut corporis, ita quoque mentis ſenectus.*

XV. (7) Inſidiæ vitæ ſtructæ vel armis, vel veneno, * quod frequentiſſimum.

* Hinc Principum ac Magnatum mortes nunquam veneni ſuſpicione carere, ait Thuan. *l.* 25. *Hiſt. ad An.* 1560. conf. Forſtn. *omiſſ. ad* 3. *Ann. p.* 822. *ſequ.* Et vetè Grotius *epiſt.* 1233 atrociorem ſemper famam eſſe circa potentum exitus. Grot. *l.* 4 *hiſt. Belgic. ad A. MDXCV.* de Erneſto Auſtriaco in Belgio: *Mors ejus, ut fere Principum, ſuſpecta.*

XVI. (8) Novitas regni: * nam *initia Principatuum difficilima, & opportuni motibus tranſitus rerum.* Tacitus *l. hiſtor. 21. 4.*

* Idem Tacit. l. hiſtor. ubi principatus Othoniani initia deſcribit: *Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum ſcelus.*

XVII. Et retrò (9) diuturnitas imperii. *Nam Reges indulgentiâ fortunæ diſcunt audentque.* judicio Taciti *2. hiſt. 48.* qui & alibi * eos diuturnitate in ſuperbiam mutari dicit. In alia plerisque meliora, ſed finis inclinat & multi diuturnitate in ſuperbiam malunt. Tacitus, v. Grotius *ad III. Reg. XI, 3.*

* Cau-

* Cauſas cum Lipſio indagat Forſtner. *ad 6. Ann. Taciti p.* 735. Tacitus 15. Annal. 21, 3. ait: *Initia meliora, ſed finis inclinat.*

XVIII. (10) (1) Uxores, de quibus adverſus maritos Reges atrocia extant exempla & crudelia. V. Baco *ſerm. fid. 19.* (2) Auguſtus Liviæ conjugi præter decorum & auctoritatem imperatoriam fuit obſequens. teſte Xiphilino *in Dionis Auguſto.* Mizislaus tertius contemtus fuit à Poloniş, ob nimium erga uxorem obſequium. Cromer. *l. 3. de Reb. Polon.* Idem *l. 6. Rer. Polonic.* notavit, Uladislaum violentum uxoris amorem nocturnasque perſuaſiones, *quæ plurimum apud uxorios viros valeant, tantoque peſtilentiores ſint, quanto plus poteſt is, quem ſuperant,* præcipitem egiſſe. De Jeſebele *l. Reg. XXI, 25.* Ejusdem *l. 18. Rer. Polonic.* præclara eſt ſententia: *Efficaces ſunt fere apud viros mulierum ſuaſiones atque preces, quæ noctu & in geniali thoro adhibentur.*

(1) Maximè propter Zelotypiam. Legat qui volet apud Busbequium machinamenta uxoris Solimanni; apud Herodotum *l.* 9. Xerxis uxoris furorem adverſus Maſiſtam: apud Juſtinum Olympiadis in Philippum iracundiam, quod Cleopatram in ſocietatem thori ſibi conjunxerat. Adde Pauſaniam *l.* 3. Propertium *l.* 3. Canduliles diiâ uxoris machinatione cæſus Herodotus *l.* 1.

(2) Adde de Gallo Cæſare Ammianum *l.* 14. *c.* 1. & *c.* 11. de Juſtiniano Procopium & Zonaram *tom.* 3. Ne dicam nunc de Jezabele Achabi, Tullia Tarquinii, Eudoxia Arcadii uxore.

XIX. (11) Liberi, *cum ex paternâ fortunâ licentiam tantum uſurpant,* ut de Domitiano loquitur Tacitus *Agric. c.* 7. Quem etiam alibi ait, *ſtupris & adulteriis filium Principis egiſſe.* Talis & filius Davidis Ammon, *II. Samuel. XIII, 2.* * Aut cum hi, à propriâ ſeu alienâ ambitione impulſi, malunt imperium habere, quàm expectare. conf. Bacon. de

Verul. *d. ser. 19.* Successor futurus. Dudum vetus quod usurpavit Pompejus, postea Tiberius:

A plerisque adorari solem orientem Popmius:
Et qui mos populis venturus amatur.

Ecclesiastes Salomon, IV, 15. ubi Grotius,

* Hoc malum est rarius in regnis electivis, frequentius in successivis. Exemplo sint filii duo Sennacheribi, Artaxerxes Darii filius, Perseus Philippi Macedonis, & multi alii. V. Grot. *ad 3 Reg 1. 5.* Forstner. *ad 12 Ann. 44.*

XX. (12) Aula sive familia Regis. *Ut in mari flumina omnia, sic vitia in magnas aulas influere*, dictum fuit Pii II. Pontif. quod refertur à Platina. Aulici serendis odiis callidum genus. H. Grotius *l. 9. histor. Belgic. ad A. 1600.*

XXI. (13) Contemtus, cujus causas jam multas indicavimus. V. Arist. *V. Pol. 10.*

XXII. (14) Odium &, quæ hujus quasi particula est, ira. Quanquam odium magis nocere soleat, & omnino magis metuendum sit Regi, quàm ira. *Ira enim comitem dolorem habet, ut quæ dolor est injuriæ præsentis, denique & rationem tollit. Odium autem & dolore caret, & lentum est & diuturnum, neque caret ratione.* ut Aristot. paraphr. Heinsio loquitur *V. Pol. 10.* Utriusque causa ferme est contumelia. Hæc, præter causas supra memoratas, * oritur etiam ex repulsâ honores & præmia petentium. V. omnino Forstner. *ad XI. Ann. Tacit. c. 25.*

* Conf. supra *sect. 1. § 22* Forstner. *ad 15. Ann 49.*

XXIII. A causa efficiente instrumentali non minus mala proficiscuntur. *Reges* enim *comparant sibi multos, oculos, & aures, & pedes, & manus*, Aristot. *III. Pol. 12.* Et quidem Regibus plurimum nocere possunt, quibus nota sunt eorum consilia, inprimis * si fidem silentii non præstant. Ut enim *cuniculi, maximum utique in rebus bellicis momentum, detecti nocent: ita Principum consilia in vulgus edita, & non*

quâ

quâ decet religione secretè habita, hostes potius quàm illos instruunt. aît Forstner. *ad 2. Tacit. Ann. p. 267.* Principem malum esse, habere autem bonos Consiliarios minus nocet, quam si Princeps quidem bonus sit, sed improbos circum se habeat Consiliarios.

* Ut de iis dici non possit, quod Euripides cuidam, graveolentiam oris sibi objectanti, respondit: *multa in eo secreta computruisse.* teste Stobæo sermon. 39. περὶ ἀπρήκτων.

XXIV. Deinde, si sibi solum tendunt, non Regi, id quod frequentissimum est vitium. V. Forstner. *ad XII. Ann. Tacit. c. 1.*

XXV. Denique, si novi sunt, quorum consiliis utuntur. Frequens autem id novis Regibus, ut consiliis adhibeant potius familiares suos, quàm eos, quorum operâ patres sunt usi. Causa hæc, quòd ostendere potentiam suam volunt omnia mutando, & vetera illa obsequia sæpe non honesta de publicô quam primum repensare, gravi sæpe & suo & patriæ malo. Morum quoque similitudo habet ἐλκυστικόν τι, ut differit sub exemplo Roboami Grotius *ad 3. Reg. XII, 8.* Juvenum consiliis magno suo malo usum Hieronymum, Syracusanum Principem, discimus ex fragmentis Diodori Siculi. Adrastus apud Euripidem *Supplicibus:*

Νέων γὰρ ἀνδρῶν θόρυβος ἐξέπλησσέ με.
Juvenum tumultus cor mihi externaverat.

Theseus apud eundem Euripidem dictâ tragœdiâ, apud Grot. *in excerpt. p. 246. p. 250.*

Ἀπώλεσας πόλιν
Νέοις ἄρχουσι χθεὶς. Οἵ τινες πεμώμενοι
Χαίρουσι πολέμους τ' αὐξάνουσ' ἄνευ δίκης,
Φθείροντες ἀστοὺς, ὁ μὲν ὅπως σφαλῇ λαοῦ,
Ὁ δ' ὡς ὑβρίζῃ δύναμιν εἰς χεῖρας λαβών,
Ἄλλος δὲ κέρδους ἕνεκ', οὐκ ἀποσκοπῶν
Τὸ πλῆθος, εἴ τι βλάπτεται πρὸς ἀρχοντας δίκῃ,

Per-

Perdidisti urbem tuam
Juvenum sequens consilia, qui calido ambitu
Sanguinea quærunt arma sine jure ac modo,
Plebem aucupantes, hic ut in bello imperet,
Ille insolenter ut potestatem gerat,
Pars cupida lucri, nilque habens pensi interim
Quanta inde populi rebus immineant mala.

XXVI. Inter cæteros ministros metuendi Regibus illi maximè, qui milites sibi habent obnoxios; quales Præfecti Prætorio, Magistri militum, Magistri equitum. *Maximè si ingenio audaces sunt. Fortitudo enim potestatem nacta audacia est: propter quæ ambas, ut nullo negotio superiores futuri, insidias moliuntur.* Aristot. V. Pol. 10.

XXVII. Non rarò etiam periculum ab iis est, qui regias pecunias tractant. Talis fuit Philetærus, unde orti Reges Attalici, memorante Strabone *l. 13. Geogr.* conf. de Jeroboamo *1. Reg. XI, 27.*

XXVIII. Maximo etiam damno esse solent Ministrorum Principis injuriæ in subditos. Et hæ ægrius tolerantur, quàm ipsius Principis injuriæ. V. Piccart. *Dec. 12. obs. Pol. c. 6.*

XXIX. Videamus de remediis. Igitur si populus nimiâ libertatis cupiditate fiagrat, * pacis artes, opificia & negotiandi commoda singulis ostentanda sunt, ut innoxii atque florentes privati curâ publicum exeunt, & vectigalia simul augeantur.

* Hac arte Austriacos in Belgio usos memorat H. Grotius *l. Ann. Belgic.* idem l. V. Ann. Belgic. scribit: *callidos quondam Principes armorum gratiam feciſſe nobilibus in Belgio.* conf. Forstner. *ad 3. Ann. Tacit p. 489.*

XXX. *Paucorum dominatio regiæ libidini propior, & populi imperium juxta libertatem est.* Tacit. *6. Ann. 42.* Hinc prudenter tot Dignitatum gradus, Ducum, dico, Comitum, Baronum, Nobilium, & hujus

hujus generis, quibus cives præcipui inter ſe & à plebe diſtinguuntur, in regnis Europæ tantum non omnibus introducti. (1) Verùm curâ ac cautione opus eſt, ne in regale faſtigium aſſurgant. Ubi inprimis commendandum inſtitutum, (2) quo Galliæ, Angliæ, aliique Reges utuntur, ne Purpurati ſive Proceres ſine conſenſu ſummi Imperantis matrimonia contrahere poſſint. V. Bacon. de Verul. *ſerm. 19.* Forſtner. *ad 2. Ann. Taciti p. 231. ſequ.* Hiſpanica Nobilitas magnifica dignitate eximia, ſed attritis opibus, ſuo luxu ac *Principum dote*, qui ſpecie honorum præſtantiſſimum quisque ſumtibus exhauſerant. Grotius *l. 1. Ann. Belg. p. 7.*

(1) Pertinet huc ars Sixti V. Pontificis, de quo Piaſecius Chron. geſtor. in Europ. ſingular. ad A. 1590. *Quo partium capita deprimeret* (in urbe Româ) *ſeu eorum vires enervaret, titulos plures Ducum, Principum, nobilioribus & ditioribus Romanorum diſtribuit; qui jam Columnenſibus & Urſinis titulo inſigni majores, vel æquales, eorum Principatum ſequi dedignantes, quisque ſeorſim clientelas & partes ſibi parabat, ac ita in plures diviſa Romanorum ſtudia, debiliora ad reſiſtendum reddita, ad obſequium poteſtatis legitimæ prudentia Pontificis reduxit* Confer de Philippo II. Rege Hiſpaniæ & Jacobo I. Rege M. Britanniæ, Beemann. *meditat. politic. c. 16. §. 6.* De Venetorum ſimili arte St. Disdier. *de la Ville & Republique de Veniſe part. 2. p. 133. ſequ.*

(2) V. Joann. Lannoji *peculiarem Diſſertationem de hoc argumento*, de aliis regnis Mylet *de Pr. Imp. c. 31 §. 4.* Gamol. *c. 2. n. 4. & ſequ.* v. Pufendorf. *l. 6. c. 2. §. ult.* & quæ dixi diſſertat. *de ſuperioris territor. §. 74. in not.* Morum in Belgio cauſam inter cæteras neglectui inſtituti hujus adſcribit Nicol. Burgundus *l. 2. hiſtor. Belgic. ad A. 1564.*

XXXI. Ne controverſia de poteſtate moveatur, curandum, ut Rex (1) juſto eoque (2) à populo aut Proceribus confirmato titulo regnum teneat. V. Boxhorn. *II. Pol. 3. §. 5.*

(1) V. Bacon. de Verulam. *in hiſtor. Henric. VII. ab initio*, ubi prudentiſſimè memorat perplexam Henrici Regis conſultationem,

tionem, quo titulo regnum ſibi adſertum iret. adde Guil. Camden. *in hiſt. Eliſabeth. ad A.* 1559.

(2) Hinc Rex, maximè ſi comperitorum habet, curabit, ut coronæ & ſceptrorum compos fiat. Ita Carolus IV. Ludovici Imper. è Margaretha liberis paterna reliquit bona & alia adjecit, quò Imperii coronam cæteraque ornamenta, hactenus ab ipſis aſſervata, adipiſceretur, ut refert Matth. Voſſius *Annal. Holland. Zelandiaque l.* 10.

XXXII. Hoc conſilio inaugurationum regiarum cærimoniæ inſtitutæ ab Hebræis, * ad alios populos derivatæ ſunt, additis nonnullis aut mutatis.

* Notant Vatablus *ad IV. Reg.* 11. & H. Gror. *de III. Reg.* 1 34. *apud Hebræos Reges extra controverſiam regni heredes ungi non ſolitos, ſed exortis controverſiis adhibitam unctionem ad majorem cautionem.* De Hungaris memorat Tubero *l.* 1. *pag.* 3. *Hiſt. Pannon.* eos vix habere pto Rege legitimo, qui diadema non haberet. Apud Chriſtianos id Epiſcoporum munus eſſe ſolet. conf. Caraff. *Germ. ſacra & reſtaur. p.* 253. omnino. Et apud Perſas Califarum Princeps cornu Regis capiti imponit, cùm inauguratur. Joann. Cattvvigius Anglus itiner. apud Joann. de Laet. *deſcript. Perſ. p.* 263. v. Schrœd. *part. ſpecial. ſect.* 1. *c.* 2. §. 31. Apud Turcas Mufti ſeu ſummus Pontifex M. Sultanum, in templum deductum, framea accingit, isque ritus inaugurationis eſt apud ipſos, teſte Piaſecio *Chronic. rer. geſt. ad A.* 1623. Apud Polonos electus Rex non poteſt exercere functiones Regias, antequam coronetur, nec diſtribuit beneficia aut officia, niſi aliqua in futurum promittat. Unde & Cancellarii nihil ſigillant, & demum poſtquam ſigilla Regis defuncti circa ejus funeris celebritatem confregerint, à coronato Rege novo nova accipiunt, Mareſchalli, qui antecedunt Regem, ſceptra demſſa non ſublevata præferunt. Quæ omnia memorat idem Piaſecius *Chron. ad A.* 1632. *in calce.*

XXXIII. *Optimè conſervantur regna, ad moderatiorem rationem ea perducendo. Quanto enim pauciorum rerum poteſtatem habuerint, eo longiore tempore neceſſe eſt imperium omne conſiſtere. Cum enim ipſi minus imperio herili agant, & moribus magis ſint pares, tum minus iis, qui parent, ſunt invidioſi.* Ariſtot. V. Pol. 11. Uſu compertum, multa ſæpius ſalu-

ſalubrius veſta ſub Principe, qui aliorum repertas aures & juſſu commodaret, quam cui ſapiendi fiducia contumaciam addidiſſe. Grot. *l. 7. hiſt. p. 332.* Ptolomæi Reges dicebant ſe ex libero patre natos. v. Grot. *ad III. Maccab. p. 742.*

XXXIV. Quicquid illuſtre eſt vel magnificum, in ſummam poteſtatem transferendum. Hinc Coronæ, ſceptra, ſigilla & alia ſymbola majeſtatis inventa ſunt, (1) ad eminentiam & auctoritatem regiam, populi, in ſplendorem & pompam non parum reſpicientis, oculis & per eos animo magis inſinuandam & excitandam. (2) E contrario quicquid dignitatem, quam majeſtatem Romani vocabant, minuere poteſt à Rege amovendum.

(1) Romulus togam ſumſit prætextam, diadema, ſellam curulem, inſignia imperii, lictores quoque duodecim cum ſtrictis ſecuribus & virgis, teſte Livio *l. 1. hiſtor. c.* 8. Le Troue du Mogol eſtimé vingt millions. *Journal des Sçavans A.* 1685. *p.* 174. Niceph. Calliſt. *præfat oper. inſignia* vocat θεῖα τινὰ καὶ πάνυ μυστηρίων ἀπορρήτων εἰκάσματα, *divina quadam, & myſteriorum ſecretiſſimorum imagines.* Adde ſupra *part.* 1. *ſect.* 6. §. 20.

(2) Hanc ob cauſam Galliæ Reges funeri intereſſe non ſolent, teſte Thuano *l.* 79. *hiſt.* Idem de Hebræorum Regibus tradit H. Grotius *ad* 2. *Samuel. III*, 31. Numidiæ Reges more gentis ſuæ nulli mortalium, oſculum ferebant, ut memorat Valerius Maximus 2. Vat. 6. addens: *Quicquid enim in excelſo faſtigio poſitum eſt, humili & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenit.* Inter arcana dominationis repertum à Rom. Impp. ut poſt mortem conſecrarint ſuos anteceſſores. v. Bœtel. *ad Tacit. p.* 224.

XXXV. * Hinc quæſitiſſimi publici honores, ſupplicationes & vota publica pro incolumitate, quæque alia ejus generis ſunt, haut unquam cum aliis, quantumvis ſummâ virtute viris, communicentur. Boxhorn. *d. l.* §. 21.

* Apud Romanos & Perſas nemini privato ſellam Regis ſive Imper. occupare licuit, idque ſub pœna capitis. V. Diodor.

dor. *l.* 17. *Bibliothec.* Curt. *l.* 8. *vit. Alex. c.* 4. Xiphilin. *in Galbâ.* Apud Perſas etiam capitale erat, aliis præter Regem tiarâ uti, teſte Dione Chryſoſt. *orat.* 14. In Gallia & Hiſpania ſub uraniſco incedere, vix cuiquam præter Regem conceditur.

XXXVI. Summâ, ubi id juſtè licet, pœnæ ſeveritate in eos animadvertendum, qui majeſtatem in præcedente Rege læſiſſe deprehenduntur. Tacitus *1. Hiſtor. 44.* poſt narratam Galbæ cædem: *plures quàm CXX. libellos præmia expoſcentium ob aliquam notabilem illo die operam Vitellius poſtea invenit, omnesque exquiri & interfici juſſit, non honore Galbæ, ſed tradito Principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum ultionem.* Oedibus apud Sophoclem de Laji cæde agens:

Ὅς τις ποθ' ἦν ἐκεῖνον ὁ κλανὼν, τάχ' ἂν,
Κἄμ' ἂν τοιαύτῃ χειρὶ πρωρεῖο θέλοι.
Κἀγὼ τοθαρσῶν ἓν ἐμαυτὸν ὠφελῶ.

Quicunque tandem eſt, Lajus per quem peri,
Facilè ille eâdem me trucidaret manu.
Ita ſi peremtum vindico, proſum mihi.

Paulò ante dixerat: * *Ultorem eſſe quisquis ſucceſſit. c. 40.* Non diſſimile, quod C. Julius Cæſar, ſtatuas Pompeji reponens, ſuas ſtabiliſſe dictus eſt. v. omnino Bodinus *l. 2. p. 636. ſeqq.* conf. Freinsh. *ad 10. Curt. c. 5. n. 30.*

* II. Reg. XIV, 5 eſt: *Percuſſit* (Amazias) *ſervos ſuos, qui interfecerant Regem patrem ſuum* Ubi H. Grotius annotat. *Puniunt talia facinora etiam qui ſucceſſu fruuntur.* conf. *II. Paral. XXV, 3. 4.* v. & *II. Samuel. I, 16, & IV, 19.* de occiſoribus Iſboſethi.

XXXVII. Sed nec pœnæ aut contemtus aut minus æſtimatæ majeſtatis exemplum Regi ſtatuere convenit in illum, qui eandem gerit perſonam. *Regi tuenda eſt maximè Regis ſalus.* ait Seneca *in Oedipo.* conf. orationem Oratoris Galliæ, * Eliſabethæ Angliæ

gliæ Reginæ copiosè, licet fruſtra, diſſuadentis Mariæ Reginæ Scotiæ ſupplicium, in præjudicium dignitatis regiæ iturum, apud Thuan. *l. 86. hiſt.*

* De hoc Eliſabethæ facto H. Grotius l. XII. Hiſt. Belgic. ad A. 1603. *Tum illud non minus novum, quam inviſum Regibus cunctis exemplum, & ne ipsâ quidem neceſſitate ſatis excuſatum, occiſa fœmina imperio fœmina, & cognata, & ſupplex, & regina.*

XXXIIX. In conſultationibus magni momenti eſt monitum, (1) ut Rex conclave habeat ſecretius, velut ſummum aulæ ſuæ ſanctuarium, nulli alii, quicunque etiam is ſit, patens. In hoc aſſervet breviarium totius imperii, quale habuit Auguſtus, Tacito teſte I. Annal. 2. *in quo continebantur opes publicæ, quantum civium ſociorum in armis, quot claſſes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia & neceſſitates ac largitiones.* (2) In eodem aſſervet ſcripturas eò pertinentes, illas maximè, quæ cùm ad ſui regni tum vicinarum civitatum notitiam faciunt. Hoc præcipuum eſt remedium contra aulæ ſuæ ſcrutatores ſpeculatoresvé.

* Hoc inſtituto uſi Philippus II. Hiſpaniæ Rex, in regno Francorum Carolus M. de quo Aventinus *l. 4. Annal. Bojic.* & prudentiſſimi quique Reges.

(2) Perſarum Reges commentarios habuerunt. Exemplum Artaxerxis eſt apud Joſephum *l. XI. origin cap. 6.* conf. *Eſther. II*, 23. ubi Grotius annotavit: *Diurna apud Regem aſſervabantur.* & *VI*, 1. 2. Quo more adhuc hodie uti Perſarum Reges, intelligere eſt ex memorabili exemplo apud Tavernier *relation du Serrail du grand Seigneur p.* 23. *ſequ.* In regno Japoniæ Cæſar Cicoboſamma moriturus filio tradidit arcam, aſſervantem antiquas leges & regni annales, cum multorum ſapientum dictis, eaque ut magni æſtimaret præcepit, teſte Varenio *deſcript. regni Japoniæ c.* 15.

XXXIX. Optandum eſt, Regem voluptatibus corporis haut indulgere. Quod ſi ſperare id non liceat, (1) minus nocet Regem, cujus vita ſuis pro exemplo eſt, cùm peccat, clam & in occulto pecca-

re. Quod judicium eſt Thuani *l. 21. ad An. 1528.* loquuti de amoribus Caroli V. conf. aliud exemplum apud Sleidan. *l. 15. hiſt. A. 1544.* (2) Maximè verò commendandum Regi, ut adulteriis & violentis ſtupris abſtineat. Euripides *Erechteo:*

Ἐξουσίας δὲ μήποτ' ἐς ὑψηχῶν, τέκνον,
Αἰσχρὸς ἔρωτας δημοτῶν διωκάθειν.
Ὁ γὰρ σίδηρον ἀγχόνας τ' ἐφέλκεται,
Χρηστῶν πενήτων ἄν τις αἰσχύνῃ τέκνα.
Ad dignitatis alta vectus culmina,
Ne civium corporibus illudas cave.
In ſeſe & enſes acuit & laqueum vocat,
Quicunque honeſti pauperis ſpurcat domum.

Maximus Senator Romanus injuriis & ſtupris Valentiniani commotus fuit ad cædem faciendam. Procopius *Vandal. l. 4.* Evagrius apud Cellar. *hiſt. univerſal. ſec. V. p. 47. ſequ.* v. & Valeſ. *tom. 1. p. 180.* Quidam Reges, ut tædium ex otio diſpellerent, ſimulque ſubditos ſuos ad ſimilia ſtudia excitarent (3) opificium aliquod addidicerunt exercueruntque.

(1) Idem cogitavit David, nihil non agens, ut adulterium cum Bethſabea valeret. V. 2. *Sam. XI, 4. ſequ.*

(2) Boccalinus *in comm ad Tacit.* poſtquam diſſetuerat de adulteriis Regum: *No ſo*, inquit, *vedere, per qual cagione i Prencipi, che poſſono haver in poter giovani belliſimi ſenza fatica, vogliono precipitarſi in una riſolutione tanto dannoſa.*

(3) Hoc olim Turcicis Imperatoribus in uſu fuiſſe, diſcere eſt ex ſermone ſummi in Turcia Pontificis, apud Tavernier *relation du Serrail du grand Seigneur ch. 16.*

XL. Nulla certior Regibus quàm ex manſuetudine ſecuritas. Populi benevolentia vili conſtat, quæ humanitate emitur. v. inſignis locus apud Herodianum. Nec aliâ arte multitudo tractanda eſt, degens in libertatis umbrâ, regnataque quaſi precariò. In cives quidem adſtrictos legitimo regno paulò cautius diſpenſandus eſt civilis habitus, pro cujus-

cujusque populi genio, quem nec promiſcuum habere oportet, nec abſciſſum: ne moroſus in odium, profuſus in contemtum tranſeat. Durus tamen aditus, difficilis ſermo, plebemque cum faſtu deſpiciens, ſub ſpecie magnitudinis occultata majeſtas, gentibus illis relinquenda ſunt, quos ſuperbia & dominica poteſtas vili ſervitutis jugo adſtrinxit, ubi ignota comitas inferius majeſtate habetur. Nicol. Burgund. *l. 2. hiſtor. Bavar.* Ludovici Imper. humanitatem deprædicans. * Pertinet quoque huc, ne Rex unquam jocis mordacibus utatur, ceu qui ſæpe magno conſtant. v. Nouvelle de la Rep. de lettr. *menſe Martio 1684.* Semper autem melioribus ingeniis placuit induſtriam ſuam in jocis exercere, etiam cum periculo offenſionis. v. Cicero *l. IX. ep. 16.* De Carolo V. Chytræus *l. 19. Chr. Saxon. ad A. 1558.* à tyrannico faſtu & contemtione ac deſpicientiâ inferiorum adeo alienus fuit, ut captivo etiam Principi Joanni Friderico, quoties cum præterivit, reverentiam & honorem refecto capite exhiberet.

* Conf. Forſtner. *ad 2. Ann. Tacit. p.* 202. & Gruter. *ad Tacit. diſc.* 44.

XLI. Quomodo adulatores ab amicis diſcernendi, & delatores ſive calumniatores cavendi, ſingularibus libellis proſecuti ſunt Plutarchus & Lucianus. Sanè de quo Principe perſuaſum eſt, quòd mendaciis temerè fidem non habeat, illum neque aſſentatores neque falſi delatores temerè audebunt aggredi, imò verò ille quoque tutus erit ab aliorum deceptionibus. Obtinebit autem hoc, judicio H. Conringii *ad Machiavell. Princip. c. 23.* primò, ſi in opinione fuerit exacti judicii; deinde ſi acri pœna in omnes mendacii aut deceptionis compertos animadvertere fuerit ſolitus, contra autem vera narrantibus præmia habeat conſtituta. * Poſtre-

mum vetus dictum, Principibus inprimis utile, cogitet: Νῆφε ἡ μέμνησ' ἀνθρώπον.

* Prodetit etiam, ſi Rex ſubinde perſonam ſuam occulat, & in circulis, viis & compitis, quid homines de ſe ſentiant expiſcetur. Ut Carolus V. Imp. in more habuit, v. Beemann. *hiſtor. civil. c.* 11. §. 4. quem ſpeculatorem ſuæ ipſius exiſtimationis egiſſe, non inſcite Hiſpanus quidam dixit apud Amelot. *libello, cui titulus: Morale de Tacite de la flaterie art.* 9. Ante Carolum Henricus III. Rex Caſtiliæ, hac arte, quæ opes eſſent Procerum, didicit, & deinceps eorum bona in fiſcum redegit, ut plurimis memorat Mariana *l.* 19. *hiſtor. Hiſpan. c.* 14. *& l.* 3. *de regn. & Reg. inſtit. c.* 7. De Ludovico Rege Poloniæ Cromerus l. 13. Ret. Polon. *Plebu, inquit, non minorem quàm Nobilitatis curam geſſit. Itaque nonnunquam diſſimulatô habitu vicos & oppida perluſtravit, ut cognoſceret, quid de publicanis & exactoribus, judicibus & magiſtratibus ſuis, de ſe denique vulgus hominum aſſentandi neſcium ſentiret, multaque ex hujusmodi ſermonibus in ſe ſuisque caſtigavit.* Idem fecit in Dania Chriſtianus IV. Rex. Quibusdam Regibus utilitatem conſilii hujus ſuggeſſit fortuna, ut Antiocho Sideri, Syriæ Regi, in venatione ſtudio perſequendi ferram abeuntanti, & divertere apud tenuis fortunæ hominem coacto, qui ad ſuos revertſus dixiſſe fertur: *ſe eo die primum vera de ſe ipſo audiviſſe*, ut memorat Plutarchus; addens: quod exinde in regno adminiſtrando cœperit eſſe diligentior; & Franciſco I. Gall. Regi ſimilem ob cauſam, dicere propterea ſæpius ſolito: *perditum ſe, niſi fuiſſet perditus* (ſc. in venatione) *qu' il etoit perdu, s'il ne fut perdu!* Adde Chronic. Thuring. ſimile narrans de Ludovico ferreo Landgravio Thuringiæ, qui ab eo tempore ſeverior factus: de Soliman no Perſarum Rege A. *de l' Eſtat preſent de Royaume de Perſe.*

XLII. Principis una & propria ſcientia eſt, noſſe regere imperio populos, & quod Themiſtocles de ſe dicebat, ex parvâ civitate magnam facere. v. Pufendorf. *l.* 7. *c.* 9. §. 2. Cætera ſine damno ignorantur. ait Forſtner. *ad XIII. Ann. Tacit.* 3. Favebit tamen literatis, (1) maximè Hiſtoricis (2) & Poëtis, hosque quaſi in oculis feret. v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p.* 110.

(1) Pru-

(1) Prudenter A. religion. Medici part. alt. sect. 3. *Quod*, inquit, *artibus plerunque patrocinentur & eruditis viris faveant prudentiores Principes, non tam ex eô fit, quod ardentiori zelo eruditionem prosequantur, aut Musas religiosius colant, quàm quia horum operâ nomina sua æternitati commendari velint & ultores calamos posteritatis vereantur.* Hoc præceptum inprimis observavit Henricus IV. Gall. Rex, hinc rerum suarum enarratores habuit ultra quinquaginta, Panegyristas sine numero. Cosmus Hetruriæ Dux literatos tota Italia eximiè fovit, teste Thuano *l.* 57. *ad An.* 1574. Petrus Aretinus, Poëta & Orator insignis, à Carolo V, Francisco I, Solimanno Turcarum Imperat. & pirata Barbarossa, maledicum ejus calamum veritis, muneribus cultus est, prædives inde factus. Ut est in Parinianis *p.* 88. *sequ.* Idem Carolus, pecuniarum alias parcus, cuidam Poëtæ, carmen lingua Italica de navigatione Africana componenti, donavit mille coronatos.

(2) Socrates apud Platonem in Minoe circa calcem. *Tu, ô vir optime, & unusquisque alius, cui bona existimatio cura est, si modo sapitis, diligenter cavere debetis, ne poëticum hominem infensum aliquem habeatis. Poëta quippe vim maximam in utramque partem & ad laudandum & ad vituperandum habent.* Quo in te Minoëm peccasse dicit.

XLIII. Ut senectus tuta sit, & pravæ aliorum spes cohibeantur, (1) curandum, ne successor in incerto sit, (2) exemplo Tiberii, de quo Tacitus *3. An. 56.* Sed prudentiâ opus, ne à successore nominato periculum immineat. Eapropter summa imperii semper retinenda, v. quæ distulit Elisabetha, cum regni Scotiæ vellet se proximam heredem in regno declarari, apud Camdenum *ad A. 1561.* contra quam fecit (3) Ludovicus Pius, qui inauspicatô consilio Lotharium filium in imperii consortium ascivit: vel successor designandus, (4) celatô ejus nomine, planè ut Romani solebant in substitutione pupillari. Philippus III. Hispan. Rex raro exemplo filiô infanti & trimomediâ ipsa ætate sacramentum dici poscit, ut regnorum heredi: Grot *l. 17. hist. p. 562.* De quo infra, ubi de rebuspublicis

patrimonialibus agimus. (5) Ad hæc quidam Reges ſenectutem & inde ſecutam virium defectionem variis artibus occultaverunt. Tanto minus ſuadendum Regi, ut regnum abdicat. v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p. 107.* Idem Iphigin. *in Tauris v. 55.* Sophocles *excerpt. Grot. p. 92.*

(1) Hinc Jaſon apud Euripidem in *Medea.* Grot. *excerpt. p.* 197.

Τέρεννοι παῖδες, ἔρυμα δώμασι.
Domuum columna Regibus nati mares.

Tacitus V. Hiſtor. 52. *Non legiones, non claſſes aquè firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum.* Hunc defectum ſupplevit Auguſtus adoptionis remedio, quod laudat Plinius *in panegyri.* Et ſecuti ſunt alii Impp. ut Galba, qui Piſonem, Nerva, qui Trajanum adoptavit. v. Suetonium *in Galbâ c. 7.* Tacit. *l. hiſtor.* 12. ne dicam de aliis.

(2) Idem fecerunt Romanorum Impp. multi alii, & Perſæ Reges, teſte Plutarcho in Artaxerxe, conf. *l. Reg. I.* 34. de Davide.

(3) Et Ptolemæus à filio, cui regnum tradiderat vivus, vita privatus. Nepos *de Regibus c.* 3. conf. de Dario, qui filium ſuum vivus inconſultiſſimè Regem fecit, Juſtin. *l.* 10. *hiſt. c.* 1. & ibi Bernegg.

(4) Eliſabetha callida mulier inter munimenta potentiæ habebat, ſucceſſionem tenere in incerto. v. H. Grotius *l.* 3. *Hiſt. Belgic. ad A.* 1594. Baco de Verulam. *in opuſcul. p.* 525. omnino.

(5) Ut Tiberius, cujus artes deſcribit Tacitus *VI. Annal.* 46. *n.* 6. *& c.* 50. *n.* 1. *& ſequ.* conf eundem *IV. Annal.* 57. *n.* 3. Adde de Ludovico XI. Cominæum *l.* 6. *comment. c.* 8.

XLIV. Inſidiæ variis modis evitantur, primò, ſtipatoribus ad cuſtodiam corporis adhibitis. De artibus Cromwellii v. *Hiſtoire de Cromwel l. 4. p. 294. ſequ. Hos in regno cives eſſe, in tyrannide externos,* obſervavit Ariſtoteles *III. Pol, 10.* Quanquam hoc perpetuum non eſſe, (1) multis Regum Europæ exemplis conſtet. Barbari (2) eunuchis utuntur, propter eorum fidem, ut jam ſuo tempore obſervavit Herodotus. v. de Eunuchis omnino Pufendorf. *l. 6. c. 1.*

c. 1. §. 6. Cynus cuſtodiam corporis ſibi ex eunuchis adlegit, quod hos exiſtimaret domino fideliſſimos, partim quia affectus eorum in compages liberosque non eſſet diſſipatus, partim qui à reliquis deſpecti ſint. Et audaciæ quidem libidinisque & amorum impetum exſiccatiora iſta caſtigari: non tamen fortitudini robur prorſus detrahi, exemplo equorum, taurorum, canumque, qui caſtrati minus contumaces, non etiam utiles minus ſunt. (3) Quamobrem Philippus Macedoniæ Rex, clariſſimorum in Macedoniâ liberorum aſſumtis liberis, curam ſui, miniſterium ipſis impoſuerit, cauſas prudenter explicat Ælianus *l. 14. var. hiſtor. c. 49.* Alexander tamen eos tertium hominum genus eſſe dicebat, nec videndum, nec in uſu habendum. v. Lamprid. *in Alexandr. Tuldan. C. de cornutis.*

(1) Conf. Thuan. *l.* 25. *hiſt. ad A.* 1560.

(2) Rex Monomotapæ fœminarum ſatellitio cuſtoditur. V. Le Blanc *part.* 2. *Itinerar. c.* 4.

(3) Eundem morem in Gothis rerum in Hiſpania potientibus eximiè laudat Mariana *lib.* 2. *de Rege & Reg. Inſtit. cap.* 9.

XLV. Deinde ſi accurata cibi potûsque cura habeatur. Quò pertinet, (1) præguſtatores adhibere; certa quædam genera ciborum fugere, v. g. boletos, fungos, ne ſub prætextu, quod cibis his maligni aliquid inſit, venena tutius parentur; quibus quis cibis impensè delectetur non monſtrare; (2) cibo illo & potu uti, qui venenum minus recipiat; item (3) antidota bibere.

(1) Hoc modo necem effugit Ludovicus Bavarus Imp. apud Nic. Burgund *l.* 2. *hiſt. Bav A.* 1327.

(2) Piſces eam ob cauſam nunquam comedit Philippus II. Rex Hiſpan. uti memorat Steph. Coſmus *nelle memorie recondite della vita de Giovanu. Franciſc. Moroſini.* Aquam bibit Parmenſis, veneni metu, ut creditur. V. H. Grot. *l.* 2. *hiſt. Belg. p.* 169. Theudis Veſigothorum Rex à quodam ex indu-

induſtria inſaniam ſimulante in palatio confoſſus. Valeſ. *l.* 8, *p.* 430. Ova ſorbilia commendant quidam, ſed & horum eſum ab omni metu immunem haut eſſe, obſervavit rectè Septalius, ut miret. Forſtner. *in omiſſ. ad l.* 3. *Ann. Tacit. p.* 825. fatentem, non intelligere ſe, quo pacto id fiat. Scio Principes quosdam Germaniæ vaſis uti, ex terra ſigillata confectis, quæ venenis inimica eſſe putantur.

(3) Mithridates antidota ſæpius bibit, & ita ſe adverſus inſidias exquiſitis tutioribus remediis ſtagnavit, ut ne volens quidem ſenex veneno mori potuerit. Ut memorat Juſtinus *l* 37. *hiſtor.* 2.

XLVI. Sunt & aliæ cautiones, v. g. (1) eſſe unum vel alterum, qui eodem quo Rex corporis cultu utatur, quâ uſus Ludovicus XI. Gall. Rex, teſte Comin. *l. 6. Comm.* mutare cubilia. V. Forſtner. *omiſſ. ad 1. Ann. Tacit. p. 782. ſeqq.* ſubinde ſiniſtrum amici latus claudere; item, ne quis vim faciat in ædibus Palatinis, ſub gravi pœnâ ſancire. Vid. Beſold. von Burg-Frieden. Indiæ Rex noctu cogebatur mutare cubilia per horas, idque propter inſidias, teſte Strabone *l. 15. Geograph. p. 588.* Præterea (2) cum perferendarum literarum, eleemoſynarum petendarum, aut ſimili prætextu Reges aut Principes aliquando fuerint interfecti, Turcarum Sultani in conſpectum ſuum admittunt exterorum neminem, ne legatum quidem, niſi à cubiculariis, ejus brachia utrinque tenentibus, deductum. v. Leunclav. *in Pandectis Turcic. c. 47.* Giovanni Sagredo *memoire iſtoriche de' Monarchi Ottomanni.*

(1) V. Freinshem. *comment. in* 8. *Curt.* 13. *n.* 21.
(2) V. Freinshem. *comment. in* 7. *Curt.* 2. *n.* 23.

XLVII. Novum imperium inchoantibus (1) magnâ circumſpectione opus, & inprimis utilis eſt clementiæ fama. Tacit. *4. hiſt. 63.* V. exempla Saulis, *I. Samuel. X, 27. XI, 13. II. Sam. III, 11. & 39.* ubi Grotius. Salomonis, *I. Reg. I, 52. XII, 7.*

(1) Hinc

(1) Hinc Veſpaſianus prudens ac ſenex à *Marcello* deſcribitur apud Tacitum *IV. hiſtor.* novo principatu ſuſpenſus, & vultus quoque ac ſermones omnium circumſpectans. Tacitus *I. hiſt.* ubi principalius Othoniani initia deſcribit: Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum ſcelus. Ideò conſilia ſunt prudentum, in illis teneris principiis cedere nonnihil conſenſui, &, ſi παρεβολὴν admittamus, ſerviliter facere omnia pro dominatione. Tempore opus eſt, ut adoleſcat Principis auctoritas. Tum verò etiam rerum triſtitia verbis lenienda.

(2) H. Grotius *l. XII. Hiſtor. Belgic. ad A.* 1602. de Jacobo M. Brit. Rege: *conſcius conſpirationis, & ſilentii tantum reis carcer, & admota mortis metus pro pœna fuere, prono Rege ad parandam novo imperio clementiæ famam.*

XLVIII. Adverſum inſidias uxorum & liberorum valent etiam, quæ antea universè diximus. Sinenſibus & aliis quibusdam Regibus in more poſitum fuit, ut liberos aut fratres urbem, in quâ verſabantur aut regni limites excedere non ſinerent. V. Zevecot. *ad Florum p. 8.* Hodierni Perſarum Reges liberos in gynecæo educari curant.

* Quæſtio hoc loco inſignis moveri poteſt, meliusne ſit, Regem ex regno ſuo, quàm exteram æqualis ſortis conjugem ducere? Prius putant Sinenſium & Moſcoviæ Imperatores, veriti, ne conjuges exteræ peregrinos mores in remp. invehant. Adde etiam matrimonio cum exteris regnum augeri poſſe. Contrarium probant plerique alii Europæ Reges, exiſtimantes, majeſtatem ſuam magis illibatam ſervari, ducta æqualis ſortis fœmina, cum ſubditam in thorum adſciſcere, ſit quaſi de throno deſcendere: adhæc fieri facile poteſt, ut neceſſarii talis conjugis fiant nimis inciviles & imperioſi, quod exemplo ſoceri Alexii Moſcoviæ Imperatoris probat Comes Carliſlius *deſcript. Moſcov. c. 5.* Ratione uxoris viduæ futuræ habenda etiam ratio dotalitii. v. omnino Henel. *p. 121.* ubi cautiones; Der Zaar zu Moſcau / wenn er heyrathen will / läſt die allerſchönſte und tugendhaffteſte Jungfern / hohen und niedrigen Standes / zu ſich bringen / umb eine oder die andere Gemahlin daraus zu erwählen. Wenn er nun eine auserkohren / die ſeinen Augen gefällt / läſt er dieſelbe durch gewiſſe Weiber nackende beſichtigen / ob ſie auch zum Kinder-zeugen tüchtig ſeye oder nicht. V. Jovius *libello de legatione Moſcovitarum.*

tarum. Justinianus Imperator è scena conjugem habuit, magnô principatus dedecore.

XLIX. * Præstat mediocris & modesta aula, non modò quoniam minore sumtu alitur, sed & quoniam molestiâ minore regitur, cùm in turbâ sit confusio. Quinimò mediocris numerus sua ministeria præstat rectius, cùm in multitudine nimiâ alius fere alium expectet & respiciat. Scheffer *de Reg. & Princ. inst. p. 4. m. 1. §. 16.* ubi affert Juliani exemplum ex Libanio, & Alexandri Severi *ex Lampridio cap. 15.*

* *Propria domus seu aula est velut regni totius radix & basis*, est in *l.* 1. *Seneca Scient. p.* 18.

L. Contemtus declinatur, si Princeps cogitet, non solùm animis sed & oculis civium servire se debere, * quod præceptum est Ciceron. *Philippic.*

* Nam ut bene Seneca 1. *de Clem.* 8. *Principum dicta & facta æquè rumor excipit.* Sadus *in Rosar. polit. c.* 7.

Pauper etsi centum fœdas actiones admiserit, turpiaque dixerit.
Sodales ipsius ne centesimam quidem partem resciverint.
Rex verò si vocem actionemque unam ediderit turpem,
Fama illum de regno in regnum differt.

Euripides in Iphigenia Taurica.

Τὰ γὰρ τῶν βασιλέων παθήματα,
Ἴσασι πάντες ὧν ἐπιστροφή τις ἦν.
Omnibus Regum mala
Perfacile nosse est, illa quos cura attinet.

LI. Odium ex pœnis (conf. Pufendorf. *3. de jur. N. & G. c. 7. §. 8. in fine.*) evitatur, si quibus crimina imputantur per alios, sive civium suffragiis à nutu Regis pendentium judicentur. (1) Hoc etiam Tyrannis usitatum, (V. Aristot. *V. Pol. 11.*) & *sævitiam Neronis per hujusmodi imagines illusisse*, notavit Tacitus *4. hist. 8.* conf. *3. Ann. 17. §. 6.* Deinde (2) si Rex, quæ ad suam injuriam pertinent, connivendo condonet potius, quàm puniat.

(1) Id

(1) Id inter arcana Regni Gallicani refert Bodinus *method. hist. c* 6. Hoc Gubernatricem Belgii prudenter adversus Iconomachos observasse, neglexisse Albanum, monet Nicol. Burgundus *l.* 3. *Hist. Belgic. ad A.* 1567. digno qui inspiciatur loco.

(2) Livia ad Augustum apud Dionem: *Plerique sic existimantur, Principes pœnas exigere debere de iis, qui publicum ladunt; placidè autem ferre eos, qui in ipsos quid videntur peccasse.* Laudat hoc in Principe Seneca *l.* 1. *de Clement. c.* 20. Antonini & Theodosii exempla attulit H. Grotius 2. *de Jur B. & P.* 24. § 3. Tiberius adversus convitia malosque rumores, & famosa de se ac suis carmina, firmus ac patiens fuit, teste Suetonio *in ejus vita c.* 28.

LII. Contra favor & studia conciliantur, si Rex ipse præmia conferat. Ne verò ex repulsâ ambientium procantiumvé odium referat, non contemnendus mos Galliæ, quô munificentiæ regiæ tabulæ ad Rationalium collegium referuntur, irritæ futuræ, nisi ab illo confirmentur. V. Forstner. *ad 16. Ann. 3.* conf. Bodin. *5. de rep. 4.*

LIII. Fides Consiliarii & taciturnitas quemadmodum exploretur, optimè docet Isocrates ad Demonicum. *Neque cum damno*, inquit, *experiri amicos, neque inexploratos habere velis. Sed hoc facies, si te egere simulaveris, licet non egeas, si communicaveris cum eis res non arcanas, tanquam arcanas: nam & deceptus nihil detrimenti capies, & voti compos factus mores eorum perspectiores habebis.* Maximè profuerit, juvenes, nisi quorum fides & prudentia perspecta est, non adhibere in consilium. Habessinorum proverbium est: *Consilium senis, bellum juvenis*, sive, *consilium cum sene, bellum cum juvene.* apud Ludolph. *Comment. in histor. Æthiopic. p. 561.* Agamemnon Rex apud Homerum ad diripiendam Trojam sibi potius decem Consiliarios Nestori similes, quam decem Heroes Achilli aut Ajaci similes optabat.

* Pru-

* Prudentiæ Conſiliarii explorandæ modos explicat Conring. *de Machiav. Princ. c.* 22. Quomodo Richelius in minutis rebus fidem miniſtrorum ſuorum exploraverit, docet exemplo ſuo Comes Rochefortius *dans ſes memoires pag* 32.

LIV. Quemadmodum Duces militiæ & ærario præfecti in officio contineantur, non eſt proprium regni, ſed aliis quoque rebusp. commune, Tacitus *de mor. Germ. c.* 44. monet, *neque nobilem, neque ingenuum, neque libertinum, armis præponere regiam utilitatem eſſe.* Verùm hoc tyrannidem ſapere videtur.

LV. Adverſus miniſtrorum injurias & fraudes multum valet, * circumire provincias, ut noſcat Princeps ſubditorum obſequia, magiſtratuum ingenia, audiat querelas, & componat turbas. Id quod non conſultum tantum, ſed & neceſſarium exiſtimat Forſtner. *ad 15. Ann. 21.*

* Huc etiam facit, ſi Rex ſubinde perſonam ſuam occultat, ſive compoſito ad latendum habitu incedat, de quo ſupra ad § 41.

LVI. Denique adverſus magiſtrorum fraudes magni momenti eſt monitum, ut ne Rex chartas quaslibet, quæ in aulam deferuntur, ſed illas tantum, quæ majoris momenti ſunt & in conſilio ſecretiore expediuntur; * easque nonniſi diligenter lectas & expenſas ſubſcribat. Annuli quoque ſignatorii curam gerat, eumque nonniſi fidiſſimis committat. v. Loccen. *in comm. epiſt. Ciceri ad Q. Fratrem p. 150. ſequ.*

* Cogitet Rex exemplum Theodoſii Junioris Auguſti, chartam, qua conjugem ſervituti addicebat, ſubſcribentis, à ſorore ſua Pulcheria callidè oblatam, quam hiſtoriam narrant Socrates, Nicephorus, Zonaras. Adde exemplum Jacobi Scotiæ Regis diploma ſubſcribentis, quo Buchananum ad dies quindecim cum ampliſſima poteſtate Regem conſtituerat. Quod Buchanano, quondam Regis Præceptori, occaſionem dabat, ut Regis facilitatem in ſubſcribendo graviter reprehenderet. Quam hiſtoriam pluribus memorat Nicol

Chy-

Chytræus *collectaneis Buchanani Psalterio additis.* Extat elegans & magnæ prudentiæ liber in vernacula noſtra perſonati ſcriptoris, qui le Fürſtenholdium nominat, *de propria manûs ſubſcriptione Principum.*

SECTIO QUINTA.

DE REGNIS SUCCESSIVIS & ELECTIVIS, item TUTORIIS & quæ à potiſſimo aulæ adminiſtrantur.

I. REGNA SUCCESSIVA plerumque ſunt optima.

II. Eorum primum MALUM eſt, ambigua ſucceſſio.

III. Alterum; ſi fœminas admittant.

IV. Tertium, ſi regnum dividatur.

V. Quartum, ſi naſcantur, qui facile contemni poſſunt.

VI. Quintum, ſi partus ſuppoſitus fuerit.

VII. Sextum, æmulatio inter Regem, & eos, qui regii ſunt ſanguinis.

IIX. REMEDIA. (1) Modus ſucceſſionis æquis ac certis legibus definiendus.

IX. (2) Fœminæ vel à ſucceſſione arceantur, vel non nubant abſque conſenſu Procerum.

X. (3) Jus primi natûs intro ducatur.

XI. (4) Vitia indolis educatione corrigantur.

XII. (5) Ne ſupponatus partus, ſpectatores adhibendi.

XIII. Ne, qui regii ſunt ſanguinis, noceant, variæ ſunt rationes.

XIV. MALA REGNI ELECTII ſunt (1) turbæ & diſſenſiones in electione.

XV. (2) Regis ſtudium regnum ſibi proprium facere nitentis.

XVI. (3) Novitas Regis.

XVII. (4) Negligentia publicæ rei.

XIIX. REMEDIA. In univerſum prodeſt, vota electionis intra unam familiam continere.

XIX. Adverſus primum malum modus electionis Veneris ſolitus commendatur.

XX. Advetſus alterum Taprobanis inſtitutum memoratur.

XXI. Adverſus tertium virtus & induſtria Regis valet.

XXII. Quartum malum vix poteſt emendari.

XXIII. REGNA TUTORIA

RIA ut plurimum male ſe habent.

XXIV. Eorum MALUM *primum*, contentio de tutelâ.

XXV. *Malum alterum*, perfidia tutorum.

XXVI. *MALUM tertium*, diſſentio inter eos.

XXVII. *Malum quartum* tutoris infirmitas.

XXIIX. REMEDIA adverſus primum malum.

XXIX. Adverſus alterum malum

XXX. Adverſus tertium malum.

XXXI. Adverſus quartum malum.

§. I.

INter ſpecies regnorum ſupra primô loco collocavimus ſucceſſiva & electiva. Ubi quæritur, utrum melius ſit, regna ſucceſſione an electione deferri? Alii enim pro hujus, alii pro illius prærogativâ diſputant. (1) V. Barclajum *in Argenid. l.* 1. Scip. Amirat. *l.* 3. *de regni Regisque inſtit.* Lipſium 2. *monit. polit. c.* 3. Joach. Paſtorium *l.* 4. *hiſtor. Pol. plenior. p.* 231. Nos electionem vix utilem reip. exiſtimamus, niſi ubi populus eſt ſtabilis ingenii & præclaræ virtutis, ſimul autem ferre nequit improbos dominantium mores, ſæpe tolerandos in regnis merè hereditariis. Eô verò ingenio cum perpauci ſint, (2) nec ſemper eligantur boni, nedum optimi; regna ſucceſſiva plerunque in optimis habenda, ceu plerisque populis probata, quoniam minus obnoxia ſunt motibus, (neque enim interregnorum pericula heic facilè metuuntur,) & rebus agendis magis idonea; adhoc non parvam Regi auctoritatem conciliat ſummo genere natum eſſe. Euripides Temeniſi:

Φεῦ Φεῦ· τὸ Φῦναι πατρὸς εὐγενῆς ἄπο
Ὅσην ἔχει Φέρησιν, ἀξίωμά τε.
Proh! quanta res eſt, quàm valens ad gratiam,
Clarô parente ducere excelſum genus.

Eccleſiaſtes Salom. X, 17. *Beata terra, cujus Rex filius*

filius Candioorum, ut ex Hebræo vertit Grotius, id est, *illustrium*.

(1) In hoc certamine afferri ex favore odiove magis quam judicio integro incorruptoque; dum quisque suæ reip. imperium anteferre studet alienæ, rectè observavit Scheffer. *p.* 1. *de Reg. Princ. instit.* §. 26. Add. viri illustr. D. Job. Ludolfi *l.* 2. *de Regn. Habess. c.* 8. §. 1.

(2) Mariana l. de Rege & Regis institut c. 3. *Mitto*, inquit, *externa: an erit aliquis tantâ confidentiâ, qui fere, negare audeat, aut tam ignarus rerum nostrarum, qui non confiteatur, in Hispania rerum potientibus Gothis, quo tempore eligebantur ex omnibus Principes, multò pejores Reges quàm tempore sequenti extitisse.* Sanè judicia de aliorum virtutibus sæpe fallunt. Tacitus I. historiar. *Galba omnium consensu capax imperii, nisi imperasset.*

Ἀμήχανον, δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν
Ψυχήν τε καὶ φρόνημα καὶ γνώμην, πρὶν ἂν
Ἀρχῶς τε καὶ νόμοισι ἐμβριπὴς φανῇ
Nec quippe noscas, quod sit ingenium viro,
Qua mens, quis animus, antequam imperii potens,
Tutamen urbis atque legum acceperit.

Observavit tamen Machiavell. I. *ad Livium* 10. Imperatores omnes, qui jure hereditario ad imperium pervenerunt, excepto Tito, fuisse malos; electos omnes fuisse bonos.

II. Mala REGNORUM SUCCESSIVORUM, quæ successione devolvuntur, sunt (1) dubia successio inter eos, qui à primo Rege descendunt. * Inde motus & bella civilia oriri, testantur innumera in historiis exempla.

* Mariana *d. l.* 1. *c.* 3. notat, inter Mauros Principes in Africâ atque Hispaniâ sæpe extitisse contentiones ac bella exitialia; pulsos occisosque Reges: non tantum ingenio gentis ad mutationes pronæ; sed etiam quòd certa lege & more, quis inter filios succederet, fixum non erat.

III. (2) Si fœminas simul admittant. [1] Mares enim fœminis plerunque sunt aptiores ad imperium, & rarius reperiuntur fœminæ muneri huic idoneæ: [2] nec caret periculo, si nubant vel indigenæ marito, vel etiam peregrino, à regni moribus & insti-

tutis

tutis alieno. Fieri etiam hâc ratione poteſt, ut regnum ad exteros devolvatur.

[1] V. omnino prolixum ſermonem Kennethi apud Euchanan. *hiſt. Scotic. l. XII.*

[2] Multis hoc exemplis probat Arniſæus 2. *Select. Polit. 2. ſect. 4. n. 139.* Joannæ Neapolitanæ, Jacobæ hetedis Hollandiæ, Seelandiæ, Hannoviæ & Friſiæ; Mariæ Reginæ Hungariæ Sigismundo Lucelburgenſi nubentis; Mariæ Scoticæ, & aliarum.

IV. *(3)* Si regnum dividatur inter liberos. [1] Quia partitio frangit opes, & facile parit diſcordiam, eò acriorem, quò magis ſunt propinqui, qui regnum diviſerunt. [2] *Difficilia enim bella fratrum: & qui ſine modo amarunt, iidem ſine modo etiam odio habent.* Ariſtot. VII. *Pol. 7.*

[1] Mariana d. l. 1. c. 2. ait: *Calamitatus motusque graves in Hiſpania, quo tempore indulgentia paterna in plures filios diviſus eſt Principatui, ut à Sanctio Rege Vaſconum & à filio ejus Fordinando factum ſcimus, documento eſſe debent, imperium indiviſum eſt debere, naturam poteſtatis eſſe incommunicabilem: ambitionem imperandi impotens malum eſſe, impium, inquietum, ſuſpicioſum, fallax: nulloque amicitia neque propinquitatis reſpectu frenari, quo minus omnia permiſceat atque peſſundet. Debilitari vires in plures partita cura illud argumento eſt: quod non alia cauſa, quam ditione inter plures tributa, contentionibusque inteſtinis ea natis, factum eſt, ut Maurorum gens ſteterit ea tempeſtate diviſa & ipſa in plures Regulos, eaque opportuna maximè exitio. Quod ipſum multis aliis temporibus accidit.* Conf. eundem *l. 9. Rer. Hiſpan. c. 1.* Documento etiam eſſe exempla Regum Francorum primæ & ſecundæ Stirpis poſſunt. Eadem mala Poloni augurabantur, quum ſectionem regni, teſtamento Boleslai Regis nuncupatam, filii ejus flagitarent, apud Cromerum *l. 6.* Rer. Polonic. ad A. 1140. De Britanniæ Regibus Bœcl. Carolo M. p. 35. Sileſiæ Principes, orti ab Uladislau, ut numero plures, ſic opibus diſpares cum jura neceſſitudinis inter ſe colere neſciunt, & invidentia ea usque progrederentur, ut ne ab inſidiis quidem mutuis ac cœdibus abſtinerent tandem in Joannis & Caroli IV. Bohemiæ Regum caſus incidetunt. v. & Æneum Sylvium *de Europa c. 24.* Adde de Principatibus Germanici Imperii dividuis

viduis Dissert. nostram *de special German. Imper. rebusp. sect.* 2. §. 6. & 15. & nominatim de Saxoniæ Ducatibus Barclaj. *in icone animor. c.* 5.

[2] Polynices apud Euripidem *in Phœnissis:*

Ὡς δεινὸν ἔχθρα, μᾶτερ, οἰκείων φίλων,
Καὶ δυσλύτους ἔχουσα τὰς διαλλαγάς.

Quàm misera res est, ô mater, odium inter domesticos;
Et quam difficilem habet reconciliationem.

Pindarus Pythia od. 4.

Μοῖραι δ' ἀφι-
στᾶντ' εἴ τις ἔχθρα πέλει,
Ὁμογόνοις, αἰδὼ καλύψαι.
Οὐ πρέπει νῶιν χαλκοτόροις ξίφεσιν
ἢ δ' ἀκόντεσσι μεγάλαν προγόνων
τιμὰν δάσασθαι.

Parca autem prohibent, si qua simultas intercedit
cognatis, pudorem tegere.
Non decet nos duos ac penetrantibus gladiis
aut jaculis, magnam majorum
gloriam partiri.

Regnum Galliæ sub Carolo VI. & VII. parum abfuit, quin à Burgundica domo pessundaretur. v. Bayle *Dictionn. histor. critique voce Chatelin not. B.*

V. (4) Si nascantur, qui facile contemni possunt. Aristot. V. *Pol.* 10. *fin.* Idem observavit. II. *Rhet.* 15. [1] *Degenerare illas quidem familias, quæ ingenio excellunt, in mores insaniores; ut qui ab Alcibiade & Dionysio superiore orti sunt, in ignaviam & stoliditatem; ut qui à Cimone, & Pericle & Socrate.* Euripides:

Ἤδη γὰρ εἶδον ἄνδρα γενναίᾳ πατρὸς,
Τὸ μηδὲν ὄντα.

Vidi parentis inclyti natum, pretî
Nullius hominem.

Item:

Πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰσὶν κακοί.

Multi bono retu non bonis sunt moribus.

Et in Heraclidis v. 328. *Unum cum inter multos for-*

te invenias, qui non sit deterior patre. Socratis dictum apud Platonem in Theaga fuit, *civilium virorum liberos nihilo meliores, quam cerdonum esse.*

[1] Bene H. Grotius *ad I. Samuel. II, 12. Virorum excellentium sæpe filii pessimi extiterunt. Causæ, præter physicas, hæ sunt: quod viri illi eminentes toto animo ad publica ferantur, ut digna magno animo pabula, privatamque rem ideo negligant: deinde quod liberis ex paterno honore accedat superbia, & pigritia ex spe facili dignitatum. Accedit interdum, ut in Heli, bonitas, quæ ubi nimia est, nomen suum amittere, & dissolutio potius disciplina vocari mereatur.*

[2] De Salomone, qui reliquit successorem stultissimum, videatur Ecclesiasticus *XLVII, sequ.* ubi Grotius *in commentar.* A Machiavello *ad Liv.* 20. observatum est, si præpotenti Principi alius succedat qui non sit tanta virtute ut antecessor, posse eum vel prædecessoris virtute imperium conservare, sed si vel ipse diuturnioris vitæ fuerit, aut post ipsum alius succedat, qui non insistat vestigiis primi ejusque virtutem imitetur, necessum esse, ut ruat ejus imperium, exemplum in Davide ac ejus nepote Rehabeamo. Adde de Elisabetha Jacobo & Carolo I. Becman. *hist. civit. c.* 4 §. 10.

VI. *(5)* Si partus supponatur. V. de Perseo suppositio ab uxore Philippi Macedoniæ Regis, Plutarch. *in Æmylio.* Idem de Commodo tradit Julius Capitolivus *in vitâ Antonini.* De Maxentio, quem Eutrepia Syra sibi subjecit, Sextus Aurel. *in Imper.*

VII. *(6)* Æmulatio & suspicio regnantium erga alios regio sanguine conjunctos. Fit enim nescio quo fato ut Reges plerosque fratres ac propinquos, etiam privatos, nedum dignitate æquales, suspectos habeant & invisos. Valesius *l.* 7. *Rer. Francic. p.* 395.

IIX. Remedia sunt (1)* æquis ac certis legibus definire successionis modum, per modum à successore in omnino orationem Elisabethæ apud Buchan. *l.* 17. *p.* 587. 588. v. supra ex Ecclesiaste Salomonis.

* Quæ inprimis pertinet, præcipuos casus, qui ancipitem habent

habent disceptationem, notare ac decidere. Quales sunt, an filius, qui primus patre regnum adepto fuit natus, sit præferendus fratri natu majori, sed in privata fortuna genito? an filius primogeniti ante patrem defuncti sit præferendus patruo? an in regno successio simplex hereditaria, an verò linealis sit constituenda? An in defectu legitimorum liberorum, extra matrimonium geniti ad regnum admittendi? & similes. v. H. Grotium *l. 2. de I. B. & P. c. 7. §. 28. & seqq.*

IX. (2) Fœminas [1] vel prorsus à successione arcere; v. omnigo Aristotel. *l. Pol. 8.* [2] vel legibus constituere, ne absque consensu Procerum nubant. [3] Certè marito heic accuratæ leges præscribendæ, ne imperium invadat ipse. Quod si filiæ Regum externis Regibus nubant, curandum, ut pro se & nascituris liberis renuntient, & quidem, si regnum est usufructuarium, in [4] concilio populi.

[1] Ut in regno Siam, teste Jodoc. Schoutenio *descript. Regni Siam p. 245.* in regno Calliæ & alibi.

[2] V. Buchanan. *l 17. Hist. Scot. in Jacobo V. p. 641.* conf. Mylet. *de Princ. Imper. c. 25. §. 3.*

[3] Tales leges vide apud Thuanum *l. 13. ad A. 1553. l. 20. Ad A. 1558. l. 37. Ad A 1564.*

[4] Alioquin parum profuerit renunciatio v. H. Grotius *l. 2. de I. B. & P. c. 7. §. 26.*

X. (3) [1] Jus primorum natalium introducere, & reliquis fratribus certam portionem (apanagium vocant) attribuere fiduciario nomine possidendam. Quod si libeat regnum indivisum manere, sed per vices administrandum; [2] nec hoc carebit periculo.

[1] Ut in plerisque regnis ab omni terrô memoriâ obtinuit. *Esse apud universos homines institutum, ut maximus natu liberorum obtineat Principatum*, Pufendorf. *l. 7. c. 7. §. 11.* prodidit Herodotus. De Hebræis V. *1. Paralip. XXI. 3. 1. Reg. XI, 22. XII, 1.* ubi Grotius: & Moabitis *2. Reg. III, 27.* Petr. de Vineis *l. 6. ep. 26.* de Ægyptiis *Exod. XI. 15.* A. de Bello Alexandrin. c. 33. de Parthis Polyb. *l. 11. histor.* de Persis Cyrus in oratione ad filios apud Xenophontem *Cyropæd. l. 8.* de

Æthiopibus Damian. à Goes *de Æthiop. morib.* de Turcis Arnis. 2. *de rep. sect. 8. n.* 37. de Persis P. Bizar. *l.* 10. *hist. Pers.* de Tatharis Haythonus *c.* 37. de Japonensibus Bern. Varenius *descript. regn. Japon. c.* 15. de Anglis Guil. Brito l. 4. Philipp. init.

Lege patrum veteri Richardum, patre sepulto,
Efficit Anglorum primogenitura Monarcham.

De Germaniæ Principatibus Knipsch. *de fideic. fam. c.* 61. 278. de Sabaudico & Pedemontano Ducatu Mylerus *de Princ. imp. c.* 21. §. 3. 4.

[2] Jocasta mater apud Euripidem in Phœnissis de duobus fratribus Eteocle & Polynice. Hoc genus regiminis multis non placet. v. Springsfeld. *de apanagio c.* 2. *n.* 14. *seqq.*

Pacisentes constituerunt, ut junior Polynices,
Tantisper volens exularet hac terra.
Eteocles verò manens sceptra terra teneret,
Per vices mutantes annum. Postquam autem in throno,
Regni consedit [Eteocles sc.] *non discedit ex regno.*

Apud Tataros Præcopienses non post patrem filius successione, sed frater ordine propior, velut natutæ lege, regnum adipiscatur. Vespasianus à Kochoov Rochovvski *clim. 1. Annal. Polon. l.* 6. *ad A.* 1653. ubi hoc prodigio affine dicit, ut nemo minor natu habenas imperii capessere ausit, nisi prærogativa nascendi in spem sceptri genitus.

XI. (4) Vitia nativitatis & indolis [1] educatione corrigenda, & si Reges adhuc sint impuberes, de aliis remediis dispiciendum, de quibus infra. [2] Prófuerit quoque, si pater monita, sive vivendi atque regendi rationes, filio successori relinquat.

[1] V. de institutione Augusti Bœcler. *ad Vellej.* 2. 59. 4. de filiorum Caroli M. educatione Eginhart. *in vit. Carol. M.* conf. *Dialog. de oratore* (qui Tacito tribuitur) *c.* 28. Persarum Reges erudiendos dabant liberos quatuor lectissimis Pædagogis, sapientissimo, justissimo, temperantissimo atque fortissimo, ut refert Plato *in Alcibiade l.* 1. Quibusdam Regibus mos fuit, ne liberi continuo aulæ fulgore strepituve à pietate bonisque avocarentur literis, eos in alium locum amandato. v. Stanislaus à Kobierzycko *lib. 1. histor. Uladislai Polon. & Suec. Principis.*

[2] Ut Ludovicus IV. sive Sanctus Rex Galliæ Philippo filio

filio apud Joannem Joinvillam *in ejus histor. calce.* Philippus II. Hispan. Rex filio, qui successit. v. Thuanum *l.* 120. *ad A.* 1598. Ejusdem generis sunt Constantini Constantinopolit. Imper. paræneſis ad filium de gerendo imperio, & Manuelis Palæologi præcepta educationis ad Joannem filium. Testamentum politicum Maximiliani Bavariæ Elector. ad Ferdinandum I. est apud Adelzreiter *part.* 3. *Annal. Bojic. l.* 35. *n.* 20. *seqq.* Davidis monita ad Salamonem sunt *l. Regum II*, 1. *seqq.* Add Reinking *Bibl. Policenus l.* 3. *ax* 55.

XII. (5) Adversus partûs suppositionem facit, inspectantibus regii sanguinis Principibus partum edi. Qui mos est Galliæ, nec multum dissimilis Angliæ. * Sunt & fuerunt alia aliis populis instituta.

* Apud Lacones Regum uxores ab Ephoris publicè custodiebantur, ut, quantum fieri possit, prævideretur, ne ex alio genere Rex clam fiat, teste Platone *Alcibiade* I. Memorat Reinerus Reinecc. *in tertia Monarchia sub Syriaco regno*, suo adhuc tempore Despotis Moldaviæ usitatum perhiberi, ut liberis suis, quamprimùm nascantur, notam aliquam inuri curent, ut ne scilicet ambigi de legitimis heredibus possit, & excludantur alieni. Orientis Reges eunuchis ad ministeria fœminarum uti solent, idque jam olim in Persia usitatum constat ex libro Estheris I, 10. v de Abasgis Zonaram *tom.* 3.

XIII. (6) Ne regii sanguinis Principes turbas facerent, multa sunt excogitata. Habessini ante seculum eos in arctam custodiam, cui rupes delegere, concluserunt. V. D. Job. Ludolf. *l.* 2. *Hist. Æthiop. sive Habess. c.* 8. *n.* 20. Idem mos fuit Sinensium, teste Botero. Roboam filios minores noluit esse in uno loco, ne forte factionem aliquam inciperent, sed per varia oppida limitanea eos distribuit, additis magistris & inspectoribus *II. Paralip. XI*, 23. ubi Grot. Persarum Reges hodie in Gynecæo filios suos educandos curant. v. Becmann. *histor. civil. c.* 11. §. 3. Reges insulæ Ormi in Indiâ Orientali excœcarunt. v. Loubere *p.* 3. *du Royaume de Siam c.* 14. *p.* 408. V. H. Lindschot. *part.* 2. *Hist. Indic. c.* 6. *

Pertinet etiam huc ne Princeps ſubditos ſibi affinitate jungi patiatur exteris potius id tribuat. v. Henel *de dotalit. p.* 342. Olim multis Regibus fuit mos, fratres occidere, quem Turcarum quoque Imperatores ab aliquot ſeculis habuerunt, & primus introduxit Bajazetes II, niſi quòd abhinc nonnulli in carceres fuêre compacti. Optima ratio eſt, cum Principes ſanguinis liberaliter habentur, & ſimul cautè obſervantur. Principes etiam liberos in officio continere debet. v. omnino Grot. *l. ad Timoth. III*, 4.

• Plutarchus *Demetrio abinit.* Τὸ μὲν γὰρ ἀδελφοὺς ἀναιρεῖν, ὥσπερ οἱ γεωμέτραι τὰ αἰτήματα λαμβάνουσιν, οὕτω συνεχωρεῖτο παρὰ τοῖς βαρβάροις ὑπὲρ ἀσφαλείας δίκαιόν τι νομιζόμενον αἴτημα καὶ βασιλικόν. *Nam fratres occidere pro conceſſo habebatur, quaſi commune Regibus pro ſecuritate ſua poſtulatum, ſicut Geometra ſua quædam habent poſtulata.* Adde II. Paralipom. XXI, 4. Tacitum *V. hiſtor.* 8. *p.* 5. ubi de poſterioribus Judæorum Regibus. Juſtinum *l.* 21 *c.* 1. de Dionyſio juniore.

XIV. Mala REGNORUM ELECTITIORUM ſunt (1) turbæ & diſſenſiones in electione, per ambitum aut largitiones graſſantibus Candidatis, & Proceribus populoque ſtudiis in diverſos inclinantibus, quæ interdum in acerrima prælia deſinunt. Ut [1] olim in Pontificatu Romano, & Germanicô Imperiô, [2] hodie in Poloniâ. In poſteriore Romanorum hiſtoria habemus Imperatores ex fabro ferrario, ex ſuum cuſtode, ex captivo. Proculus joco factus Imperator, Probus & Regillianus quod eorum nomine placerent. v. Grot. *ad Eccleſiaſtic. XI*, 5. Unde interdum fit, ut etiam qui minimè putaretur eligatur. v. Pufendorf. *l.* 10. *Rer. Brandenburgic.* §. 88. *ad A.* 1669.

[1] Uno tempore in contraria ſtudia diviſi Cardinales Joannem XXIII. Romæ, Gregorium XII. Aramini, Benedictum XIII. in Hiſpaniis elegerunt. Memorante Platina. Idem Platina in Nicolao primo memoravit eſſe qui ſcribant poſt mortem ejus annis octo, menſibus ſeptem, diebus novem ſedem

dem

dem vacaſſe. Ex Chronico Romanorum Pontificum confecto ab Onufrio Panvinio diſcimus vacaſſe ſedem poſt obitum Clementis II. menſes IX. dies VII. poſt obitum Leonis IX. menſes XI. dies XXIV. poſt obitum Gregorii VII. annum unum, menſes IV, dies XXVII, poſt obitum Victoris III. menſes V, dies XXIV; poſt obitum Celeſtini IV. annum unum, menſes IIX. dies XIV; poſt obitum Urbani IV. menſes IV; poſt obitum Clementis IV. annos duos menſes IX; poſt obitum Joannis XX. menſes ſex; poſt obitum Nicolai III. menſes totidem; poſt obitum Nicolai IV, annos duos, menſes tres; poſt obitum Benedicti XI. menſes X; poſt obitum Clementis V. annos duos, menſes tres, dies XVII. poſt Henricum VII. interregnum fuit XIV. menſium. De Germanico Imperio V. Diſſ. noſtra *de origine & progreſſ. ſpecial. Germ Imp Rerump*, §. 13.

[2] Boter, relat. de Polonia *de electione*, inquit, *regia non habent legem, nec ſtatutum aliquod, non regulam aut formam ſcriptam nec traditam.* Add. Hartknoch. *lib.* 2. *de Polon. c.* 1, §. 6. *&* 16. Nobilium omnium conſenſum deſiderati, dum unus etiam vel infimæ ſortis Nobili diſſentiente electio irrita cenſetur, Poloni ipſi improbant. V. Hartknoch *d. l.* §. 15. *in fine*, conf. Joachim. Paſtor *l.* 11. *hiſtor. Polon. plenioris p.* 284.

XV. (2) Studium Regis, regnum ſibi familiæque ſuæ proprium facere nitentis. Ariſtot. III. Pol. 11, *Difficile eſt credere, ut qui rerum ſit dominus imperium liberis non tradat; eſt namque difficile, & majoris virtutis quàm pro humanâ naturâ.*

XVI. (3) Novitas Regis ex privatâ conditione ad regnum evecti. Plinius in panegyr. *Æquiore animo ferunt homines, quem Princeps parum feliciter genuit, quàm quem malè elegit.* Præſertim ſi ex ipſo civium corpore fuerit electus Eliſabetha Angl. Regina ſupra dum Polon. R. regii moris ignatum dicebat, quia electus imperaret. Grot. 6. *hiſtor. A.* 1597. *p.* 286.. *Hæc enim*, ſecundum Tacitum 2. hiſtor. 20. *inſita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis aſpicere, modumque fortunæ à nullo magis exigere, quàm quos in æquo vidêre.*

re. V. Machiavell. *Princ. cap. 7. cum animadverſ. Conring.*

XVII. (4) Negligentia publicæ rei. *Duo ſunt, quæ faciunt, ut maximè homines de ipſis curam ſuſcipiant, proprium & dilectum,* ait Ariſtot. II. *Pol.* 2. At Rex electitius regnum aſpicit ut rem, nec diu ſuam, nec poſtea ſuorum. Hoc commune vitium omnium Principatuum, qui nihil habent hereditariæ ſucceſſionis, dicit Conring. *d. l. c.* 11.

* Notus Romæ Neporiſmus.

XIIX. Remedium in univerſum eſt ad tollenda diſſidia & maleferiatorum hominum atque ambitioſorum machinationes multum faciens, vota electionis inta eandem familiam continere, ſi in eâ ſemper digni imperio inveniatur. * Ita ſane pleraque, quæ diximus, mala tolluntur.

* V. *part.* 1. *ſect.* 10. §. 9. Germanico Imperio feliciſſimè evenit, per aliquot ſecula ex Sereniſſima Auſtriaca Domo Imperatores ſumſiſſe. V. Conting. *p.* 3. *ad Lamp. c.* 2. §. 4. *p.* 112. *Add. p.* 109. In Suecia Erici familia etiam per ducentos annos libera electione regnum obtinuit; quâ extincta quantæ turbæ exortæ fuerint, docet Loccen. *l.* 3. *Hiſtor. Suecan. circa finem.* Eodem pertinet inſtitutum, vivo Regi ſucceſſorem ſubrogare. Quod Germanico Imperio magno hucusque bono fuit. Diſplicet autem Polonis, terreri ſe exemplis Bohemiæ & Ungariæ Regni cauſantibus, apud Piaſec. *Chronic. ad A.* 1632. *p.* 440. cum A. MDCXXVI. unus ex Senatoribus ſucceſſoris deſignandi mentionem injeciſſet ad eam vocem exhorreſcebant omnes ordines, ac autorem fremitu excitato ad pœnam depoſcere volebant. Puſſeus *Chron. ad d. A. p.* 385. Add. Maximilian. Andr. Fredro *vit. Henrici Valeſ. p.* 65. Pfanner. *hiſtor. Pac. Weſtph. l.* 2. §. 63. Arniſæum 2. *Reflect. Pol.* 2. *ſect.* 4. *n.* 94. Cum anno 1661. Rex Caſimirus in comitiis eligendi ſucceſſoris materiam objiceret, Stephanus Lediehovvski Cremenecenſis ſuccamerarius intercedebat pluribus demonſtrans: electionem vivente Principe inſtituendam confuſionis ac ſchiſmatum in Rep. fontem fore, imo libertatis ac æqualitatis perniciem ubi ſupta eligentium animis inferior ſuffragiis pars ſeu deterior votis mulierem ſuperabit, ad quam ſe auctoritas in præſens

præsens regnantis acclamaverat. Andreas Maximilianus Fredro dicebat: Legum judicio standum, quibus integris errare se mala, quam convulsis sapuisse. à Kochovv *clim. 2. Annal. Pol. l. 7. ad d. A.*

XIX. Adversus primum malum commendarem (1) Venetorum prudentissimum & fere labyrintheum eligendi Ducis modum. (2) In Romano Pontificatu, ut schismata tollerentur, Cardinales conclavi aliquo recludendos constitutum, Gregorii X. sanctione. v. Onuphr. *ad Gregor. X. Platin.* Quanquam & conclave illud hucusque nullis potuerit sepiri legibus. ut plur. docet H. Conring. *præm. de electione Urbani IIX.*

(1) Eum accuratè descripserunt Contaren. *l. 2. de Rep. Venet.* & Jannot. *dialog. de rep. Venet. p. 153. sequ. edit. Elzevir.* alii.

(2) Veneti quoque Electores Ducis, qui ultimum sunt designati, conclavi (Conclavis illius descriptionem habes in Sleidani *commentar. l. 21. ad A. 1549. p. 669.*) includunt arctissimè custodiendos: & historiæ docent, Electores hosce in eo interdum quinque, interdum sex menses commorates; cum eligendum ex quadraginta & uno oporteat habere viginti quinque suffragia. V. St. Disdier *de la Ville & Rep. de Venise art. 2. p. 203.*

XX. Adversus alterum malum notandum singulare institutum, quod de Taprobane memoravit Plinius *l. 6. Hist. Nat. c. 22.* & Solinus *polyhist. c. 56. Eligi Regem senem, quique liberos non habeat, si postea gignat, abdicandum.* Planè ut in Hierarchia Papali cœlibes esse oportet & Papam & Cardinales. Quanquam Campanella *part. 3. Philosoph. realis c. 11. §. 10.* mallet in Pontificem eligi monachum, qui familiam suam ignoraret. In Hæbudibus insulis Regi nulla datur fœmina propria, sed per vicissitudines, in quamcunque commotus fuerit, usurariam sumit. Unde ei nec votum nec spes conceditur liberorum: ut testatur idem Solinus *Polyhistor. c. 25.* In Poloniâ

jurat Poloniæ Rex, ſe nec heredis Poloniæ nomen uſurpaturum, nec ſucceſſorem ſibi ullo modo vel arte deſignaturum, ſed leges ſanctionesque ſuper eligendi Regis libertate olim vel recens factas obſervaturum.

* V. Pacta conventa in electione Joann. Caſimiri apud Paſtor. *l.* 4. *hiſtor. Polon plenior. p.* 121. conf. Hartknoch. *l.* 2, *de Polon. c.* 1. *p.* 246.

XXI. Novitas regni virtute ac induſtriâ gnavi Principis poteſt emendari. Commentum Amaſidis Ægyptiorum Regis, qui plebejo genere nubes erat, narrat Herodotus *l.* 2. v. Gutacker *miſcellan. l.* 2 *c.* 19. *p.* 371. Deinde ſi legibus jam firmatum eſt regnum electitium, etiam ab regnandi imperitis haut difficulter regnum retinetur.

XXII. Quartum malum vix poterit curari. Profuerit tamen publicâ lege caveri, ut ne fiſci bona alienentur, aut ſi alienata fuerint, ut repeti & vindicari non tantum poſſint, ſed & debeant.*

* Hac lege ſteterunt hucusque Principatus Eccleſiaſtici in Germania. Poloniæ regni lex à Senatoriis dignitatibus & Magiſtratibus ac Præfecturis publicis arcet perſonas ſanguinis Principum, ut notat Piaſecius *Chronic. ad A.* 1624. Ibidem memorat; Sagacem antiquitatem conſtituiſſe, ne Principes eorumque filii arces & loca in confiniis regni munitiora poſſiderent, in quibus, congregatô milite externô, ſub interregno Regis novi electionem turbarent, vel repulſam paſſi ad vicinos deficerent. conf. *ad A.* 1631. *ab init.* Leges quoque regni caviſſe, ne Rex acquirendo fundos Ordini Nobilium addictos, potentiam ſuam augeret, Nobilium verò minueret. Ne Regem quidem devoluta propter crimen læſæ Majeſtatis ſeu quavis alia de cauſa ad fiſcum Regium Nobilium ſeu militaria bona poſſe retinere pro uſu ſuo, ſed obligari ea, (arbitrio tamen ſuo) alicui ex illo Statu tradere.

XXIII. REGNA TUTORIA ut plurimum malè ſe habent. * Experta eſt hoc Germania ſub Henrico IV. Imp. Anglia ſub Richardo II, Henrico VI,

VI, & Eduardo VI. Gallia ſub Carolo VI. Verè Salomon: *Væ illi regno, cujus Rex puer eſt.*

* V. Arniſæum 2. *select. Polit.* 2. *ſect* 4. *n.* 156.

XXIV. Mala autem regnorum tutoriorum ſunt, quod (1)* non rarò contendatur, cuinam jus tutelæ competat.

* Talium contentionum plenæ ſunt hiſtoriæ. v. Diſſert. *de tutela regia ſect.* 1. His adde, cum in Imperio Turcico Mahomet. IV. impubes eſſet, contentionem inter matrem ejus & aviam de tutela Conſtantinopolim in duas factiones diſtraxiſſe. v. Rycaut. *in vita Mahometu ad A.* 1650.

XXV. (2) Tutores ſæpenumero non ex fide rem gerant, regios pupillos tollant, aut certè regnum eis præripiant. * Ut complura exempla teſtantur.

* Quæ adduxi in Diſſertat. *de tutela regia ſect.* 2. §. 1. Addatur Ongoſſchio, qui à patre Tayckone, Japoniæ Imperatore, commendatum ſibi filium impuberem falſis criminationibus ſuſtulit. Quam hiſtoriam plurimis narrat Bern. Varenius *deſcript. Japon. c.* 6. *p.* 42 *ſequ.* In Romano-Germanico Imperio cum tutela Ottonis III. Henricus Bavarus etiam Imperium affectavit, ut Ditmarus Epiſcopus Mersburgenſis *libro* 3. *Chronic. in calce* & *libro* 4. memoravit. Olim in Macedoniæ regno Archelaus nothus Perdiccæ Regis, ab hoc filio ſuo legitimo infanti tutor datus & ſubſtitutus heres, infante illo extincto, regni habenas excepit.

XXVI. (3) Si plures tutores conſtituantur, ii inter ſe diſcordent; ut factum in Galliâ poſt mortem Ludovici XIII.

XXVII. (4) Tutori ſæpe non ſatis auctoritatis ſit ad retinendos in officio populos. Matres ſæpe etiam poſt depoſitam tutelam rebus ſe immiſcent. v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p.* 68. 70. Matres etiam reginæ multum ſæpe nocent liberis ſi denuo nubant. v. Henel. *de dotalit. p.* 342. 343. 344. 346.

XXIIX. Remedia ſunt adverſus primum malum: lege publica definire, ad quem tutelæ adminiſtratio pertinere debeat, aut ſi leges de eô nihil ſtatuerint, teſtamentô diſponere. Ubi obſervandæ

* cau-

* cautiones, quæ rebuspubl. patrimonialibus circa teſtamenta commendantur.

* De quibus infra ſect. 15.

XXIX. Alteri malo medetur, ſi mater aut avia materna admoveantur tutelæ. Apud Tataros Præcopienſes nemo natu minor habemus imperii capeſcere auſit, niſi prærogativâ naſcendi in ſpem ſceptri genitus, nec poſt patrem filius ſucceſſione, ſed frater ordine propior velut naturæ lege regimen adipiſcitur. ita à Kochow *cl. 1. l. 6. ad A. 1653. p. 408.* Matres enim tenerrimè amant liberos, nec ineptæ ſunt ad gubernacula reip. tenenda. * Hinc populi ad tutelam matrem admittunt, qui à ſucceſſione eam excludunt. Ne proximus agnatus tutelam gerat, vel votum illud apud Perſium monere poteſt:

Pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam!

* Exemplis multis matrum, tutelam bene gerentium, hoc demonſtratum Diſſertat. *de tutel regiâ ſect. 1. §. 12.* Amalaſuntha apud Gothos in Italia *tutelam pueri regnique geſſit, ingenio ac juſtitia excellens, animo plane virili,* teſte Procopio *1. Gothicor.* Quanquam Thuanus ſcribat *l. 1. ad A. 1523. Fœminarum ut ſucceſſionem lege regni neſcit Gallia, ſic imperium & adminiſtrationem ſemper fatalem experta eſt.*

XXX. Adverſus tertium malum facit, quàm primùm regius pupillus ratione & judicio uti incipit, tutelam finire: quoniam minus periculi eſt, ex puerili imperio, quàm ex contentioſâ & indiligenti tutorum adminiſtratione. Hanc ob cauſam Carolus V. ſapientiſſimus Rex in Galliâ leges conſtituit, ut quam primum ſucceſſor in regno annum quartum decimum attigiſſet, tutelam exiret ac imperium ipſe capeſſeret. Quod exemplum ſecuti in Hiſpaniâ & Luſitaniâ Reges. v. Thuanum *l. 65. ad A. 1578. & l. 120. ad A. 1598.*

XXXI.

XXXI. Malo quarto medetur, Tutori ſacramento devincire ſubditos. *Quibusdam placuit, ſolennem ut in Rege inaugurationem adhibere. Sed hoc periculo non caret. Mala quæ à potiſſimo aulæ oriuntur, v. apud Forſtner. *ad IV. Ann. Tacit. p. 509. ſequ.* Ad mala etiam pertinet quod Tacitus dixit: *Unius invidia ab omnibus peccari.*

* Exempla v. in Diſſert. *de tutela regia ſect.* 2. §. 10.

SECTIO SEXTA.

DE ARISTOCRATIA IN GENERE.

I. CUm regno magnam affinitatem habet ariſtocratia.

II. Quæ nonniſi ex hypotheſi optima.

III. MALA ejus ſunt vel EXTERNA, vel INTERNA.

IV. Hæc diligentiſſimè expoſuit, & remedia iis oppoſuit Ariſtot.

V. A SUBJECTO malum eſt populus otioſus, & in ſodalitates diſtributus.

VI. A FORMA malum eſt concordia debilitata.

VII. Aut quando Optimates plus æquo ſtudent obtinere.

IIX. Plebemvé afficiunt injuria.

IX. X. Item, quando pauci imperii ſummi ſunt compotes, præſertim in populo etectioris ingenii.

XI. In conſultationibus tarditas, impromta executio, privati magis quàm publici cura, & quòd ſecreta non reticeantur.

XII. In Legibus malum eſt negligentia exigui.

XIII. XIV. A CAUSA EFFICIENTE malum eſt inæqualitas inter Optimates, quando alii divites, alii pauperes, præſertim ex luxuria.

XV. Aut cum aliquis ex iis nimis magnus fuerit.

XVI. Aut aſſentando poteſt omnia apud Optimates.

XVII. Item, ſi quidam Optimatum ab honoribus excludantur.

XIIX. Aut ex republ. quæſtum faciant.

XIX. REMEDIA ſunt (1) otium negare Plebi.

XX. (2) Sodalitates opificum vel nullas eſſe, vel intra modum continere.

XXI.

XXI. (3) Oligarchia concors haut facilè dissolvitur. Hinc contentiones Optimatum extirpandæ & in herba opprimendæ.

XXII. (4) Aristocratias conservat modestia.

XXIII. Abstinens ab injuriis.

XXIV. (5) Qui in dissidiis duces esse possunt, in temp. inducendi.

XXV. (6) Aristocratia sit aristocraticè temperata.

XXVI. (7) Pusillum in LL. transgressionibus maximè cavendum.

XXVII. (8) Magistratus sit, qui in mores animadvertat.

XXIIX. (9) Sit æqualitas, quanta fieri potest, inter Optimates. Hinc idem magistratus videbit, ne quis bona sua dilapidet.

XXIX. Magistratus brevi tempore finiantur.

XXX. Nec plures uni magistratus concedantur.

XXXI. Ne quis nimium increscat, occasiones præcidendæ sunt.

XXXII. Quæstum ex magistratibus facere non liceat.

§. I.

REgnum & aristocratia magnam habent inter se affinitatem. *Regnum enim imago quædam est Optimatum.* Aristot. *V. Pol. 10. ab init.*

II. Est autem aristocratia ex hypothesi optima, *cùm multitudo apta fuerit, regi liberorum imperio ab iis, qui virtute præstant, ad civile imperium.* Aristot. *III. Pol. ult.* Habent tamen aristocratiæ commoda, quibus se regnis ipsis anteferre possint: nam primum in illis regimen eodem tenore procedit, Optimatibus nonnisi per intervalla morientibus; ut adeo heic absit metus interregnorum aut tutelaris administrationis. Deinde Optimates ipsi non per administros gubernant remp. nec facile solvuntur in luxuriem, aut adulatoribus auscultant. Hinc cernere est civitates sub Optimatum imperio magis florentes, quàm sub Regibus. Quippe ibi populus & divitiæ, ubi & libertas.

III. Mala aristocratiæ vel extrinsecus veniunt à contrariâ vel æmulâ civitate. V. Aristot. *V. Polit. 7. in*

in fine, ubi memorat Athenienſes paucorum dominatu ſuſtuliſſe: vel intrinſecus à ſemetipsâ. Qua propter *vel in oligarchiam tranſeunt, vel in democratiam. d. l. c. 7. in med. & c. 6. in fine.* aut etiam in tyrannidem. V. Ariſtot. *IV. Pol. 11. & V. Pol. 12.*

IV. In malis hiſce & quæ eis curandis conducunt explicandis diligentiſſimus fuit Ariſtoteles. *l. 5. c. 6. 7. 8.* * Quanquam oligarchiæ differentiam, quam ipſe ab ariſtocratiâ conſtituit, nunc amplecti nolimus, mala utriusque atque remedia promiſcuè tractaturi, & quod oligarchiæ herilis eſt proprium, ſuo loco ſervaturi.

* V. quæ *part. 1. ſect. 10.* diſſeruimus. Nam virtus, divitiæ, & paupertas, ſunt quidem notæ diverſitatis, ſed rectas à declinantibus civitatibus non diſtinguunt, contra quam putavit Ariſtotel. *d l. & l. 3. c. 5. in fine & paſſim. Quemadmodum naſus, qui migraverit à pulcerrima rectitudine in aduncum aut ſimum, tamen adhuc pulcher eſt, & venuſtatem retinet, qua juvet ſpectantes*, ut eleganter ait *V Pol. 9.*

V. A ſubjecto malum eſt, ſi cives ſunt otioſi, aut in certas ſodalitates diſtincti. Otium enim ad novarum rerum ſtudium deducit, * & ſodalitatibus ejusmodi factiones ac ſeditiones aluntur.

* Exemplo ſint Germaniæ civitates, quæ Optimates olim habuerunt, conf. H. Conring. *hiſt. rerump. de Ultrajecti §. 20.*

VI. A formâ malum eſt concordia debilitata; *quando inter ſe contendunt Optimates vel propter matrimonia* (ſive res privatas alias) *vel propter lites.* Ariſtot. *V. Pol. 6.* ubi exemplis Eretriæ, Heracliæ & Thebarum hoc confirmat. Huc etiam pertinet, quod Ariſtoteles obſervavit IV. Pol. 15. in fine: *Pannorum in civitate dominantium uxores molliter vivere.* Optimates enim in contraria ſtudia deducti multitudinem quoque in partes diſtrahunt. *V. Pol. 4.* Tacitus *in Agricol. c. 12. de Britannis:* Olim Regi-

Regibus parebant: nunc per Principes factionibus & ſtudiis trahuntur.

VII. Præterea malum eſt, quando Optimates plus æquo ſtudent obtinere. *Nam cuncta reſp. quæ ſpeciem habent Optimatum, in paucorum dominatum inclinant.* Ariſtot. *V. Pol. 7. Et peccant plerique, qui reſpubl. ariſtocraticas conſtituere volunt, non eô tantum, quòd plus tribuant divitibus, ſed etiam quòd populum circumveniant.* Ariſtot. *IV. Pol. 12. in fine.* Idem obſervat *V. Pol. 9.* ſuo tempore juraſſe ſtudioſos dominatus paucorum: *Et erga populum malæ mentis ero, & quicquid mali potero, ipſis procurabo.* *

* Talis Appius Claudius apud Romanos, truci vehementique ingenio vir, qui nunquam perpelli quivit, ut apud populum ex conſueta aſperitate orationis aliquid remitteret. Hujus ſunt illa: *Licentia tantum concitum turbarum: laſcivire magis plebem quam ſævire: Carcerem eſſe plebis Romanæ domicilium.* Quæ omnia Livius prodidit. De iisdem Romanis Salluſtius *l. 1. hiſtor. ap. Auguſtin. Servili imperio Patres plebem exercere: de vita atque tergo regio more conſulere: agro pellere & cæteris expertibus ſoli in imperio agere. Quibus ſævitiis & maximè fœnoris onere oppreſſa plebs, cum aſſiduo bellis tributum & ſimul militiam toleraret, armata montem ſacrum atque Aventinum inſedit, tumque Tribunos plebis & alia ſibi jura paravit.* conf. Halicarnaſſ. *l. 6. Antiqu. Rom. c. 63. ſequ. c. 78.*

VIII. Hinc malum eſt, quando Optimates Plebem injuriâ afficiunt. *Nam quilibet dux eſt idoneus, præſertim cum ex ipſis Optimatibus ducem accipiunt.* Ariſtot. *V. Pol. 6. init.* & maximè *cum viros magnos & nihilo inferiores iis, qui honore & dignitate tantum antecellunt, ignominiâ afficiunt.* Ariſtot. *V. Pol. 7.*

IX. Amplius malum eſt, * *cùm pauci ad honores*, i. e. ſummam rerum, *perveniunt.* Ariſtot. *V. Pol. 6. firmiores enim ſe putant eſſe reliqui.* Ariſtot. *V. Pol. 3. & 7.*

* Ma-

* Malum hoc erat in Republica Romanorum, cui obviare potuissent Optimates, si omnes ex populo meliores potentioresque in suum ordinem cooptare lege lata fas fuisset.

X. Maximè * *cùm multitudo constiterit è magnos spiritus gerentibus tanquam par sit virtute.* Aristot. *d. cap. 7.*

* Præter exempla, quæ Aristoteles profert, Romanorum Patritiorum oligarchiam nihil magis pessundedit: Romani quippe populi ingenium erat excelsum, & servilis subjectionis impatiens.

XI. In consultationibus malum est tarditas & lentitudo, consiliorumque non prompta executio; adhæc privati magis quàm publici cura, & quod inter tot conscios consilia fuisse effluant.

XII. In Legibus malum est negligentia exigui: *nam ab tenui initio dissolvuntur aristocratiæ; & cum neglexerint quippiam eorum, quæ pertinent ad remp. postea aliud quoque majus minore negotio mutant, donec totum ordinem mutarint.* Aristot. *V. Pol. 7.* Deinde inter Optimatum discordias remissa juris auctoritas & hinc flagitia inulta. (2) Quod vitium paucorum dominatum sæpe comitatur.

(1) Hoc monitum est civitatibus omnibus commune, sed maximè valet in aristocratia & politia. V. *sect.* 1. §. 8.

(2) In potentia plurium parabilis est venia, ait H. Grotius *l. 3. hist. Belgic. in calce.*

XIII. A Causa efficiente malum præcipuum est inæqualitas inter Optimates. *Puta cùm quidam egeni fuerint, alii opibus abundarint. Quod bello maximè efficitur.* Aristot. *V. Pol. 7.*

XIV. Maximè, quando egeni *bona sua intemperanter vivendo consumserint. Hi enim novis rebus student.** Arist. *V. Pol. 6.* ubi hoc exemplis Syracusanorum, Amphibolitanorum, Æginensium confirmat. conf. *c. 12. circa finem.*

* Conf. *sect.* 1. §. 9. ὀλιγαρχούμεναι uxores *in luxu vivere*, ait Aristot. *IV. Pol. 15.*

XV. Rursum, **si quis magnus fuerit, ut possit esse major.* Arist. *V. Pol. 7.* conf. Herald. *l. 2. rer. judicar. p. 419.*

* In Republica Romana Optimates sibi clientelas adjungebant. Quod specie ptisci illius juris patronatus à Romulo instituti fiebat, de quo præclare Dionysius Halicarnass. *l. 2. c. 14.* In clientelam autem transibant non tantum singuli, sed & integræ nationes & civitates: & quemadmodum Patroni tenebantur clientum causas suscipere & in judicio persequi & defendere, ut nos docet Plaurus *in Menachmis:* ita clientes Patronis suis adesse in summis periculis oportebat, & cum iis justa arma capere jus erat. Quod ex Dionysii Halicarnass. *l. 6.* discimus. v. Desid. Heraldum *l. 2. de Rer. judicat. auctorit. c. 9.*

XVI. Aut si unus exsurgat, * *qui assentando omnia possit apud Optimates, aut apud populum.* Aristot. *V. Pol. 6.* Vel Optimates inter se æmulentur.

* Eximiè hanc doctrinam illustrat contentio Pompeji & Julii Cæsaris, quorum ille Optimates, hic plebem sibi conciliaverat. Jon. apud Euripidem in ejus nominis tragœdia:

ἔστι γὰρ τοῦθ', ὦ πάτερ, φιλεῖ
Οἱ τὰς πόλεις ἔχοντα κἀξιώματα,
Τοῖς ἀνδραμίλλοις ἴσοι πολεμιώτατοι.
Quippe sic mos est, pater,
Hi quos micante dignitas posuit loco,
Ex amulatu deligunt hostes sibi.

XVII. Item, si quidam Optimatum ab honoribus excludantur. V. Arist. *V. Pol. 8. Politi homines de honoribus inter se discordant, si æquales fuerint,* ait *II. Pol. 5.*

XVIII. Malum quoque est, quando imperantes ex rep. quæstum faciunt. *Multitudo namque non tam indignè fert à magistratibus se arceri (quin potius lætatur, si quis eam suis rebus vacare sinat.) quam si putet, magistratus publica depeculari.* Aristot. *V. Pol. 8.* conf. *III. Pol. 11.* & *VI. Pol. 7. in fine.*

XIX. Remedia sunt (1) otium plebi negare per oblatas domi aut foris occupationes.

* Non-

* Nonnullis in more eſt, in delitioſo quodam negotio otia civium occupare. Quò pertinent Comœdiæ, tragœdiæ, & apud Italos l'Opere, quas vocant. Eandem ob cauſam Veneti amores licenter permittunt, de quo prudenter diſſerit St. Disdier. *part.* 3 *deſcript. Reip. Venetæ.*

XX. (2) Sodalitates opificum * vel nullæ ſint, vel intra modum contineantur, & anguſtis legibus circumſcribantur.

* Ut Noribergæ, Francofurti &c. De illa Pighius in Hercul. Prodicio p 90. *Operariorum atque opificum, qui poſtremus & plebejus eſt ordo, nulla admittuntur in urbe conventicula & conciliabula publica vel privata: non epula ſolemnes aut convivia feſtiva multorum, niſi religionis aut exequiarum cauſa. Paci enim publicæ id pernitioſum arbitrantur, eò quod ſæpius compertum eſt, factiones ſeditionesque periculoſas pullulare ex ſimilibus plebejorum congreſſibus, dum ebrii inter ſe de rep. diſputant, eosdemque multis urbibus libertatem ademiſſe, calamitates ingentes attuliſſe. Quod ſi inter plebejos ſimultas aut diſſenſio fuerit, non ad artium decanos aut operariorum primarios ea defertur, ſed ad ipſum Senatum, qui confeſtim duos arbitros legit, qui rem cognoſcant & privato colloquio concordiam tentent: quæ ſi conciliari nequit, ad Senatum evocatur, ibidemque partibus, cauſa dijudicata, non ſine gravi mulcta ſilentium imponitur.* V. & Celte. *de Rep. Norinb. c.* 13.

XXI. (3) *Oligarchia* (& multò magis ariſtocratia) *concors haut facile per ſemetipſam labefactatur.* Ariſt. *V. Pol. 6. Hinc danda eſt opera, ut Principum contentiones ac motus per leges caveantur; & ſervandi ii qui extra ſeditionem ſunt, antequam & ipſos implicet.* Verùm *initia exorientis mali noſſe, non eſt cujuslibet, ſed hominis diu in rep. verſati.* Ariſt. *V. Pol. 8.*

XXII. (4) *Ariſtocratias conſervat* εὐταξία *ſive modeſtia.* Ariſt. VI. Pol. 6. *& ariſtocratiæ, quæ ad politiam inclinant, magis ſunt ſtabiles.* V. Pol. 7. *Hinc honoris cupidi non lædantur in his rebus, quæ ignominiam adferunt, * multitudo autem in illis, quæ pertinent ad lucrum.* V. Ariſtot. *V. Pol. 8.*

* Hanc forte ob cauſam Veneti Patritios non patiuntur negotiari, v. Amelorto *del govern. de Venezia part.* 1. *p.* 31. Addatur Lex Claudia in Romana Republica apud Livium *l.* 21. *c.* 63. Patritii apud eosdem Advocationis officia non exercent, v. Amelor. *d. l. p.* 43. Ant. Mar. Gratianus *l. IV. de Bell. Cypr.* loquutus de Patritio Venetio, in juventute Advocato. *Hanc viam Venetiis è Patritio ordine haut ferme ſequitur quisquam, niſi quos anguſta domi res ſubigit.* Hinc majorum ſcholarum tegimini non poſſunt præfici, nec Eccleſiarum parochialium, quarum ultra 70. ſunt in ſola urbe Veneta. *Arcan. Polit. de' Prine. d'Italia. p.* 44. Hinc montes pietatis in Italia & Noribergæ das Leyhauß/ ur & Auguſtæ Vindelicorum binæ hujusmodi ædes. Quo inſtituto tenuiores uſuris mordacibus ſalubri tatione ſublevantur. Videatur Bornitius *de prudentia civili*, hoc inſtitutum prudentiæ nomine laudans, & D. Struckius *ſect.* 2. *de cautel. contr. c.* 1. §. 32.

XXIII. Summa quoque lex ſit: *populo non faciam injuriam.* Ariſt. *V. Pol.* 9. *

* Hinc injuriæ & contumeliæ ab aliquo Optimarum plebejo illatæ ſeverè puniantur, & *majori pœnâ, quàm ſi ſui ſimilem iis affeciſſet.* Ariſt. *V. Pol.* 8. Quod accuratiſſimè quoque obſervant Veneti.

XXIV. (5) * Qui diſcordiis cæterorum duces eſſe poſſunt, in rempubl. inducendi. Ariſtot. *V. Pol.* 8.

* Hoc Veneti iterum ſequuntur, ditiores Patritiorum Ordini inſerentes, ſed exſoluto grandi ære. Hujus conſilii Patribus in Friſia auctor fuit Wilelmus Naſſovius, inſigni cum fructu, memorante Reidano *lib.* 4. *Ann. Belgic. ad An.* 1585.

XXV. (6) Conſultationes melius procedunt * ſi ariſtocratia ſit ariſtocraticè temperata, de quo infra, & ſi in magni momenti negotiis Senatores jurejurando obligentur.

* Ut Venetiis, de quibus ſupra part. 1. ſect. 10. §. 15. Miram in Concilio Rogatorum reticentiam deprædicat St. Disdier *deſcript. reip. Venet. part.* 2.

XXVI.

XXVI. (7) * Pusillum in publicarum legum transgressionibus maximè caveatur. Aristotel. *V. Pol. 8. ab init.*

* Apud Venetos *minimi falli in materia di stato sono irremissibili, e apparenze sole sono reputate per delitti.* Amelott. *p. 2. del govern. de Venez. p.* 19. ubi sequitur de Consilio Decemvirorum. Habet Baptista Nani *l. 7. Histor. Venet. ad a.* 1618. memorabile exemplum Georgii filii Ducis Joannis Cornari, graviter puniti, quod conatus esset Patritium Zenonem Decemvirum trucidare: nam *fu bandito dal Consiglio de Dieci con capitali e gravissime pene, cancellato il caratteré della sua Nobilita, e nel luogo del delitto eretta memoria in marmo ad esecratione del fatto.* Abhinc cum multi reformationem Consilii illius desiderarent, alii id planè abolendum existimarent, prævaluit contraria sententia, à Renieto Zenone, Nicolao Contareno & Baptista Nani acriter defensa, cui tandem majus Consilium assensit. *I nostri Maggiori prudenti cognoscendo ch'il principale vincolo dell' Aristocratia e la continenza & la moderatione di quella parte hanno voluto imbrigliarla, perche dal commando alla licenza non vi sarebbe che un brevissime passo, se non si traponesse l'autorita delle Legge, e la severita de' giuditii.* ait Nani *d. l.* Huic Concilio Decemvirorum proximum est Tribunal Inquisitorum Status, vulgo Inquisitori di Stato. De cujus admiranda potestate, executione & delatoribus, quibus utitur, juvabit legere Amelott. *d. part. 2.* & St. Disdier *part. 2. description. Reip. Venet.* In Reip. Noribergensis quinquevirali judicio Minea & Radamanthum urnas suas assiduè movere, in eoque magna severitate injurias & vim privatis illatam, quietis publicæ conservandæ causa, compesci, ait Pighius *in Hercul Prodic. p.* 19.

XXVII. (8) Magistratus sit, qui morum curam habeat. *Nam censura est magistratus aristocraticus. V. Pol. 8. & IV. Pol. 15.* Apud Genuenses, ne quis metus attributæ sibi per leges potestatis excidat, inductus est præter legum conservatores (v. ad Specim. pr. civil. p. 73.) *quinque virorum magistratus* ad cujuscunque, aliqua publicâ auctoritate fungentis, censuram, supremorum Syndicatorum appella-

tione. Cujus eſt vigilare ne Dux, neve alius quivis magiſtratus vel aliquis ex magiſtratu quocunque, & ne quis infimi etiam ordinis miniſter publicâ auctoritate abutatur, ne quid contra leges vel fiat vel omittatur. Quod ſi aliquid hujusmodi admiſſum fuerit, animadvertere poteſt pro culpæ gravitate & vel capite damnare. Si quis tamen reus fuit conſtante ſive Ducali ſive Senatoriâ ſive procuratoriâ dignitate, nequeant ſupremi Syndicatores in illum ferre ſententiam, ſed rem ad minus Concilium deferunt, cujus eſt abſentibus duobus collegiis & ipſis ſupremis Syndicatoribus, referentibus ac præſidentibus cauſam cognoſcere abſolvendo vel condemnando. de Marinis *c. 2. deſcript. Gen, ſect. 1. §. 7.*

XXIIX. (9) Sit æqualitas, quanta fieri poteſt, inter Optimates. Uladislaus IV. Rex Polon. tentaverat Equites ſub titulo immaculatiſſimæ conceptionis Deiparæ inſtituere, ſed quod id è diametro æqualitati repugnare viſum, evanuit. Veſpaſ. à Kochow *Annal. Pol. clim. 1. l, 7. ad A. 1654.* Hinc idem magiſtratus providebit, ut ne quis luxu bona ſua prodigat. *

* Apud Venetos filiabus præſertim bene meritorum ex publico dos conſtituitur. P. Bemb. *l.* 1. *Hiſt. Venet. pag.* 27. Ulmæ collegium eſt virginum ex Patriis natarum, quæ ſumtibus publicis honeſtè aluntur. Zeiler *topogr. Suev. voce Ulm.* Similiter Francofurti. Noribergæ colliguntur eleemoſynæ quæ dicuntur die reiche Allmoſen / unde pauperes Patriciorum viduæ vel liberi hebdomatim ſinguli unum aut plures aureos accipiunt.

XXIX. * Conducit etiam *ſemeſtres magiſtratus eſſe, ut cuncti ſimiles participes ipſorum ſint.* Ariſtot. *V. Pol. 8.*

* Venetiis nullæ poteſtates, nulla collegia Judicum, ac ne Senatores quidem ipſi ſunt perpetui, præter Principem, Procuratores D. Marci, Cancellarium conſilii publici & quatuor Scribas. Apud eosdem leges annales vigent, quæ ætatis

tis rationem habent in deferendo magistratu. v. Amelotto *d. part. 1. p. 31. sequ.* planè ut apud Romanos. v. Ciceron. *V. Philipp.*

XXX. * Hinc plures uni magistratus non tribuantur. V. Aristot. *II. Pol. 3. in fine.*

* Planè ut apud Venetos Patricius plura munia uno tempore gerere non potest, quam minima etiam illa sint. Amelotto *d. part. I. p. 33.* Polonorum legibus cavetur, ne uni plures magistratus honotesvé mandentur. teste Cromero *l. 28. Rer. Polonicar.* ubi questus Procerum contra Cazimirum hac in re memorat.

XXXI. *Hinc maximè enitendum est, ita legibus institui Optimates, ut ne quis vel* ab amicis vel à potentiâ longè præstet. Quod si id prorsus vitari nequeat, amandentur longius extra fines,* Aristot. *V. Pol. 8. Hinc hereditates non testamento sed agnatione sunt deferenda, & ad eundem non plures unâ. Sic enim facultates magis erunt æquabiles, & tenuiorum plures fient locupletes.* Aristot. *V. Pol. 8.*

* *In multis dominatibus paucorum non licet rem quærere, sed leges illic sunt quæ hoc vetant:* ait idem *V. Pol. 12.* Venetum Senatum, qui merito omnis civilis prudentiæ officina vocari debeat, laudat Thuanus l. 23. hist. *quod nullam partem reip. attingere patiantur, sacris initiatos.* Pontificii sacerdotes singulari & religioso nexu Romano Pontifici obstricti. conf. Bodin. *l. 3. c. 1. de Rep.* Planè ut Venetis Patriciis non licet extra urbem fenda aut jurisdictiones habere. v. Amelotto *d p. 1. p. 37.* Iisdem sub gravi pœna vetitum, pensiones aut munera ab externis Principibus accipere. Amelott. *d. l. p. 36.* Hinc vel collocutum esse cum legato, aut qui de familia ejus sit, minimo etiam, certissimo vitæ periculo constat. Amelott. *d. l. p. 46.* St. Disdier *d. part. 2. descript. Reipubl. Ven.* ubi à quinquaginta annis severitatem hanc introductam scribit.

XXXII. *Quæstum è magistratibus facere minimè liceat.* (1) Aristot. *V. Pol. 8.* conf. *II. Pol. 9. Itaque ut ærarium non compiletur, solutio publicæ pecuniæ fiat adstantibus omnibus civibus, exemplaque rationum per phratrias & ordines tribusque deponantur. Ut*

verò sine mercede magistratus gerant, honores legibus statutos oportet esse illis, qui magistratus præclare gesserint. [2] Aristot. *d. l.*

[1] Apud Venetos Patritiorum quivis tributa solvit pro modo census. V. Amelott. *d. l. p.* 42. In Hollandiæ oppidis functiones nullo aut exiguo præmio ut debitum patriæ præstantur.

[2] Huc pertinet, quod idem ait V. Eth. 6. *Imperanti merces danda est, nimirum honor atque decus; qua quibus non sufficiunt, tyranni fiunt.*

SECTIO SEPTIMA.

DE SPECIEBUS ARISTOCRATIÆ.

I. ARISTOCRATIA SUCCESSIVA plerumque optima.

II. Ejus MALA sunt (1) si quis furtim irrepat in ordinem Patritiorum,

III. (2) Mollities eorum qui ex Patritiis nascuntur.

IV. (3) Superbia Patritiorum & contemtor animus.

V. (4) Simultas inter veteres & novos patritios.

VI. REMEDIA sunt (1) Album, in quod nomina Patritiorum acuratè referantur.

VII. (2) Diligens institutio ad genium aristocratiæ.

VIII. (3) Nobiles adsuefaciendi ad modestiam & popularitatem.

IX. (4) Nobiles novi æquandi veteribus.

X. ARISTOCRATIÆ ELECTITIÆ MALA IN GENERE sunt (1) electio Optimatum populo competens.

XI. (2) Ambitus.

XII. REMEDIA (1) si electio populo non concedatur, sed tantum nominatio.

XIII. (2) Modi electionum ab ambitu immunes.

XIV. ARISTOCRATIÆ QUÆ CENSUM RESPICIT MALUM.

XV. REMEDIUM

XVI. ARISTOCRATIA REGIE TEMPERATA optimum est institutum.

XVII. MALUM ejus, si Rex regiam potestatem concupiscat.

XIIX. REMEDIUM, Rex honoribus domi cumuletur, nervis imperio regio incisis.

XIX. ARISTOCRATIA ARISTOCRATICE TEM-

TEMPERATA, non minus laudandum eſt inſtitutum.

XX. MALUM EST. Si cœtus ariſtocratiam temperans jus ἀνυπεύθυνον affectat.

XXI. Item, diſſenſiones inter cœtum hunc & illum, in quo eſt ſumma reip.

XXII. REMEDIA. (1) Perſonas illius cœtus quotannis mutari, aut ſaltem modum juris certiſſimis legibus deſcribere.

XXIII. (2) Plures ejusdem familiæ cœtui illi non intereſſe.

XXIV. ARISTOCRATIA POPULARITER TEMPERATA, uſum etiam inſignem habet.

XXV. MALUM eſt populi intemperies nimium ſibi arrogantis.

XXVI. REMEDIUM eſt primum, tantum in rebus, quæ invidiam habent comitem, populum in conſilium adhibere.

XXVII. Remedium alterum, Curationes, quæ vim imperii non conſernunt, plebejis concedere.

XXIIX. ARISTOCRATIA Urbica & quidem urbi uni incluſa, præfertur aliis.

§. I.

PRima Ariſtocratiæ diviſio eſt in ſucceſſivas & electivas. Ubi ſimiliter, ut in regnis, quænam earum melior ſit, quæſtio moveri poteſt, * eodem, ut videtur, modo definienda.

* Hunc pertinet illud Ariſtot. IV. Pol. 8. *Liberalis inſtitutio & nobilitas ditiores magis comitatur. Praterea habere videntur divites, quorum parandorum cauſa homines ad injuriam faciendam ſtimulantur.* conf. III. Pol. 8.

II. Ariſtocratiæ ſucceſſive malum eſt (1) cum ſub nomine Patritiorum ad ſummam imperii perveniunt, qui tales non ſunt.

III. (2) * Mollities eorum, qui ex Patritiis naſcuntur. *Nunc autem*, ait Ariſt. V. Pol. 9. *in dominatibus paucorum filii eorum qui imperium habent molliter vivunt: egenorum autem exercitati evadunt, & laboribus firmati: quapropter & volunt magis, & valent moliri res novas.* de pravâ educatione Venetorum

rum Nobilium. v. St. Disdier descr. de la Ville & Rep. de Venise part. 3. p. 280.

* Polybius l. 6. observavit, *Ubi filii traditam sibi à patribus potestatem obtinuissent, homines qui malorum periculum nullum unquam fecerant, nullum æquabilitatis nec libertatis civilis; sed à pueris innutriti fuerant paternis honoribus & dignitatibus, quum alii avaritiæ & injustæ opum cupiditati se dedissent, alii ebrietati & hellationibus, quæ illam comitari solent, quidam ad stupra mulieribus inferenda aut pueros rapiendos animum adjecissent, mutasse illos Optimatum principatum in paucorum dominationem.*

IV. (3) * *Tyrannis ac superbia, morbi peculiares Nobilium.* Arist. II. *Rhet.* 15. Hi enim cum genere præstent, non existimant se dignos æqualibus propter inæqualitatem hanc. Aristotel. *V. Pol. I.*

* De Metello Sallust. *in Jugurthâ c.* 64. *Inerat contemtor animus, & superbia commune Nobilitatis malum.* Macrinus apud Herodianum, *l.* 5. *Patritia Nobilitas sæpenumerò in superbiam vertit, despectis omnibus, velut multò inferioribus.* conf. Arist. V. *Pol.* 7. ubi divites ad contumeliam proclives dicit. *Eximiè nobiles & divites contumeliosos fieri, & magnis culpis affines*, ait IV. *Pol.* 11. Violentiam, quam in Republica Veneta sæpe adversus privatos exercent juvenes Nobiles, sensim eos exponere odio, quod reip. aliquando fatale esse queat, observavit St. Disdier *descript. reip Venetæ.*

V. (4) * Simultas, invidia atque æmulatio inter Nobiles novos & antiquos.

* V. de rep. Genuensi Thuan. *l.* 61. *Hist. ad A.* 1575. de Venetâ Rep. Anton. Maria Gratianus *l.* 4. *de Bello Cyprio.* Inter Patricios, inquit, (quod fere malum magnas civitates vexat) factiones duæ ingentibus certant odiis; quæ tamen hactenus non ultra suffragiorum certamina erupere, dum suæ quisque parti in mandandis honoribus adversatur aut favet, atque id ipsum occultis studiis: nam legibus eorum contra Remp. habetur, his de dissidiis loqui. Familiæ paullò plus XX. sunt, quæ vetustate originis & majorum titulis elatæ contemnunt reliquos ut novos atque reptilios. Pro contemtu odium redditur. Ubi superbiam novitas numero atque industria superavit, utraque auctum acriter, quæ in abdito æstuat. A. epistolarum quæ Burneti itinerariis subjiciuntur. Ubi ait: reli-

antiquos & novos nobiles perpetua æmulatione & invidia invicem flagrare dum antiquæ familiæ novas aspernentur, & novæ vetustiorum insolentium & arrogantium ferre non possint.

VI. Remedia sunt. (1) Album publicum constituatur, inque id omnium, qui per ætatem habent jus summæ potestatis, nomina inferantur. * Ut optimæ quæque olim respubl. observaverunt, & nunc prudentiores quæque observant.

* Qua diligentia utantur Veneti, ne quis degener irrepat in Nobilitatis Ordinem, prolixè explicat Casp. Contaren. *l. 1. de Rep. Ven. p.* 105. *sequ.* St. Disdier *descript. Reip. Venet. part.* 3. In Polonia, qui nobilitatem mentitur, præter bonorum amissionem, impune ab unoquoque occiditur. v. Hartknoch *l. 2. de Rep. Polon. c. 5. §. 21.* conf. Boxhorn. *l. 2. ℣. P. c. 6. §. 44. sequ.*

VII. (2) * Juventus accuratè instituatur ad genium hujus reip. Arist. V. *Pol. 9.*

* V. supra sect 1. §. 6. Exclamat hic Auctor *comment. de aristocr. & oligarch. p.* 116. *Quis hodie id satis credit, curat, intelligit? Annon præsunt aristocratus, qui quid aristocratia sit, vix unquam cogitarunt?*

IIX. (3) Nobilitas adsuefacienda [1] ad modestiam & popularitatem. [2] Hinc matrimonia inter Patritios & reliquos cives non prohibenda. Hinc temperamenta popularia adhibeantur; de quibus infra.

[1] Ut Venetiis. A. Arcan. polit. Princ. Ital. p. 45. *Per meglio amicarsi anora e render benevoli gli animi de' cittadini, e della nobilta sogetta, si imparentano Nobili Veneti con essi, si accommunano nelle conversatione, nelle veglie, nell Academie, nelle feste, & in ogni altro civile & honorato trattenimento.*

[2] Boxhorn. *d. c. 6. §* 31. disuadet ejusmodi nuptias. Accedunt exempla Romanorum, ante latum à C. Canulejo Plebiscitum, & hodie Rhagusianorum, apud quos Nobilis ignobilem in matrimonium ducens amittit Nobilitatem. Verum Bodinus 3. *de rep.* 2. observat, nulla re Venetorum imperium majus videri incrementum accepisse, tum ad Patritiorum opes & copias fulciendas, tum etiam ad mutuam Optimatum & plebejorum concordiam stabiliendam. Addit, si Patritius plebejam uxorem duxerit, dotem quidem bis mille aureis lege defini-

definitam; verùm Patritios facile pati legem antiquari, ut locupletiorum plebejorum patritiorum egeſtati & ſimul utriusque ordinis concordiæ conſulant. Couſ. Amelotto *p. 1. p. 39. ſeqq.* St. Disdier *deſcript. Reip. Venet. part.* 3. Venetorum exemplum ſequuntur Noribergenſes. Quanquam Celtes *de rep. Norinb. c.* 13. Patrum & Plebis rata connubia dicat.

IX. (1) Nobiles novi æquandi antiquis. V. Contaren. *l.* 1. *de Rep. Venet. p.* 116. (2) Nec ferendum, ut Nobiles honorum titulis diſtinguantur.

(1) In rep. Veneta etſi nomen maneat familiarum antiquarum, ac novarum, ita tamen unita eſt respublica, ut, nulla novarum atque antiquarum habita ratione, dignitates magiſtratusque nonniſi idoneis conferantur, & matrimoniis promiſcuè ſe jungant. Septal. *l.* 3. *de Rat. ſtat. c.* 3. *pag.* 172. ubi etiam de Genuenſibus. Diſſenſionem in rep. Genuenſi inter nobiles antiquos & novos deſcribit Thuanus *l.* 62. *ad A.* 1593. A quibus jam anno 1379. id conſtitutum ſcribit Petr. Pizarus *l.* 2. *de Bello Veneto* addens: *id nonnullis noſtrorum temporum civitatibus, quæ aut democratica aut ariſtocratica ratione adminiſtrantur, pro jugi aut perenni exemplo haut immerito eſſe poſſe.* Illud etiam notatu dignum eſt, inter Venetos Patritios, qui magiſtratum non gerunt, nullum prætetquam ætatis diſcrimen eſſe. Contar. *l. de rep. Venet. p.* 116.

(2) Hoc Reipublicæ Polonicæ commendat Fredro *in ſcriptor. fragmentis* 10. *p.* 239. In ejus comitiis An. 1638. & A. 1641. externi honorum tituli in poſterum ſunt prohibiti. V. Paſtorium *l.* 6 *Flori Polonici add. A.*

X. Mala ariſtocratiæ electitiæ in genere ſunt (1) ſi populus eligat Optimates. Ita enim ariſtocratia facile migrat in ſtatum popularem, & populus quos elegit velut eo beneficio ſibi devinctos tenet. Bodin. 2. *de Rep.* 6.

XI. (2) Ambitus, familiare liberis populis malum ac inprimis pertinax. *Nam maxima pars injuſtorum factorum, quæ ſponte faciunt homines, ferme proficiſcitur ab ambitione & avaritia.* Ariſtot. II. *Pol.* 7.

XII. Remedia ſunt (1) vel electionem penes populum

pulum non esse, vel nonnisi nominationem, electione Optimatibus permissâ.

XIII. (2) Si quidam suffragiis designentur & ex iis sorte educantur, habituri jus ac potestatem optimates eligendi non palam, sed remotis arbitris, & morâ nullâ interpositâ. Eâ siquidem curâ fit, ut nulla hic esse possit munerum corruptela, nulla honoris prensatio (nam facile fieri potest, ut nullum jus sint habituri quos tu egregiè ambieris) electores autem isti ad existimationem suam pertinere arbitrabuntur, ut ne ullum nisi spectatæ virtutis & prudentiæ eligant. [1] Potest etiam ita fieri; ut electores illi nominent aliquem, de quo reliqui sanguine non conjuncti statuunt non palam, sed urnis aut suffragiis occultis. [2]

[1] V. Mevium *l.* 1. *ad Jus Lubecens. tit.* 1, *art.* 7. *n.* 14.

[2] Adde modum, quem observant Veneti, accuratissimum sanè, in designandis magistratibus. V. Contar. *l.* 1. *de Rep. Venet. p.* 111. *sequ.* St. Disdier *Descript. Reip. Venetæ part.* 2, & quæ acta circa hunc modum apud Bembium *histor. Venet. p.* 14. Laconesin Senatum (Γερουσίαν) LX. annis non minores, eosque nonnisi potentes legebant. Verùm hoc rectè reprehendit Aristot. II. *Pol* 7.

XIV. Malum aristocratiæ * quæ censum respicit, est, si census mutatur, *quod quidem interdum paulatim fit & occultè, ac velut alluvione quadam, aliâs verò citius.* V. Aristot. V. *Pol.* 6.

* Hoc genus oligarchiæ nec bonum nec diuturnum esse, contendit Plato *IIX. de Republica.*

XV. Remedium præscribit Aristot. V. *Pol.* 8. circa medium. conf. VI. *Pol.* 6.

XVI. Nunc ad temperatas aristocratias progredimur. * Et quidem dubitari nequit, speciem regiæ gubernationis optimum aristocratiæ institutum esse.

* Bene Contaren. *l.* 2. *de Rep. Venet. p.* 132. *A nostra civitate sapientissimè institutum fuit, ut in hac rep. constituere-*

tur

tur quædam ſpecies regiæ gubernationis, adeò legibus temperata, ut quovis incommodo ac periculo, quæ Reip. imminere poſſent, amotis, utilitate verò & commodo, quod regia gubernatio habere ſolet, accito, nihil relictum eſſe videretur, quod ſit deſiderandum, ac ſimul remp. liberrimam & Regem præſidem haberemus.

XVII. Malum eſt, * ſi Rex regiam poteſtatem affectat.

* U. Marinus Valerius Dux Venetus v. Joann. Baptiſta Veri *l. 2. Rer. Venetar ad A.* 1355.

XIIX. Remedium, ſi Rex honoribus domi cumulatur, nervis regio imperio inciſis. Hinc eligatur, (1) non ſuccedat. Benè Ariſt. II. *Pol. 9. Melius eſt Reges* (ſc. tales, nam loquitur de Carthaginenſibus) *non eſſe eodem genere, eoque non quolibet.* (2) Apud Venetos poteſtatis diſpendium Principi repenſum eſt adhibitis honore, dignitate, ac ſpecie regiâ. Nam ornatus corporis regius eſt, purpurea etiam veſte ac aureâ ſemper utitur. Capite geſtat velamen linteum pro regio diademate ſupra quod & geſtat capitium purpureum limbo aureô ornatum, cujus pars, quæ occiput tegit, in cornu formam aſſurgit. Sedem in ſuggeſtu habet veluti regiam. Omnes cives, tum privati, tum magiſtratum gerentes, detectô capite ac ſtantes ſedentem Principem alloquuntur. Nulli Princeps aſſurgit. Cunctæ epiſtolæ ſub nomine ipſius prodeunt obſignanturque. Orator quivis, prætor, præfectus, aut quilibet alius, qui ad Senatum ſcribere voluerit, literas ad Principem deſtinat. Decretorum, legum ac ſenatus conſultorum promulgationes nomine Principis fiunt. Nummi omnes, tam aurei quàm argentei, cum nomine ac figurâ Principis excuduntur. Tandem, ut paucis abſolvam, ubique Regis ſpeciem intueri poſſis, poteſtatem verò nusquam. Contaren. *l. 2. de Rep. Venet. p. 135. ſeqq.* Apud eosdem (3) Vene-

Venetos non licet filiis Ducis, vivente patre, beneficium ab Ecclesiâ Romana accipere; Lex quoque est, ut à morte Ducis in ejus acta severè inquiratur, per Triumviros eum in finem creatos, an quid à defuncto contra jusjurandum, in principatus initio præstitum, Reip. esset paratum, & si quid tale inveniretur, id ad Senatum à Triumviris istis referatur, qui de eo judicarent. In Ragusiana civitate dignitas Rectoris uno mense definitur, per quod tempus in palatio habitat & Ducis habitum sumit tenui salario contentus. Nullum sine eo decernitur, & in omni consilio præsidet; eo autem in consilium non veniente, vicarius ipsius est primarius senator. Lex ea lata defuncto Augustino Barbadico, & secundum eam primum in ejus acta inquiri cœpit. Quæ omnia rectius se habent, quàm apud Lacones, quippe quorum bini Reges liberos aut agnatos habebant successores. & præterea belli Imperatores erant. Quod postremum in vitio ponit Aristot. II. *Pol.* 7. addens: *Diffidit illis legislator tanquam viris non satis bonis. Quapropter mittebant simul legatos, qui inimici forent inter se, & saluti esse civitati rebantur dissidere Reges.* Conf. post Herodot. & Xenophont. Ubbo Emmius *de Rep. Lacon. p.* 282. *sequ.*

(1) Thuanus ad A. 1559. memorat, Venetiis Lautentio Priulo Duci defuncto fratrem Hieronymum suffectum, rarò fortunæ beneficio, in ea præsertim rep. in qua summoperè caveantur, ne dignitates jure potius hereditario, quàm virtute ac meritis concedi videantur. Præfectum castelli singulis permutant diebus, præsidium verò ex solis Hungaris conscribunt.

(2) Venetos hunc morem à Mediolanensibus accepisse & formam imperii, scribit Bernardinus Corius *part.* 1. *histor. Mediolanens.* Adde Amelotto *d. part.* 1. *p.* 190. *sequ.* & confer institura Reip. Genuensis, cujus Dux ultra biennium principatum non exercet, apud Hieronymum de Marinis. Vexillifer Lucensis cum novem Assessoribus, qui Antiani vocantur, in tertium usque annum imperium tenet. Rector Ragusanorum

rum ſtatim poſt menſem palatio abſcedit, veſtemque Ducalem exuit.

(3) Exemplum memorabile hanc in rem adfert Baptiſta Nani *hiſtor. Venet. ad A.* 1622.

XIX. Non minus laudari meretur ariſtocratia ariſtocraticè temperata, hoc eſt, cœtu Optimatum rebus ſummis & arcanis imperii tractandis deſtinato. Nam in turbâ eſt perturbatior magnorum conſiliorum exitus.

* Ita Veneti habent collegium Seniorum ſeu Præconſulatorum, & Senatum, v. Amelott. *p.* 1. *p.* 54. *& ſequ.* Non diſſimilia habent inſtituta Genuates, Raguſii, Luccenſes, Noribergenſes. conf. Conring. *hiſt. rerump. de Ultraj.* §. 17. Bœcler. *Notit. reip p.* 96. *poſt Bodin.*

XX. Malum eſt, ſi cœtus ille eſſe cupit ἀνυπεύθυνος. Bene Ariſtot. V. *Pol.* 6. *Diſſolvuntur autem, & cum in dominatum ipſum alium paucorum dominatum inſeruerint, hoc autem eſt, cum totâ reip. ſummâ penes paucos exiſtente, non omnes pauci maximorum magiſtratuum fiunt participes.*

XXI. Accedunt interdum * diſſenſiones & controverſiæ de poteſtate inter cœtum hunc & illum, in quo eſt ſumma rerum.

* Amelott. *d. p.* 1. *p.* 28. obſervat tales in rep. Veneta ſubinde, licet rarius, exoriri inter magnum Conſilium & Senatum. Controverſias hujusmodi proponit Bœclerus *Diſſertat. de eo quod civitas egit.*

XXII. Remedium eſt (1) perſonas ejusmodi cœtus quotannis mutari. Ut apud Venetos. * Aut ſi id minus placeat, (cum alii malint Senatum perpetuum, velut cardinem fixum, in quo civitas, magiſtratibus perpetuâ varietate mutatis, acquieſcat,) modum imponere juris, & certiſſimis legibus definire, idque formulis ſcripturæ, quas ſollicitudo & cautio futuri gignit, perſcribere.

* V. omnino Amelott. *d. part.* 1. *p.* 65. *ſequ.* ubi incommoda & ſimul remedia prudenter expendit.

XXIII.

XXIII. (2) Statuere, ne plures ejusdem familiæ huic Senatui interſint. V. Ariſtoteles V. *Pol. 6. ab init.* Ut Noribergæ, ubi nonniſi duobus ejusdem gentis Senatum ſimul inire permittitur. * Veneti ne quidem duos ejusdem gentis, aut etiam conſanguineos maximè neceſſarios in eodem magiſtratu eſſe patiuntur. V. omnino Contaren. *l. 1. p. 125.* Ædui duos ex unâ familiâ vivo utroque non ſolum magiſtratus creari vetabant, ſed etiam in Senatu eſſe prohibebant, teſte Jul. Cæſar. *B. Gallic. l. 7.*

* V. Langlæum 7 *Semeſtr.* 3

XXIV. Ariſtocratia quoque populariter temperata uſum inſignem habet ad mala, quæ ſupra tetigimus, tollenda. *Nam tutiores, quæ hujuscemodi ſunt, aliis exiſtunt. Quod enim plus eſt, firmius eſt: magisque contenti illic vivunt æquale habentes. Qui autem bonorum copiam habent, ſi respubl. majores ipſis tribuerit gradus, cæteros contumeliis vexare & plus quàm par ſit bonarum rerum adipiſci ſtudent.* Ariſtot. V. *Pol. 7.* Commodum ſanè præcipuum eſt, nt populus exiſtimet ariſtocratiam non eſſe, ſed popularem reip. vident. *Opus autem eſt rempublicam, quæ conſervari debet, cunctas partes civitatis velle ſtare, & permanere eandem.* Ariſtot. II. *Pol. 7.*

XXV. Malum hujus reipubl. eſt, cùm populus nimium ſibi arrogat, & ſummum reip. ad ſe transferre conatur. Exemplo ſit Ephoria Laconum. *Ejus enim poteſtas valde erat magna & æqualis tyrannidi, ut ipſi Reges ei aſſentiri cogerentur, & hâc in parte multum detrimenti acciperet reſp. Status enim multitudinis è ſtatu optimorum evadebat.* Ariſtot. II. *Pol. 7.**

* Conf. plur. Ubbon. Emmium *de Rep. Lacon. pag.* 288. *ſequ.*

XXVI. Remedia ſunt (1) tantum in arduis rebus, aut quæ invidiam habent comitem, populum

in consilium adhibere. * Sic Noribergæ sunt ducenti ex Patrum, Mercatorum & Plebis ordinibus Senatorii viri, qui semel in anno, & ubi res arduæ postulaverint, coëunt, & in commune consultant. Celtes *de Rep. Norinb. c.* 13. V. omnino Mev. l. 1. ad Jus Lub. tit. 1. n. 57. *Præderit autem hæic, vel deligere aliquos è multudine, vel cœtum instituere, quemadmodum in quibusdam rebusp. quos vocant præconsultores & custodes legum: & de iis rebus statuere, de quibus hi prius consultarint. Ita enim particeps erit populus deliberandi, & nihil poterit dissolvere eorum, quæ pertinent ad rempubl. quia eâ ratione fiet, ut aut eadem aut certè nihil his adversum decernat populus. Expediet & illud, omnibus quidem deliberandi sed non statuendi potestatem concedere.* Aristot. IV. *Pol.* 14. Idem *d. l. c.* 15. VI. *Pol.* 8. & alibi dixit προβυλίαν oligarchiis accommodatam esse. Huc pertinet etiam arcanum dominationis, cujus meminit IV. *Pol.* 9. & 14. Nobilibus aut divitibus multam irrogare, nisi consultationibus aut judiciis interfint, non etiam reliquis.

* Apud Genuates ex instituto Duriæ singulis annis à Nobilibus familiis decem, sive ex præcipuis civibus, sive ex locupletibus, cooptandi, Consilii supremi, quod ex quadringentis componitur, participes.

XXVII. (2) In aristocratia successiva aut electitiâ, censum respiciente quosdam ex populo curationibus sive muneribus admovere, quæ vim imperii non conferunt. Exemplum capere licet ex rep. Venetâ, ubi plebeji admittuntur ad quarundam artium præfecturas, scribarum & Secretariorum munera, quibus nobilitati magis magisque obligantur, & quasi mancipantur.

XXIIX. Aristocratiæ vix possunt commodè subsistere, nisi ubi reip. vires præcipue in Urbem unam colli-

colliguntur. Hinc urbs illa, unde in omnia regimen, probè communienda, & in ea locus, ubi Senatores conveniunt, *cum cura cuſtodiendis.

* Luccæ ex novem Antianis (qui dicti abante, unde Francorum aneieu, id eſt, Senioribus) annua ſortitione ductis, terni menſtruatim in Curia noctu dieque reſident.

SECTIO OCTAVA.

DE POLITIA IN GENERE.

I. POlitica optima ex voto & ex hypotheſi.

II. Mala ejus ſunt plurima, propter quæ migrat vel in oligarchiam, vel in ochlocrariam, vel in tyrannidem, quod olim frequentius factum.

III. A SUBJECTO MALUM EST. (1) Plebs.

IV. Maximè (2) urbana.

V. (3) Prava educatio.

VI. (4) Egeſtas aut paupertas.

VII. (5) Dæmagogi.

IIX. (6) Æmulario inter plebem & Nobiles.

IX. A FORMA MALUM EST (1) multiplicatio publicorum judiciorum.

X. (2) Frequentia, immoderata libertas, & diuturnitas concionum.

XI. A CAUSA EFFECTRICE & quidem magiſtratibus (1) ambitus.

XII. (2) Quæſtus ex publicis miniſteriis.

XIII. REMEDIA.

XIV. (1) Summa rerum ſit penes univerſam multitudinem, adminiſtratio penes aliquos, eosque meliores.

XV. (2) Multitudo omnis in tribus aut claſſes diſtribuenda.

XVI. (3) Educatione modus libertatis inſtillandus.

XVII. (4) Ubertas annonæ procuranda.

XIIX. (5) Mediæ fortunæ homines prævaleant.

XIX. (6) Judicia publica fiant rariſſima.

XX. (7) Damnatorum bona in fiſcum non rediganter.

XXI. (8) Conciones ſint infrequentes & breves.

XXII. (9) Non ſola ſorte, ſed ſimul ſuffragiis, nec proximè ab univerſa multitudine deligantur adminiſtri reip.

XXIII. Una perſona plurîbus miniſteriis non præficiatur.

XXIV. Nec quæſtum facere ex publicis miniſteriis concedatur.

XXV. (10) Non permittatur

publicè verba fieri, niſi de morum corruptione animarumque ſalute.

XXVI. (11) Miles lectus hcie eximiè conducit.

§. I.

POlitia non ſolùm optima ex voto eſt, ſed & talis habetur ex hypotheſi, in populo ſc. forti & libertatis amante, ſed cum modô. *Nam politia apta eſt multitudo, quæ natura fertur ad virtutem militarem, & regere poteſt ac regi ex lege, pro dignitate divitibus imperia diſtribuente.* Ariſtot. III. *Pol.* 12. Fortia ſanè pectora libertatis amor maximè acuit: *è contrario, qui ob levitatem animi, aut ob facinoroſam vitam, ſeipſos regere nequeunt, acriori urgentis domini ſtimulo indigentes, libertatis non ſunt capaces.

* Hanc ob cauſam Florentini, acerrimo licet libertatis amore flagrantes, & inquietam vitam egerunt, & tandem in dominatus caſſes inciderunt.

II. Quanquam autem ex ſententiâ Ariſtotelis populares reſp. minus lubricæ ſint, quàm paucorum dominatus, & diuturniores propter medios. Plures enim ſunt, & magis participes ſunt honorum in populi ſtatibus, quàm in paucorum dominatibus. IV. *Pol.* 11. Malis tamen vexantur variis, propter quæ mutantur vel (1) in oligarchiam, vel (2) in ochlocratiam, vel (3) in tyrannidem; quod olim frequentius, ſuo tempore rarius factum obſervavit Ariſtot. V. *Pol.* 5. Cauſam addit: quoniam aſſentatores populi olim eſſent ex iis, qui exercitum ducebant: verùm poſtea, auctâ dicendi arte, eloquentes viri aſſentarentur multitudini, qui bellicæ rei erant imperiti. conf. V. *Pol.* 10. *non procul ab initio. & c.* 12. *in med.*

(1) Popularem poteſtatem ſæpius, nullo pæne ſentiente, convertiad Optimates, obſervavit Bodinus 4. *de Rep.* 1. adſerens exempla Venetorum, Luccenſium, Rhaguſianorum, quorum

sum imperia cum popularia olim fuissent, diuturnitate temporis atistocratica, nullo pæne id sentiente, evaserunt.

(2) Romana Respublica Tribunitiis furoribus agitata, primum in licentiam multitudinis intolerabilem effusa, dein seditionibus bellisque civilibus quassata, in paucorum dominationem ac mox sub tyrannidem unius recidit.

(3) Aristoteles V. Pol. 10. *Tyrannorum fere magna pars extitit ex assentatoribus populi, qui criminando nobiles fidem consecuti sunt, ut Panætius apud Leontinos, & Cypselus Corinthi & Pisistratus Athenis, & Dionysius Syracusis.* Eodem libro c. 5. ait: *Ferme enim plurimi antiquorum tyrannorum ex assentatoribus populi fiebant.* Conf. *cap.* 12. Platonem *l. IX. de LL.* ubi elegantissimè tradit, quomodo ex populari licentiâ Tyrannis oriatur. Molpagoras quidam, apud Cianos dæmagogus, brevi regiam sibi potestatem compavit. V. Polybius *in Excerpt. Peiresianis p.* 64. Hieronymus Savanarola, eloquentiâ fretus & sanctitatis opinione, dominatum in Florentinos sibi asseruit, de quo videatur Anton. Matia Gratianus libro *de casibus Virorum illustrium.*

III. A subjecto malum sunt (1) homines de plebe, *hoc est, quicunque neque divites sunt, neque dignitatem ullam virtutis habent. Participes namque ipsos esse maximorum magistratuum haut tutum est: ob injustitiam enim & stultitiam in aliquibus injustè se gererent; in aliis autem ipsi laberentur. Partem autem nullam dare, neque participes ipsos fieri formidolosum est. Quando enim expertes honoris multi & pauperes extiterint, hostium necesse est hanc civitatem plenam esse.* Aristot. III. *Pol.* 7. Ad hunc locum pertinent characteres plebis. Senarius antiquus:

Ἰσχυρὸν ὄχλος ἐστίν, οὐκ ἔχει δὲ νοῦν.

Res nempi valida turba est, sed mentis carens.

In Dialogo Axiochi, qui Platoni adscribi solet, vulgus describitur ἀχάριστον, ἀψίκορον, ὠμὸν, βάσκανον, ἀπαίδευτον. Nepos *in Timotheo c.* 3. *de* Atheniensibus, *populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ.* Idem in *Chabriâ cap.* 3. est *hoc commune vitium in magnis liberisque civitatibus,*

ut invidia gloriæ comes ſit, & libenter de his detrahant, quos eminere vident altius: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intuentur fortunam. conf. eund. de mutatâ mirabiliter vulgi voluntate *in Dione c.* 10. Hinc mobile vulgus Statio *lib.* 2. *poem.* 2. *Totam opinionem* (vulgi) *parvi nonnunquam commutat aura rumoris.* Cicero pro Muræna. *Hinc imperium populare ſemper ventoſum eſſe,* idem dixit 2. *Philipp.* Ejusdem eſt illud pro domo ſua: *Hoc in imperitâ multitudine eſt vitioſiſſimum, varietas, & inconſtantia, & crebra tanquam tempeſtatum ſic ſententiarum commutatio.* Livius l. 24. c. 25. *Hæc natura multitudinis eſt, aut ſervit humiliter, aut ſuperbè dominatur: libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modicè nec habere ſciunt.* Apud eundem Scipio l. 28. c. 27. *Multitudo omnis ſicut natura maris, per ſe immobilis eſt; venti & aura cient: ita aut tranquillum, aut procellæ in vobis ſunt.* Euripides Hippolyto:

Qui ſapientibus
Sordent, loquentes aura populares probat.

Quintilian. Declam. II. *Nihil facilius eſt, quàm in quemlibet affectum mutare populum.* Grot. in excerpt. p. 220. Cicero pro Planco: *Non eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia, non judicat ſemper populus; ſed movetur plerunque gratiâ odit precibus. Denique ſi judicet, non delectu aliquo aut ſapientia ducitur ad judicandum, ſed impetu, & quadam etiam temeritate, ex opinione plurima, ex veritate pauca judicat.* Toxicus incertus apud eundem p. 464. Xenophon de Athenienſ. rep. ab initio. *In plebe plurimum eſt inſcitiæ, confuſionis, improbitatis. Etenim paupertas magis eos adducit ad turpia, & plerique mortalium propter penuriam neque liberaliter educari, neque rectè inſtitui poſſunt.*

Machia-

Machiavellus l. 3. hiſtor. Florentin. pag. 148. *Plebs, ut fere ſemper fit, eos ſequebatur qui animo malè afflictierant.* Bion ajebat: μὴ δύνατον εἶναι, τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, εἰ μὴ πλακοῦντα γενόμενον, ἢ θάσιον: *Non poſſe aliquem vulgo placere, niſi placenta fiat, aut vinum Thaſium.* Adde Lipſ. *l.* 4. Pol. *c.* 5. populum Athenienſem navibus domino carentibus comparat Polybius *l.* 6. *hiſt. c.* 42.

IV. Maximè (2) ſi plebs eſt urbana. *Nam vita iners, * nullumque opus eorum, quæ tractat & opificum & tabernariorum & mercenariorum multitudo, cum virtute eſt conjunctum.* Hinc *hoc genus hominum fere omne, quia in foro & in urbe volutatur, facile ad conciones venit.* Ariſtot. VI. *Pol.* 4.

* *Genus hoc univerſum amantiſſimum eſt otii*, ait Cicero IV. *Catilin* loquutus de illis, qui in tabernis ſunt.

V. Accedit (3) prava educatio, quando ſc. malè docentur libertatem definire. *Duo namque ſunt, quibus videtur populi ſtatus definiri. Unum eorum eſt, ut plures in ſuâ manu remp. habeant: alterum eſt libertas. Juſtum enim æquum eſſe videtur: æquum autem, quodcunque viſum fuerit multitudini, hoc rarum eſſe. Liberum autem & æquum, quodcunque voluerit aliquis facere. Quapropter vivit in hujuscemodi populi ſtatibus unusquisque ut vult, & ad quod libido fert*, ut ait *Euripides*. Ariſt. V. *Pol.* 9.

XI. (4) Sunt plerique ex plebe pauperes, aut egeni. *Egeſtas autem cauſa eſt, ut populus ſit pravus.* Ariſtot. VI. *Pol.* 5. Et *valdè pauperes propter egeſtatem mercede venales ſunt*, II. Pol. 7. * Florus *l.* 3. *cap.* 12. *unde populus Romanus à tribunis agros & cibaria poſtularet, niſi per famem, quam luxu fecerat? Hinc ergo Gracchana prima & ſecunda & illa Appulejana ſeditio.* Egeſtatis cauſa ſolet eſſe immodicum

fœnus. Hinc Lucan. *Bell. civil. l. 1.* paulo ante bellum civile:

Hinc uſura vorax, avidumque in tempore fœnus,
Et concuſſa fides, & multis utile bellum.

Tacitus *VI. Ann. 16. Vetus urbi fœnebre malum, & ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſa.* Uſuræ incremento ſuo paulatim nec opinantem debitorem obruunt, juxta tritum Græcorum proverbium apud Suidam: ἧττον ὁ τόκος ἡσυχλείτω φεινέω βρέχει. conf. Ariſtot. *V. Pol. 12.* ubi ex Platone notat, fœnore preſſos pauperes fieri, & mutationem amare.

* Conf ſupra *ſect.* 1. §. 9.

VII. Nec deſunt (5) flabella plebis, venti tribunitii, turbulenti tribuni, ut Tacitus loquitur, (1) aſſentatores populi ſive dæmadogi. Ariſtot. *V. Pol. 9.* Clamor dominantis inter ſtultos. Eccl. Salom. *IX, 17.* Ex hiſce dæmagogis non raro fiunt tyranni. Ut ſupra diximus. Hujus mali comparatione regnum præfert Præco, apud Euripidem *in Supplicibus.*

Πόλις γὰρ, ἧς ἐγὼ πάρειμι' ἄπο,
Ἑνὸς τοῦς ἀνδρὸς, οὐκ ὄχλῳ κεχλύνεται.
Οὐδ' ἔστιν αὐλὴν ὅστις ἐκχαυνῶν λόγοις,
Πρὸς κέρδος ἴδιον, ἄλλοσε τρέφει.
Οὐδ' αὐλίχ' ἡδὺς ἢ δίδως πολὴν χάριν,
Εἰσαῦτις ἔβλαψ', εἶτα μεταβολαῖς νέαις,
Κλέψας τὰ πρόσθε σφάλματ', ἐξέδυ δίκης.

Civitas enim, à quâ ego venio,
Regitur ab uno viro, non à populi turbâ;
(2) *Neque eſt, qui eam verbis inanibus agitans,*
Ad ſuam utilitatem, alius aliò vertat.
Qui enim jam eſt gratus, & dat magnam gratiam,
Rurſus ladit: deinde novis calumniis
Tegens priora errata, effugit pœnam:

Apud

Apud eundem Euripidem *Oreste*, in concilio de Oreste sententiam ferentium describitur:

Ανήρ τις ἀθυρόγλωσσος ἰσχύων θράσει,
Ἀργεῖος, οὐκ Ἀργεῖος, ἡναπκασμένος,
Θορύβῳ τε πίσυνος, κἀμαθεῖ παῤῥησίᾳ,
Πιθανὸς ἔτ' ἀυλὰς ἐμβαλεῖν κακῷ τινι,
Ὅταν γὰρ ἡδὺς τοῖς λόγοις, φρονῶν κακῶς,
Πείθῃ τὸ πλῆθος, τῇ πόλει κακὸν μέγα.
Vir quidam loquax, potens confidentiâ,
Argivus non Argivus, coactus
In tumultu & stulta audaciâ:
Valens persuadendo conjicere eos in aliquod malum,
Nam quando facunda oratione, male sentiens
Persuadet vulgo, est magnum malum civitati.

Antiphanes *Sappho* apud H. Grot. *in excerptis.*

(1) Dæmagogos graphicè describunt Lysias, Demosthenes, Isocrates passim. Eorum mores artesque summatim sunt, libertatem laxius interpretari & licentiâ meriri: temperamenta, vel ad honestatem civium, vel ad magistratuum illustriumque virorum spectantia, convellere; blandimentis legum, quasi ad tuendam aut augendam libertatem, populum inescare, & ad perpetua cum eminentibus viris certamina assuefacere: omnium magistratuum consilia & facta suspicionibus & sinistris opinionibus onerare: affectus plebis spem metumque inflate superstitionibus, cohortationibus, figmentis: democraticis præsidiis non democraticè sed oligarchicè uti: criminando Optimates & opulentos favorem & gratiam vulgi captare: pericula libertati imminentia fingere: servitutem & regnum vaticinari: eloquentia truci & feroci ubique uti: conciones crebras habere. Quæ & alia locis ex Livio prolatis illustrat Bœclerus *Dissert. Polit.* 18. De Athenienſibus idem Livius l. 31. c. 44. *Ne unquam ibi desunt linguæ promptæ ad plebem concitandam. Quod genus, quum in omnibus liberis civitatibus, tum præcipuè Athenis, ubi oratio plurimum pollet, favore multitudinis alitur.* In eorum locum hodie successerunt Clerici, genus hominum ad res turbandas, ubi suis indulgent affectibus, maximè idoneum. Cujus rei multa in statibus popularibus extant exempla. H.

Grotius l. 4. Belgic. hiſtor ad A. 1595. de Civitate Eindana agens, *acre* vocat *concitorum genus, qui rerum civilium ignari, ſpecie religionis turbidi, ſæpe bonam quoque cauſam malè agendo pervertant.* Idem l. 5. Annal. ad A. 1586. dixit: *Interpretes ſacrarum literarum ſolos multitudinis aures & affectus hoc ſeculo poſſidere.* l. 3. Ann. ad A. 1578. ſcribit: *Signiferos ad ſeditionem fuiſſe, quos potentia doctores eſſe oportuerit.* &c. p. 57. Lampretus ad Philippum Sydnæum ep. 60. A. 1577. *Germania pacata eſſet, niſi eam ſuâ ambitione & arrogantiâ turbarent Theologi* Nicol. Burgundus lib. 3. Hiſtor. Belgic. ad A. 1565. *traditum tunc morem fuiſſe* ſcribit, *quemadmodum in omni populari regimine, ut actionibus magiſtratuum & reipublicæ ſacrificuli ſub pietatis ſpecie ſeditioſa aut venali linguâ paſſim illuderent. Solos enim loqui ad populum, quem honeſto nomine atrociter exagitent in ſuam libidinem, pravè æſtimantes, quicquid illis non allubeſcit* add. Piccart. *Dec.* 8. *obſ. pol.* 3. Quintilianus dictum 268. *Civitatum ſtatus ſcimus ab oratoribus converſos eſſe: ſive illam Athenienſium civitatem quandam latè Principem intueri placeat, occiſas ejus vires animadvertemus vitio concionantium: ſive P. R. ſtatum excutere voluerimus.*

(2) Ita Demoſthenes à Rege Perſarum, Æſchines à Philippo fuit corruptus.

IIX. Has ob cauſas (6) * plebs cum divitibus aut nobilibus ſæpe committi ſolet. Unde factiones, familiare malum popularis ſtatus. Ariſtot. III. Pol. 5. in fine. *Semper enim quærunt æquum & juſtum infirmiores, qui autem ſunt ſuperiores, id habent inſuper.* VI. Pol. 3. in fin. *Hinc diſſolvuntur politiæ ob eam, quæ in ipſâ rep. fit, juris depravationem,* cùm ſc. ditiores & nobiles poſſeſſionum copiâ & vetuſtate generis, plebs numero & libertate nituntur, utrique plus æquo cupientes. *V. Pol. 7.* Et populi ſtatus in dominatum paucorum tranſit, *ſi divites plebe ſunt validiores, & hi quidem negligant, hi verò attendant.* V. Pol. 12. maximè, quando illi confuſionem & licentiam populi deſpiciunt. Ariſtot. *V. Pol. 3.* Arbitro popularis veſanus morbus tyran-

nide

nide non minor. Plutarchus Dione v. Pufendorf. *l. 7. c. 5. §. 10.*

* Euripides Jone, loquutus de plebe:

Λυπεῖ γὰρ τὰ κρείσσονα,
Odiosa enim sunt potentiora,

sive ut Grotius vertit:

Eminentes ferre quæ gravitet solet.

Æschylus Supplicibus:

Κατ' ἀρχῆς γὰρ φιλαίτιος λεώς.
Potentes criminari plebs amat.

Statius in Thebaid.

Gaudetque humili lasisse veneno
Summa, nec impositos unquam cervice volenti,
Ferre Duces novit.

Pindarus Pythiâ od. XI.

Maledici enim sunt cives,
Sustinetque opulentia non minorem
Invidiam.

Phocio ad supplicium ductus amico, *ô quàm indigna perpeteris Phocio*, dicenti, *at non inopinata*, inquit, *hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses.* Nepos *in Phocion. c. ult.* conf. eundem *in Alcibiad. c. 4. §. 4.* Intemperiem illam observavit Machiav. *l. 2. histor. Florent. p. 76.* in rep. Florentina. *Alta*, inquit, *tam domi quàm foris pax: superavit nihilominus illa intemperies, qua in omnibus fere civitatibus* (liberis sc.) *naturali quodam ductu potentiores atque plebem agitare solet. Nam cùm populus ex legibus vivere, potentiores verò legibus imperare cupiant, fieri equidem non potest, ut bene inter has partes unquam conveniat.* Tacitus observavit in Rep. Rom. ob certamina potentium & avaritiam magistratuum invalidum fuisse legum auxilium, quæ vi, ambitu, postremo pecuniâ turbabantur.

IX. A forma malum est (1) Si publica judicia multiplicantur. * *Neque enim plebejos, sed nobiles solent in judicium vocare*, ait Aristot. VI. Pol. 5.

* Hoc malo laboravit Resp. Romana. In illa Cato quadragies & amplius accusatus, semper tamen absolutus fuit. Lucullum nihil antiquius habuisse, quàm ut Servilium patris sui accusatorem publico crimine accusaret, testatur Plutarch. *Lucull.* Cicero ipse *in Celianâ* (qui *in oratione pro Roscio* morem illum tantopere laudat) fatetur juvenes sic nimis excitati,

citari, qui potius refrænandi à gloria erant. Idem *in Bruto*, Brutum dedecus familiæ Juniæ ob crebras accusationes vocat. Rhodii nobiles ob judicia quæ intendebantur, seditione facta populo regimen abrogaverunt. teste Aristotele *V. Pol.* 5. cujus etiam *c.* 3. meminit.

X. (2) Si totus populus coit, & (1) de omnibus rebus constituit. Aristot. *IV. Pol. 16.* (ut Athenis, Romæ, & ferme (2) in plerisque Græciæ, & Asiæ non paucis urbibus.) (3) Maximè si comitia sunt sumtuosa & diuturna, neque publica vectigalia suppetunt. *Necesse enim est ea ex collatione, & ex publicatione, & ex improbis judiciis colligi, quæ res multos jam populares status evertit.* Aristot. *VI. Pol. 5.*

(1) *Plebis collegiorum majorem circa publica auctoritatem esse, quàm expediat ipsis,* scribit de Groninga Civitate H. Grotius *l. 3. histor. Belgic. ad A.* 1594. de Noviomago Grot. *l. 2. histor. p.* 158. Megarenses ab intemperata licentia ac libertate, cùm scilicet omnia licerent omnibus, in extremam fuisse servitutem delapsos, observavit Plato. Idem l. IIX. de Rep. dixit: *vulgus imperitum eam demum veram libertatem censere, in quâ potestas faciendi sit, quod quisque velit, idemque ἀνεμποδίστως ἐλευθερίαν, quemadmodum ἀσωτίαν μεγαλοπρέπειαν nuncupare.* Phædrus *l.* 1. *fab.* 3.

Athenæ cum floretent æquis legibus
Procax libertas civitatem miscuit,
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus
Arcem Tyrannus occupat Pisistratus.

Plutarchus in *vitâ Dionis* agens de diffuso ac dissoluto populi dominatu Syracusanæ reipublicæ memorat, Platonem alibi dixisse: *tam laxam populi libertatem nihil aliud esse, quàm universalem quendam rerum civilium mercatum.*

(2) *Græcia hoc uno malo concidit, libertate immoderatâ ac licentiâ concionum, cùm in theatro imperiti homines rerum omnium rudes ignarique consederant.* Cicero *pro Flacco.*

(3) In hac rep. quæ in ipsis consultationibus mala sint, prudenter exponit Hobbes. *c.* 10. *de cive* §. 10. *sequ.* Vitia popularis status tantum non necessaria βραδύτης, ἔχθος, ἄγνοια, φιλονεικία, *tarditas, timor, insciti, contentio,* ex sententia

De-

Demoſthenis *de coron.* De Athenienſibus Ariſtophanes Acharn.

Εἰς τὴν ἀγορὰν πᾶς ἀνὴρ ἀφίζεται.
De ſede prima quilibet turbas movet.

XI. A cauſa efficiente, & quidem magiſtratibus, malum eſt ambitus * ſive aviditas hominum honoribus inhiantium. *Nam vulgus propter inaqualitatem bonorum, elegantiores verò de honoribus, ſi ſunt pares, certant.* Ariſtot. *II. Pol. 5.*

* Ut Romæ. Cicero apud Salluſtium *in Jugurtha*, *Venalem eſſe Romam*, ait, *& ſi emtorem invenerit, mox libertate ſua caſuram.* Idem Cicero in multis locis contra ambitum debacchatur. conf. Plutarch. *in Coriolano.* *Atticus neque peti honores neque capi poſſe exiſtimabat in tam effuſis ambitûs largitionibus.* Nepos *in vit. Attic. c. 6.* Lucan. *l. 1. Bell. civil.*

Rapti pretio faſces, ſectorque favoris
Ipſe ſui populus, letalisque ambitus urbi;
Annua venali referens certamina Campo.

De Friſiis Reidanus l. 17. Annal. ad A. 1600. *Publicas dignitates fœdè emendicatis aut permutatis ſuffragiis diſtribui. Sæpe ubi paribus ſuffragiis ad neviſſimum aliquem vel humilis loci vel auctoritatis ventum, qui ſuo unius ſuffragio ingentis rem momenti huc illuc inclinare poſſet, mille artes excogitari occupando ejus animo: aut congeri honores, quos ob humilitatem ſuam ne quidem ſperare unquam ausus fuiſſet: quia &, ſi nulla dignitas vacaret, digniores motos.* Similiter Ubbo Emmius de Republ. Friſiorum inter Fiev. & Lavicam p. 36. *Ambitus, familiare malum liberis populis, ac inprimis pertinax, quod facilius improbes & corripias, quàm cerrigas ac profliges. Exemplo eſt populus Romanus, virtute, ſapientia, rebus geſtis, civitate bene conſtituta inclytus: in quo tot legibus caſtigatum hoc crimen & pœnis correptum tamen reprimi atque in ordinem redigi non potuit, ſed ut peſtilens lues contemtis remediis magis magisque invaluit, legesque perrupit. Cui ubi locus eſt, ibi peſſum ire bonum publicum neceſſe eſt. Nam honores & munera inidoneis ſæpe & indignis, quàm idoneis digniſque tribuuntur: ita non ſolum virtuti debita præmia in virtute vacuos, imò in vitiorum ſervos ſæpe conferuntur, ſed etiam Reſp. commiſſa hominibus hujusmodi, ingens nonnunquam naufragium facit. At iſta*

peſtu

peſtis non ſolum inolevit hic (in Friſiâ) *ſed regnum etiam tenet, atque adeo tam ſubtiliter, tam multiplici viâ ac modo graſſatur, ut Romanas artes hujus generis ſuperare fatearis: quinimo moribus jam ita recepta eſt, ut crimine vacare vulgò credatur.*

XII. Augetur malum hoc, quando imperantes ex rep. quæſtum facere poſſunt, * ut Athenis auctore Pericle. Ariſtot. II. Pol. 10. *Ita enim participes omnes fient reip. cùm ſuperant numero, & pauperes quoque acceptâ mercede otioſi eſſe poſſunt. Nam talis multitudo maximè otiatur. Non enim ipſos diſtringit ullâ ex parte curarerùm domeſticarum. Locupletes autem diſtringit, adeo ut ſæpe neque comitiis intereſſe, neque judicare poſſint.* Ariſtot. IV. Pol. 6. & c. 15. *Otioſi,* inquit, *& coëunt ſæpe, & omnia ipſi dijudicant ſimul:* & VI. Pol. 5. *Sumunt autem & rurſus egent. Tale enim præſidium eſt pertuſum dolium.*

* Conf. Lucian. *in Bis accuſato*, & Scholiaſt. Ariſtophan. *in Ranis.*

XIII. Atque ex hiſce ſequitur, *non facile poſſe manere talem ſtatum, niſi moribus & legibus rectè fuerit informatus.* Ariſtot. VI. Pol. 4. Videamus igitur, quæ remedia adverſus mala, quæ diximus, comparari poſſint.

XIV. Heic expedit (1) ſi apud populum quidem univerſum ſit ſumma rerum, * adminiſtratio verò ad aliquos eosque meliores pertineat. Optimè Ariſtot. VI. Pol. 5. *Non eſt exiſtimandum,* ** *id populare eſſe, quod efficit, ut civitas, quam maximè fieri poteſt, ſit in poteſtate populi.* conf. III. Pol. 7. Quamobtem, ut idem ait VI. Pol. 4. *Si multitudini & creandorum magiſtratuum & rationum repoſcendarum jus & poteſtas concedatur, ſuppletur id, quod deeſt, ſi quâ ambitione honoris teneatur. Nam in quibusdam politiis, etiamſi jus creandi magiſtratus cum multitudine non communicetur, ſed quidam ſint magiſtratus, qui ex omni-*

omnibus deligantur (ut fit Mantineæ) & conſultandi poteſtas iis permittatur: ſatis eſt, eoque contenta eſt multitudo. Nam & hæc quædam Democratiæ ſpecies exiſtimanda eſt, ut erat olim Mantineæ. Quare ſtatui populi conducit & fieri conſuevit, ut creentur quidem magiſtratus, & ratio repoſcatur, & judicia exerceantur ab omnibus: gerant verò maximos lecti ſive delecti à majore cenſu, majores à majore: aut nullus quidem à cenſu, ſed ii qui poſſunt. Ita verò neceſſum eſt, eos qui ſic rempubl. adminiſtrant, regere eam rectè. Nam & magiſtratus ſemper ab optimis gerentur, populo applaudente & bonis haut invidente.

* Præſtabunt hoc leges accuratè reperræ & ſanctiſſimè perſcriptæ, quibus populus cum ſumma poteſtate poteſtatis modum accipit, id eſt, cùm majeſtas quidem & ſumma poteſtas eſt penes populum, ſed populus ipſe legibus ſanctè receptis talem adminiſtrandi rationem, quæ licentiæ populari viam præcludit, & τὸ μίτριον & πολιτεύμαλον, ſive civilem temperatamque æqualiter reip. gerendæ conſuetudinem conſervat. Atque ita, qui dominus rerum eſt, populus ipſe ſibi dominum conſtituit legem. Ut diſſerit Bœclerus *de notitia Reipublicæ.* v. eleg. locum Æſchyli apud Grotium *in excerptis p.* 38.

** Plutarch. *in ſympoſ. problem. l.* 8. *c.* 2. πασῶν ἀδικιῶν μηχάνην εἶναι ὀχλικὴν πόλιν ἰσότητα. *Æqualitate illâ nihil iniquius eſſe.* Adde quæ ibidem in Lycurgi laudem dicit. Gutackeri *adverſar. p.* 642.

XV. (2) Conducit multitudinem omnem diſtribuere* in tribus, in claſſes, in decurias, in collegia ejusdem artis, iisque capita imponere, & ſupremos moderatores. Sic enim futurum eſt, ut ſi ex inſtituto reip. plebs conſulenda ſit, unius capitis ratione ſententia magnæ partis obtineri poſſit; quo confuſio, ubi omnes conſuluntur viritim, præveniri poteſt, & averti confuſus conſulendi modus. Boxhorn. *l.* 2. *Pol. Inſt. c.* 9. *in not.* Huc reſpexiſſe videtur Ariſtot.

V. Pol.

V. Pol. 5. in fine, quando voluit tribus creare magistratus, & non universum populum.

* Exempla vide *part. 1. sect. 5. §. 16. in med.*

XVI. (3) Educatio rectè se habet, quando populus docetur, *servitutem non esse vivere ad rempublicam, verùm salutem.* V. Pol. 9. *Utile namque est pendere aliunde, & non licere quidvis facere. Nam potestas, quod quisque velit faciendi, non satis est continendo malo, quod in singulis hominibus existit.* VI. Pol. 4.

XVII. (4) *Danda opera, ut diuturna sit ubertas.* * *Quare quæ ex vectigalibus redeunt, colligere & universa egentibus dividere oportet, maximè quidem, ut tantum quis consequatur, quantum ad agellum emendum satis est: Sin minus, quod sit satis ad mercaturæ aut agriculturæ occasionem. Atque si non possit omnibus, saltem ut tributim aut per vices fiat divisio.* Aristot. *VI. Pol. 5.*

* Huc facit etiam, si fruges coëmtæ in horreis publicis recondantur: ita enim lucrum avaris & Dardanariis præreptum in usus reip. cedet, & egentioribus poterit succurri. Hoc consilium est Campanellæ *part. 3. Philosoph. real.* Strabo *l. 14. Geograph.* de Rhodiis (qui rep. populari utebantur,) *è publico*, inquit, *populus frumentum capit, & locupletes egenos suscipiunt more quodam patrio: & sunt munera seu ministeria quædam publica prabendis publicè opsoniis, ut hac ratione tum pauperes alimenta habeant, tum civitas in tempore rebus necessariis non destituatur, maximè in expeditiones navales.* conf. Ubbon. Emmium *de republ. Rhodior.* Romani etiam frumentaria largitione, sed malè utebantur. V. Flor. *l 3. c. 13. §. 5. ubi Freinshem.* Contra fœnoris voracitatem facit remedium, cujus meminimus *sect. 6. §. 21. in not.* Pertinet etiam huc verè laudabile verèque pium Græcorum institutum, pauperes amicos sublevandi. Fuit enim apud illos moribus receptum, ut cùm adversam fortunam passus esset aliquis, amicorum atque sodalium facultatibus sublevaretur, accepta ab iis aliqua pecuniæ summa, eâ tamen lege, ut si Deus aliquando meliora daret, quantum illi erogatum esset, tantundem ipse restitueret. Hanc stipem

pem collectitiam vocabant ἔρανον, & factum ipſum ἐρανίζειν. Hujus moris paſſim apud veteres Grajos ſit mentio. v. Caſaubon. *in characteribus Theophraſti*, ubi multa & inter alia obſervat, præcipuè apud Athenienſes hujusmodi ſodalitates viguiſſe, & in nonnullis Græciæ Urbibus, quæ communem quaſi arcam habebant, in quam ſingulis menſibus certum quid deferretur, quo juvari poterant, qui ex illa ſodalitate fortunam adverſam aliquo modo eſſent experti.

XIIX. (5) Inprimis videndum, (1) ut mediæ fortunæ ac conditionis homines heîc prævaleant. Optimè Ariſtoteles IV. Pol. 11. *Cum ſint tres civitatum partes, valdè divites, valdè pauperes, & medii homines; ea civitas eſt optima & firmiſſima, in qua medium genus abundat, quod nimirum ad parendum maximè eſt idoneum.* Deinde curandum (2) ut cives omnes, quantum fieri poteſt, amicitiis inter ſe devinciantur.

(1) Conf. ex Euripide ſupra *part.* 1. *ſect.* 5. §. 18. Hoc medium genus cum deeſſet in Rep. Romana, vix poſſibile erat, ſtarum popularem diutius ſubſiſtere. v. pl. Bœcler. *ad* 1. *Annal. Taciti.* 9. *annot.* 6. Quædam populares civitates eam ob cauſam Nobiles non admittere. v. *Diſſert. parallel. jur. Hamb.*

(2) Hanc ob cauſam Schaffhuſia Helvetiorum civitas matrimonium tertio propinquitatis gradu ineuntes pecuniaria pœna eaque ſatis ampla mulctat. Eandem ob cauſam dos vel nulla vel exigua in matrimoniis permittenda. v. ſupra *ſect.* 2. §. 54. Phiditia quoque apud Lacones & Cretenſes inſtituta. v. Ariſtot. *II. Pol.* 7.

XIX. (6) *Cauſæ publicæ fiant quam pauciſſimæ, & * magnis pœnis abſterreantur illi, qui temerè aliquibus judicii periculum creant.* Ariſtot. VI. Pol. 5.

* Athenis lex erat: Si quis aliquem detuliſſet, id eſt, crimen intendiſſet, nec actionem inſtitutam perſequeretur, ſed accepta pecunia aut qua alia ratione re cum adverſario compoſita ab actione deſiſteret, ut is velut prævaricator mille drachmarum mulctam ærario ſolveret: aut ſi actionem perſequeretur quidem, ſed quintam ſuffragiorum partem in ferenda ſententia non ferret, ut calumniator aut ſycophanta,

temerè crimen intentans, totidem drachmas ærario pendere damnas esset.

XX. (7) Huic finitimum est: *ut ex lege eorum, qui damnantur, bona non in fiscum, sed sacros rediganter usus. Qui enim injustè se gerunt, nihilominus malum cavebunt: multabuntur enim eodem pacto. Fax autem populi minus reos damnabit, nihil emolumenti ex pœnis captura.* Aristot. *d. l.* Addendum, * nec in criminalibus provocationem ad populum permittendam, nec pœnarum remissionem populo indulgendam. Nam nimia facilitas ignoscendi plurimum sæpe reip. nocet. Eodem spectabat lex illa Athenis: *si quis supplicârit in senatu aut apud populum, iis de rebus, propter quas vel judicium, vel senatus vel populus aliquem damnavit, si ipse ararius priusquam solverit, supplicarit, actio in eum detur perinde, ac si quis ararius in Heliaam se ingerat: sin quis alius pro erario interceſſerit, priusquam is solverit, bona ejus omnia publicentur: sin Præsidum aliquis permiserit referre ad populum sive ipsi qui erario debet, sive alicui pro eo deprecanti, priusquam solverit, ignominiosus, ἄτιμος, habeatur.*

* Conferantur hoic leges, Lubecensium, Bremensium & aliarum Civitatum, in quibus spes omnis gratiæ maleficis præcisa. Id etiam in Helvetiorum judiciis laudat Bodinus.

XXI. * *Conciones sint raræ, & judicia de multis quidem rebus, quæ tamen paucis diebus absolvantur. Id enim & eò valet, ut ne divites sumtus metuant, si ditiores quidam non accipiant sportulam judicialem: tenuiores verò accipiant. Ad hoc judicia multò melius exercebuntur. Nam divites multos dies à rebus suis abesse nolunt, parvo autem tempore non gravantur.* Aristot. *d. l.* *Equidem omnes de omnibus deliberare est populare. Talem namque æquitatem quærit populus. Ut autem omnes possint deliberare, plures sunt modi.* ait Aristot. *l. IV. Pol. 14.* Ubi pluribus eos explicat.

* In

* In plerisque Helvetiæ rebusp. nihil fere populo tribuitur præter magistratuum creationem. Cætera summæ potestatis jura modicè vel etiam intra modum cum plebe communicantur.

XXII. (9) Populare quidem institutum est ac æqualitati consulens, sorte magistratus creari; aristocraticum, suffragiis eosdem deligi. V. Aristot. *II. Pol. 10. IV. Pol. 9. & VI. Pol. 1.* Enimverò, quia *sorte & urnâ mores non discernuntur*, ut Helvidius apud Tacitum *4. hist. 8.* dicebat, suffragia verò ad ambitum patent; oportet misceri hos modos. V. Aristot. *IV. Pol. 15. in fin. & 16. in fine.* Quò pertinet etiam quod de Tarentinis memorat *VI. Pol. 5. in fine*, eos quosdam suffragiis designavisse, qui remp. melius gubernarent, quosdam sorte, ut populus particeps fieret. Hinc porro ait Aristot. *Licet & hoc facere, ut eundem gerentes magistratum partim sorte ducti, partim suffragiis creentur.* Adde Simlerum *l. 2. descript. Helvet. p. 334.* ubi ait, nihil perhitiosius esse hisce civitatibus, quàm si æmulationes ex ambitu honorum existant & in factiones erumpant, hoc autem caveri vix posse, quando præteritis civibus atque contentis veteribus familiis peregrini homines ad honores & officia publica promoveantur.

* Contra ambitum valere possunt, quæ diximus *sect. 7. §. 13.* Nimirum electio non proximè fiat ab universa multitudine hoc modo: Designentur universi populi suffragiis centum, ex his decem sorte ducantur, qui jurejurando destincti mora nulla interposita ministros reip. eligant. Hunc modum probat Campanell. *part. 3. Philosoph. real.* Boxhorn. *2. Inst. polit. 9. §. 8.* Conring. *Hist. Rerump. de Westfris. §. 20.* ubi hanc optimam effugiendi ambitus rationem dicit. Atque hoc pluribus in locis observari, scribit Gryphiander *de democrat. §. 36.*

XXIII. Adversus ambitum etiam valet, si una persona pluribus magistratibus non præficiatur. * V.

Ariſtot. *II. Pol. 9.* Eò plures enim ſaturabuntur honoribus.

* Conf. ſupra *ſect.* 1. §. 17. *ſect.* 6. §. 28. Hujus inſtituti etiam alius uſus eſt in magiſtratibus, qui multum odii habent. v. g. qui executionibus rerum judicatarum ſunt deſtinati. Nam ſi dividantur, & aliæ atque aliæ ſumantur perſonæ, & minus res invidiæ habebit & facilius reperientur, qui eo perfungi velint. V. eleg. Ariſtot. *VI. Pol.* 8. Nonnulli Friſiorum apud Reidanum *l.* 17. *Annal. ad A.* 1600. dicebant: *Judicibus odioſa tantum relinqui, arbitrium vitæ & necis, poteſtatem bona alterius alteri: in quibus cum lege teneantur, nec gratificari cuiquam aut condonare meritas pœnas poſſint, ſemper paratum illis odium atque inſectationes eorum, qui causâ caderent: ſuperiorum nullas aut raras gentes: quippe qui non favorem judicum ſed debita innocentiæ præmia obtinuiſſe ſe crederent.*

XXIV. Maximè verò ambitum excludit, * ſi ex miniſterio publico non liceat quæſtum facere.

* V. ſupra *ſect.* 6. §. 17. & 30. Conring. *hiſtor. Rerump. de Weſtfriſ.* §. 20.

XXV. Hæc quæ hucusque diximus, uti contra dæmagogos quoque proſunt: ita non contemnendum quarundam Germaniæ Civitatum inſtitutum eſt, ut ad comprimendam loquacitatem ambitionemque nulla fere alia, præterquam de morum corruptione animarumque ſalute publicè verba facere permittant. V. Clapmar. *l. 3. de arcan. dominat. c. 22. in fine.*

XXVI. (10) Miles lectus, uti reip. regulari omni, ita heîc potiſſimum conducit. * V. Ariſtot. *III. Pol. 5.* ubi reip. hujus participes dicit, qui arma tenent, & *12.* quem locum ſupra §. 1. adduximus.

* Hinc in rep. hac civium multitudo tota armorum uſui & meditationibus vacare debet. Boxhorn. 2 *Inſt. Pol.* 9. § 13. *in notis* addens: *Plebs inermis cymbalum eſt inane: Inde in democratiis ſæpe plebi viritim arma permiſſa. Apud Helvetios & Leodienſes certè etiam opifices armati ad operas accedunt.*

SECTIO

SECTIO NONA.

DE SPECIEBUS POLITIÆ.

I. POLITIARUM REGIE TEMPERATARUM insignis est utilitas.

II. Earum MALUM est, Rex libertati insidias struens.

III. Cui malo REMEDIA varia quæsita sunt.

IV. POLITIARUM ARISTOCRATICE TEMPERATARUM non minor est utilitas.

V. Earum MALA sunt, si Senatus est perpetuus: quæ aristocraticæ ejus generis.

VI. Maximè si Senatores se ipsos eligunt.

VII. REMEDIA sunt (1) si Senatui alius Senatus subjungatur.

IIX. Si Senatui perpetuo quotannis novi aggregentur Senatores.

IX. POLITIÆ CENSUM RESPICIENTIS mala & remedia.

X. POLITIA PER VICOS SPARSA urbica est melior

XI. MALUM sunt tyrannides.

XII. REMEDIUM est à temperamento aristocratico.

XIII. POLITIÆ URBICÆ MALUM à loci inæqualitate.

XIV. REMEDIUM commixtio legum, disciplinæ, morum.

§. I.

QUemadmodum temperamenta in aristocratiis, ita in Politiis insignem usum habent. Hinc Politia etiam regiè temperata laudari meretur: * quoniam obstaculo est, ne popularitatis studium & libertatis abusus in factiones & licentiam abeat.

* V. H. Conring. *Hist. rerump. de Groninga* §. 14. *& de Westfris.* 6. 18. conf. quæ *sect. praced.* §. 15. ex Aristotele dicta. v. Forstner. *ad XI. Ann. p* 142. Cum per triennium pernitiosæ in Frisiâ factiones essent, Guilielmus Nassovicus Præfectus partium præfracta studia moderatione suâ vicit, notante Reidano *lib.* 4. *Ann. Belgic. ad A* 1585. E contrario Lacedæmonii, cum Regem amplius non haberent, omnes pari jure in civitate esse æquum putantes seditiones inter se agitarunt, ut testatur Polybius *IV. histor.* 22. Bene Dunitius apud Livium l. 34. c. 49. ad civitates Græciæ: *Libertate modicè utantur, temperatam eam salubrem & singulis & civitatibus esse. Nimiam &*

aliis gravem, & ipsis, qui habeant, effrenatum & præcipitem esse.

II. Hujus malum est. Si Rex, aut quocunque eum nomine appellare libeat, libertati insidias struit. Ut Arminius Germanorum Dux, ob hoc interfectus. V. Tacit. *II. Ann. 88.* Cleomenes Euryſthenides, Regum Spartanorum ex gente Heraclidarum ultimus, cum Ephoros occidiſſet, & ex Rep. Spartanâ ſuſtuliſſet, poteſtatem legitimam vertit in tyrannidem. Adde de Maleo Carthaginenſium Duce Juſtinum *l. 18. c. 7.*

III. Remedia ſunt eadem, quæ in ariſtocratiâ regiè temperatâ. V. *ſect. 7. §. 18.* Quibusdam placuit dyarchiam introducere. *Nam, ut Romæ Conſules, ſic Karthagine quotannis annui bini Reges creabantur.* * Nepos *in Annibal. c. 7.* Hunc morem etiam in Conſulibus pleræque liberæ Germaniæ civitates probant. At non reticenda heic ſingularis Coloniæ Agrippinæ conſuetudo. Manet ibi Conſulatus continuus inter viros ſex, ita ut tertio quoque anno ad unumquemque redeat. Qua ex re id commodi conſequuntur, ut nec unius nimia ſit potentia, nec à rerum imperitis resp. gubernetur. Hoc inſtitutum non habebant Romani in Coſs. nam in ſingulos annos novum Rectorem deligebant, quod perinde fuit, acſi civitas ſingulis annis novum medicum creare velit. Uti judicat Conzen. *VII. Pol. 16. §. 13.* Civitates Italiæ, poſt labaſcentem Cæſarum in Italiâ auctoritatem, magiſtratum habuerunt Poteſtatis vocabulo inſignitum, quem aliunde quam ex ipſismet civibus quotannis eligebant, ut ſummo jure in rebus bellicis perinde ac togatis imperarent. Quod inſtitutum prudentiæ nomine commendat Car. Sigonius *l. 5. de Regn. Ital.*

* Idem *Bonon. hiſtor. l. 2.* de Bononia his verbis utitur: *Ad Prætorem alienigenam ſe contuliſſe videntur, ut civitatum*

eum libertate abutentium gliscentia indies certamina sedarentur, atque ut jus severius diceretur, neque tam facile aut gratia aut odio cujusque variaretur. Conf. plur. Carol. Cangium *gloss. voce Potestus.*

IV. Politiæ aristocratiâ temperatæ etiam commoda sunt eximia. Nam, ut alia omittam, negotia quæ momentum habent, in secreto illic tractantur, leges publicæ conservantur, ne dæmagogi eas subruant, & subitis facilius mederi licet. Hinc Plutarchus *in Solone* de rep. Athenienſi eleganter dicit: *Concioni, in quam universus populus coibat, & cujus erat suprema in civitate potestas, tanquam grandi navi fluctuationi & tempestatibus obnoxiæ, alia duo collegia* (* Areopagum & Senatum) *velut anchoras ejus subjuncta fuisse.* Isocrates quoque in Panathenaico Athenis civitati maximè populari tribuit, *non quæ temerè administraretur, & petulantiam pro libertate, licentiam faciendi quodlibet pro felicitate amplecteretur; sed quæ his atque talibus adversa, Optimatum auctoritatem suis rebus adhiberet.*

* Sanè quam felix Athenarum status fuerit cùm auctoritas Senatui Areopagitico salva esset, quàm infelix postea, cum accisa, ex Isocrate & Plutarcho optimè docet Joh. Meursius *in Areopago c. 9. p. 80. sequ.* conf Aristotel. *II. Polit. 10.* Carthagine, ubi status popularis fuit aristocraticè temperatus, nunquam aut seditio exorta est memoartu quidem digna, aut Tyrannus extitit, Aristotele teste *II. Pol. 9.* Quod de temporibus ipsius intelligendum: nam quæ insecuta sunt, multos peperêre regni usurpatores. H. Grotius *append. epistol.* 209. ex Jacobi Meyeri Annal. Flandr. l. 13. notat: *rem Gandavensem optimè gestam Senatu perpetuo, qui & cooptandi jus haberet, cuncta regente. Ex quo ad plebem negotia referri cœpere, cuncta iisse retrò: nec alium fuisse exitum, quàm ut abolitione libertatum omnium saluti Urbis prospicetur.* Addit: *Idem doceri possit Dordrechti exemplis, & si quæ præterea oppida paulò δημοκρατικώτερα, à quibus seditiones nunquam abfuere.*

V. Eam imprimis, si Senatus est perpetuus, eadem mala premunt, quæ aristocratiam ejusdem gene-

ris, de quâ *sect. 7. §. 20.* nam ſtatus popularis facilius migrat * in oligarchiam, quàm in tyrannidem. Ariſtotel. *V. Pol. 12.* Fieri etiam facile poteſt, ut in mixtam tranſeat,

* V. ſupra *ſect* 8. §. 2. ex Bodino.

VI. Maximè verò viam ad paucorum dominatum ſtruit, ſi Senatores ipſi ſeſe eligant. V. Ariſtot. *II. Pol. 9.* ubi de Quinqueviratu Karthaginenſium agit.

VII. Remedia ſunt (1) Si Senatui illi perpetuo alius Senatus ſubjungatur, qui reliqua ad ſummam reip. pertinentia expediat, ut tamen populo jus Senatores illos & cæteros magiſtratus conſtituendi relinquatur. *

* Ita Athenis præter Areopagiticum alius fuit inſtitutus Senatus CCCC. virorum ampliſſimi muneris, & ſummæ dignitatis, quorum Senatorum munus ex lege annuum tantum fuit, licet concilium ipſum inſtituti fuerit perpetui. V. Ubbon. Emmium *de Rep. Athenienſ. p.* 57.

IIX. Vel (2) Senatus ſit perpetuus, cui quotannis ex populo quidam aggregentur, elapſo anno iterum deceſſuri. *

* Tale inſtitutum fuit Spirenſium. quo vitia prioris formæ nonnihil correcta dicit Lehmannus. Nempe duodecim Senatores ex duodecim tribubus lecti Senatum perpetuum conſtituebant; his totidem ſingulis annis adjiciebantur, lecti à perpetuis illis Senatoribus ex viginti quatuor viris, quorum duos ſingulæ duodecim tribus edidiſſent.

IX. In Politiâ cenſum reſpiciente eadem proſunt & nocent, quæ ſupra poſuimus *ſect. 7. §. 14. 15.*

X. Politia per vicos ſparſa melior eſt urbicâ. *Quando enim genus hominum, quod colit agros, & poſſidet mediocres fortunas, in ſuâ manu remp. habet, regunt ipſam legibus. Res enim vitæ neceſſarias operâ ſuâ & labore parant; nequeunt autem ocio frui. Quapropter cùm legem impoſuerint, neceſſariis tantum concionibus præſentes adſunt.* Ariſtot. *IV. Pol. 6.* conf. plur. *VI. Pol.*

Pol. 4. * Apud Euripidem *in Oreſte* inter illos, qui de Oreſte in concilio populi ſententiam dixerunt, deſcribitur quoque:

Μορφῇ μὲν ἐκ ἐυωπὸς, ἀγδρεῖος δ' ἀνὴρ
Ὀλιγάκις ἄστυ κἀγορᾶς χραίνων κύκλον,
Αὐτουργός, οἵπερ καὶ μόνοι σώζουσι γῆν,
ξυνετὸς δὲ χωρεῖν ὁμόσε τοῖς λόγοις θέλων,
Ακέραιος, ἀνεπίλυπτον ἡσκηκὼς βίον,
Vultu invenuſto, ſed valenti corpore,
In urbe rarus, rarus in cœtu fori
Agricola, patriæ quod ſalutare eſt genus,
Prudentis animi, nec piger ſermonibus
Certare, totus integer, probro vacans.

Huic proxima eſt, quæ partim urbica, partim per vicos ſparſa. Ariſt. *d. l.* 6. *c.* 4.

* Similis Senecæ *in Hippolito* eſt locus *act.* 2. *ſcen.* 2.

XI. Malum ejus eſt, quod in eâ tyrannides naſcantur, populô in ruſticis operibus occupato, ſi quis rerum bellicarum peritus occaſione uti velit. Quod olim frequenter factum obſervat Ariſtoteles V. *Pol.* 5.

XII. Remedium petendum eſt à temperamento ariſtocratico, de quo paullò ante.

XIII. Politiæ urbicæ malum eſt à loco, *cum* ſc. *regio non eſt ſatis accommodata ad hoc, ut una ſit civitas. Ut Clazomenis, qui in Chytro ad eos qui in inſulâ, & Colophonii & Auſtrales, Athenis quoque non eodem modo ſunt affecti, ſed populares magis ſunt, qui Piræum habitant, quàm qui Aſtu. Nam quemadmodum in præliis foſſa interjecta etiam exiguæ acies jam ordinatas diſtinent ſæpe ac ſiſtunt, ſic diſſimilitudo omnis diſſidium animorum parere videtur.* Ariſtot. V. *Pol.* 5. Politiæ, quæ ſodalitates habent, malum eſt, ſi, quod de Groninga ſcribit H. Grotius *l.* 3. *Hiſt. Belgic. ad A. MDCIV*, major collegiorum plebis circa

publica ibi sit auctoritas quam expediat ipsis. conf. *de Noviomago idem l. 2, ad A. MDXCI.*

* V. exempla hæc illustrantem, & alia addentem Piccart. *in Comm. ad d. l. p. 696. sequ.*

XIV. Malum hoc, si non omnino tolli, saltem levigari videtur, si cives legibus, disciplinâ, moribus, magistratus inter se commisceantur.

SECTIO DECIMA.

DE CIVITATIBUS, QUÆ LATAM DOMINATIONEM APPETUNT.

I. INter civitates irregulares primô loco se offert quæ latam dominationem appetit.

II. Ejus MALA sunt sive potius OBSTACULA A FINE, si is tantum ad belli artes dirigitur.

III. Aut nimis est manifestus.

IV. A SUBJECTO, si populus, qui aliis imperare satagit, in frigidis locis habitat, ex sententia Aristotelis.

V. Vel est imbellis.

VI. Aut populi sub jugum missi sunt animosi & magnos spiritus gerunt.

VII. Vel lingua, habitu & moribus sunt diversi.

IIX. Si populi subjugandi regulati imperio utuntur.

IX. A FORMA, regimen polyarchicum populi in alios imperium molientis.

X. Discordia.

XI. Regnum electivum.

XII. Invidia apud externos.

XIII. Superbia, unde desidia & injuriæ.

XIV. A CAUSA EFFECTRICE malum est mollities summi imperantis.

XV. Miles.

XVI. REMEDIA quæ adhibent tales civitates, sunt varia (1) præter belli etiam pacis artes usurpant.

XVII. (2) Pietatis, libertatis aliisque speciosis nominibus utuntur, ut finem suum occultent.

XIIX. (3) Quod indigenis deest, aliunde supplent.

XIX. (4) Populos subactos animosiores ad luxum & ignaviam traducunt.

XX. (5) Cives suos in colonias mittunt, & linguam dominantem summo studio propagant.

XXI. (6) Quos subjugare nequeunt,

nequeunt, in temp. diſſidiis opportunam transferunt.

XXII. Hinc (7) in externis civitatibus diſſidia alunt.

XXIII. Præterea curant ut unus ſummas rerum teneat.

XXIV. (9) Bellorum cauſam habent profundam imperii cupidinem, ſed variis prætextibus velatam.

XXV. Hinc (10) ab imperio in victos interdum abſtinent.

XXVI. Donec (11) procedente tempore & occaſione favente in provinciam eos redigant.

XXVII. (12) Si minus rectum putant, ut imperio in victos abſtineant, eosdem aliis ſibi obnoxiis donant.

XXIIX. (13) Nonniſi ſumma neceſſitate exigente veteres ſeſſores patriis ſedibus ejiciunt.

XXIX. (14) Pace, fœderibus, aliisque pactionibus ad latam dominationem parandam utuntur. Hinc fœdera clientelaria offerunt ultrò, & jactant.

XXX. (15) Emtiones proponuntur, & pretium offerunt.

XXXI. (16) Auro ſibi obſtringunt externos miniſtros.

XXXII. (17) Pecunias mutuo ſumunt ab externis civitatibus.

XXXIII. (18) Affinitatibus & matrimoniis alios illaqueant.

XXXIV. (19) Præmiis virtutem militarem exacuunt.

XXXV. Coronis, cur civitates hujusmodi olim facilius fine ſuo potitæ.

§. I.

A Regularibus civitatibus tranſimus ad irregulares, quarum prima ſpecies eſt haut dubiè illa, quæ latam dominationem pro ſummo bono habet. *Nam inferre bella finitimis & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſolâ regni cupiditate conterere ac ſubdere, quid aliud (1) quam grande latrocinium nominandum eſt.* Auguſtin. 4. *de Civ. Dei c. 6.* conf. Ariſtot. VII. *Pol.* 14. & Ciceron. 1. *offic.* (2) Quanquam, ſi populus fuerit pauper, bellicoſus verò & novandarum rerum cupidus, nihil ei ſatius ſit, quàm ſi alios bello petat lateque dominetur, ne ſe, domi egeat, aut dum pacem ferre neſcit, omnia turbet,

bet. Hinc *plurimi mortales ſuſpiciunt dominari multis, quia multa copia inde naſcitur bonarum rerum*, Ariſtotel. *Pol.* 14. Euripides:

Ὅσις δὲ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ
κοὐκ ἔστι φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται

Habere quisquis parte plus quærit ſua,
Nil ille juſti cogitat, vel expetit.

Rarum eſt quod de Peruvianus ſcribitur. v. Pufend. *c.* 7. §. 3.

(1) Nimirum tales bonis ac honeſtis artibus tardò conſueverunt uti, ſive quia tot inveniunt obſtacula, quæ bonis artibus ſuperari poſſe non confidunt, ſive quia dum habere rem quàm expectare malunt, ſumma imis permiſcent. Notum eſt illud piratæ, qui Alexandro quærenti, quo ſcelere impulſus mare haberet infeſtum. *Eodem*, inquit, *quo tû orbem terra. Sed quia id exiguo navigio facio, latro vocor; quia tu magna claſſe, Imperator.* Cicero de republ. III. laudante Nonio. Idem Alexandri Senecæ l. 3. de benef. 13. & Quæſt. natural. l. 3. *à puericia latro gentiumque vaſtator.* Et Romanorum, qui tam juſti volebant videri, bella quædam injuſta fuiſſe faientur ipſi Romani ſcriptores, ut de bello in Sardiniam Polybius *l.* 3. *hiſtor. c.* 10. & in Cyprum Florus *l.* 3. *Rer. Rom.* 9. & Sextus Rufus *in breviario*, cujus verba ſunt: *Jus ejus inſulæ avarius magis quàm juſtius ſumus adſequuti.* Adde eundem Florum de bello Numantino & Cretico.

(2) V. quæ Colinius & Motvilletius in utramque partem diſſerunt apud Thuanum *l.* 51. *ad A* 1572.

II. Mala ejus ſunt à fine (1) Si is tantùm ad belli artes dirigatur. *Hujuscemodi enim civitates, poſtquam potitæ ſunt imperio, pereunt: quoniam amittunt duritiem, tanquam ferrum, in pace viventes.* Ariſtot. VII. *Pol.* 14. *in fine. Hinc Spartani ſalvi & incolumes fuerunt, dum bella geſsêre: perierunt autem, poſtquam imperium adepti ſunt: quia neſciebant otio uti, neque ſe exercuerant in diſciplinâ ullâ potiore bellica arte.* Ariſtot. II. *Pol.* 7. conf. Forſtner. ad *l.* 4. *Ann. Tacit. p.* 585. & *p.* 605. *ſequ.*

III. (2) Si finis nimis eſt manifeſtus. * Inde enim invidia,

invidia, quam tales civitates rarò effugiunt. V. infra. Forſtner. *ad 4. Ann. Tacit. p. 600. ſequ.* & ad *l. 15. Ann. Tacit. c. 1. p. 149. ſequ.*

* Ageſilaus apud Nepotem c. 2. de Perſis: *multum in eo conſequi ſe dicebat, quod Tiſſaphernes perjurio ſuo & homines rebus ſuis abalienaret, & Deos ſibi iratos redderet.*

IV. A ſubjecto malum eſt, ſi populus, qui aliis imperare cupit, in frigidis locis habitat. Nam, ſi credimus Ariſtotel. VII. *Pol. 7. Gentes, quæ in frigidis locis degunt, animi quidem plena, ingenii autem & artis dotibus non adeo referta ſunt. Quarè liberæ quidem magis ſervantur, expertes autem ſunt vitæ civilis, neque vim & poteſtatem habent parandi ſibi imperium vicinorum.*

V. Deinde (1) ſi populi, qui in alios imperium moliuntur ſunt imbelles. (2) *Nam fortiſſimi ſemper ſunt habiti, qui ſummam imperii potirentur*; ait Cornel. Nepos *in Eumen. c. 3.* loquutus de Romanis & Macedonibus.

(1) *Hinc quando nativa copia deficiunt, omnia ruunt, atque aliis gentibus in prædam cedunt. Hoc evenit in declinatione imperii Romani, atque etiam in Imperio Occidentali poſt Carolum M. cùm aves ſingula plumas ſuas repeterent. Atque ſimile quidpiam etiam Imperio Hiſpanico contingere poſſet, ſi quando viribus decideret*, ait Baco de Verulam. *ſerm. 56.*

(2) Utut mulieroſi ſive γυναικοκρατούμενοι, quod de pleriſque bellicoſis nationibus, exceptis Celtis, notavit Ariſtoteles II. *Pol. 7.* Nimirum, ut Baco de Verulamio ſerm. fidel. 10. ait: *poſcunt plerunque pericula compenſationem voluptatum.* Nec minus notum de bellatoribus ita mulieroſos Dictotor David.

VI. Item ſi * populi ſubjugati magnos ſpiritus gerunt. Ariſtot. III. *Pol. 9.* maximè ſi noviter ſunt redacti ſub imperium. *Sicut in familia recentiſſimus quisque ſervorum & conſervis ludibrio eſt, ſic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos & viles*

in exi-

in exitium petimur, ajebat Dux Britannicus de Romanorum imperio apud Tacitum. *Agricol. c.* 31.

* Ut Lydi, qui toties defecerunt à Cyro. v. Herodot. *l.* 2. Saxones a Francis ſubjugati, *quos rebellionem crebro uſu ſibi quaſi in conſuetudinem vertiſſe* ait Scriptor à Pithœo editus ad A. 793.

VII. Item ſi moribus, linguâ, habitu ſunt diverſi.

IIX. A populis ſubjugandis malum eſt, ſi imperio regulari utuntur. Nam facilius vincuntur ſciſſa in minutas poteſtates corpora. * V. Machiav. *Princ. c.* 4.

* Italia erat lacera, & in plures populos diviſa, cum Romani amplitudinem imperii molirentur.

IX. A forma malum eſt. (1) Si regimen populi imperium in alios molientis eſt polyarchicum. Quanquam in vetere hiſtoriâ non deſint exempla Romanorum, Karthaginenſium, Athenienſium, Lacedæmoniorum. V. *Part.* 1. *ſect.* 11. §. 2. v. omnino. Comden. *ad A.* 1590. *p.* 608.

X. (2) Si diſſidiis laborat civitas, & motibus mutationibusque agitatur. V. Forſtner. *ad* 11. *Ann.* 8.

XI. (3) Si regnum eſt electivum. V. Campan. *c.* 24. *Monarch. Hiſpan.*

XII. (4) * Invidia. Nam neceſſum eſt multos offendi, per quorum diminutionem, aut metum, aut certè invidiam huic civitati ſurgendum eſt. Statius *l.* 5. *ſilv.* 1. Tullius Valentinus cuncta magnis imperiis objectari ſolita contumeliisque & invidiam in Populum Romanorum effudit Tacit. IV. *hiſt.* 68. *n.* 9.

Quisnam impacata conſanguinitate ligavit,
Fortunam invidiamque Deus? V. ſupra §. 3.

* H. Grot. *l.* 6. *Hiſt. A.* 1597. *Batavi ultrò alios ad arma vocabant, regnorum aviditatem Hiſpaniô & poteſtatem nocendi objectando, exoletas jam dudum criminationes, & quas magna*

gna imperia nunquam effugiunt: Hinc illa de Romanis: *Nihil nisi raptum habere, causam eis bellandi cupidinem profundam imperii ac divitiarum.* Mithridates apud Sallustium. *Raptores orbis, quos nec Oriens non Occidens satiaverit.* Galgacus apud Tacitum.

XIII. (5) * Superbia, unde desidia & injuriæ. Bene Sallust. *conjur. Catil. Ubi pro continentia & aequitate libido atque superbia invasere, fortuna simul cum moribus immutatur.* Idem notat in Philippo Macedoniæ Rege Polyb. in fragm. *p.* 15. *& l.* 10. *p.* 606. rursus inculcat, ubi de Karthaginensibus, qui cæsis Impp. Romanis insolentiâ elati, socios acerbè tractare instituerant, quo factum, ut eosdem ex amicis hostes haberent.

* Æschylus *Prometheo vincto:*

Ἄπους δ' τραχὺς ὅστις ἂν νέον κράτη,
Rex durus omnis sceptra qui tractat nova.

Polybius 6, histor. 55. *Postquam enim civitas aliqua multa eaque magna pericula fuit eluctata, famque ad principatum & potentiam non controversam pervenit: palam est, ubi mora longi temporis beata fortuna suam sedem in ea civitate formavarit, in mores luxum irrepere, in animos virorum ambitionem & pervicaciam tum circa magistratus, tum circa alia incepta.*

XIV. A causa efficiente malum est (1) si summus imperans est mollis & effœminatus. * Ut Sultani Turciæ.

* H. Grot. *in appendic. epistt* 741. *A.* 1645. *Aula Turcica pridem talis est, qualis Persica Alexandri M. temporibus. Nisi id esset, brevi nos nostrorum dissidiorum pœniteret.* conf. Machiav. 1. *ad Liv. c.* 19. *&* 20.

XV. (2) Miles, cùm in suâ manu rem sitam cognoscit. * Hinc superbia & corruptio disciplinæ militaris.

* Malum hoc perpetuum fere est in hujus generis civitatibus. Exemplo sit Romana respublica & hodie Turcicum Imperium. V. eleg. Forstner. *ad* 4. *Ann. p.* 580 *sequ.*

XVI. Advèrsus mala hæc sive obstacula parare etiam solent remedia. (1) Præter belli etiam pacis artes

artes adhibent. Ariſtot. VII. *Pol.* 14. Hinc Auguſtus, audito Alexandrum, cùm annos triginta duos natus pleraque ſubegiſſet, anxium fuiſſe de materiâ agendi reliquo tempore. *Miror*, inquit, *Alexandrum non exiſtimaſſe, majoris eſſe operæ, imperium partum bene conſtituere, quam parare.* apud Plutarch. *apophthegm. Romanis.* conf. Piccart. *Dec.* 3. *obſ. Pol. cap.* 10.

* Non minus eſſe tueri aliquid, quàm acquirere, oſtendit Pyrrhus, qui rebus ſæpe horriter geſtis tot victorias corrumpebat, ut de eò dixerit Antigonus: *ſcire aleam jacere, ſed neſcire jactu uti.*

XVII. (2) Ut ſcopum ſuum magis occulant, [1] ſæpe ipſam pietatem impiiſſimæ ſuæ ambitionis, [2] libertatem ſervitutis faciunt inſtrumentum, & in ipſo bello pacis ſe gerere negotium jactant. *Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur*, ait Petilius Cerialis apud Tacitum IV. hiſt. 73. *nec quisquam alienum ſervitium & dominationem concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet.* *

[1] *Prætextu cœli captant terras.* Viri ſapientis dictum eſt, Ferdinandum Hiſpaniæ Regem dictum Catholicum *omnes fere ſuas cupiditates obtexiſſe honeſto religionis velamento*, ait Guicciardinus l. 12. hiſtor. Alia exempla ſunt apud Thuanum *paſſim in hiſtoria.* Michael. Hoſpital. *l.* 5. *epiſt ſerm.* 8. Foriſtn. *ad* 1. *Ann. p.* 107. *ſequ.* Tatari darum ſibi dono divinitus orbem finxerunt, apud Haithon. *hiſt. Tatar. c.* 16. 17. Mexicani apud Acoſtam. *l.* 7. *hiſt. American.*

[2] Huc pertinet fabula apud Phædrum de equo & apro. Cum adverſus aprum equus auxilium hominis petiiſſet, ab homine, libertatis vindice, in ſervitutem fuit deductus. Exempla paſſim occurrunt in hiſtoriis, V. Juſtin. *l.* 4. *c.* 4. *l.* 18. *c.* 1. *l.* 27. *c.* 3. *l.* 38. 1. Tacit. VI. *Ann.* 42. 12. *Ann.* 31. 14. *Ann.* 21. add. Foriſtn. *ad Tacit. d. l.* Bœcler. *ad* 3. *hiſtor.* 5. Alcibiades apud Thucydidem. *l.* 6. de Athenienſibus. *Auxilium impigrè tam Barbaris quàm Græcis ferendo imperium nos noſtrum & ſi qui alii habuerunt, comparavimus*; Cicero 3. *de Rep.* de Romanis: *Noſter populus ſociis defendendis terrarum jam omnium potitus eſt.*

XIIX.

XIIX. (3) Ut indigenæ ſint fortes [1] vel arte
'e aducatione conſequuntur, vel quod iis deeſt a-
ınde ſupplent. Itaque populos alios in civitatem
:ipiunt. [2] Quod Romuli conſilium fuit, judi-
ɔ Dionyſii, omnium præſtantiſſimum, adque fu-
rum imperium momentum non minimum. [3]
inc provinciarum ſanguine provincias ſubigunt.
ɔmani quoque pœnas in cœlibes ſtatuebant. Et
*artiata impellebant cives ad plurimos filios procre-
dos. Erat enim illic lex, qui genuerit tres liberos,
itti poſſe in præſidium; qui vero quatuor, immunem
'e omnium munerum.* Ut notavit Ariſtoteles II.
l. 7.

[1[Nam ut Adraſtus educationis commoda tradens, aît
ad Euripidem Supplicibus : ἡ δ' εὐανδρία διδακτόν. *For-
udo vero doceri poteſt.* Iidem civitate alios donabant. v.
iſtot. 2. *Pol.* 7. *p.* 108. Ab eodem deſcribitur Hippome-
n:

Παῖς ὢν, ἐτόλμησ' εὐθὺς ἐκ παίδων ἡδονὰς,
Μεσῶν τραπέζῃ, πρὸς τὸ μαλθακὸν βίου·
Ἀγρεὺς δὲ ναίων σκληρὰ τῇ φύσει δίδους,
Ἔχαιρε πρὸς τ' ἀνδρεῖον, εἰς τ' ἄγρας ἰὼν,
Ἵπποις τε χαίρων, τόξα τ' ἐντείνων χεροῖν,
Πόλει προθυμεῖν σῶμα χρήσιμον θέλων.
*Statim à puero auſus eſt non ad voluptatem
Se convertere, & ad mollem vitam:
Sed habitans ruri, exercens vitam duram,
Gaudebat ad fortia & ad venationes vadere.
Et gaudens equis, & tendens arcum manibus,
Reip. corpus utile præbere volens.*

cero I. Tuſculanar. *Fortes & duri Spartiatæ: magnam ha-
vim reip. diſciplina.* Ariſtoteles IIX. Pol. 4. ait, Lacedæ-
ɔnios pueros immanes & feros reddere, perinde quaſi hoc ad
:titudinem multum faciat. Hinc fortiſſimæ magnanimæ-
e voces Damindæ, Anaxandridæ, Leonidæ, Eteoclis (qui
blico nomine hoc reſponſi fecit: ſi difficiliora morte impe-
, facilius nobis erit mori) apud Plutarchum Laconic. A-
phthegm. V. Thom. Bartholin. *de cauſis contemtæ à Danie
bus gentil. mort. l.* 1. *c.* 7. Apud Tatáros Precopienſes edu-

artes adhibent. Ariſtot. VII. *Pol.* 14. Hinc Auguſtus, audito Alexandrum, cùm annos triginta duos natus pleraque ſubegiſſet, anxium fuiſſe de materiâ agendi reliquo tempore. *Miror*, inquit, *Alexandrum non exiſtimaſſe, majoris eſſe opera, imperium partum bene conſtituere, quam parare.* apud Plutarch. *apophthegm. Romanis*, conf. Piccart. *Dec.* 3. *obſ. Pol. cap.* 10.

* Non minus eſſe tueri aliquid, quàm acquirere, oſtendit Pyrrhus, qui rebus ſæpe fortiter geſtis tot victorias corrumpebat, ut de eò dixerit Antigonus: *ſcire aleam jacere, ſed neſcire jactu uti.*

XVII. (2) Ut ſcopum ſuum magis occulant, [1] ſæpe ipſam pietatem impiiſſimæ ſuæ ambitionis, [2] libertatem ſervitutis faciunt inſtrumentum, & in ipſo bello pacis ſe gerere negotium jactant. *Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur*, ait Petilius Cerialis apud Tacitum IV. hiſt. 73. *nec quisquam alienum ſervitium & dominationem concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet.*

[1] *Prætexit cœli captant terras.* Viri ſapientis dictum eſt. Ferdinandum Hiſpaniæ Regem dictum Catholicum *omnes fere ſuas cupiditates obtexiſſe honeſto religionis velamento*, ait Guicciardinus l. 12. hiſtor. Alia exempla ſunt apud Thuanum *paſſim in hiſtoria.* Michael. Hoſpital. *l.* 5. *epiſt ſerm.* 8. Forſtn. *ad* 1. *Ann. p.* 107. *ſequ.* Tatari datum ſibi dono divinitus orbem finxerunt, apud Haithon. *hiſt. Tatar. c.* 16. 17. Mexicani apud Acoſtam. *l.* 7. *hiſt. American.*

[2] Huc pertinet fabula apud Phædrum de equo & apro, Cum adverſus aprum equus auxilium hominis periiſſet, ab homine, liberaris vindice, in ſervirutem fuit deductus. Exempla paſſim occurrunt in hiſtoriis. V. Juſtin. *l.* 4. *c.* 4. *l.* 18. *c.* 1. *l.* 27. *c.* 3. *l.* 38. 1. Tacit. VI. *Ann.* 42. 12. *Ann.* 31. 14. *Ann.* 21. add. Forſtn. *ad Tacit. d. l.* Bœcler. *ad* 3. *hiſtor.* 5. Alcibiades apud Thucydidem. *l.* 6. de Athenienſibus. *Auxilium impigrè tam Barbaris quàm Gracis ferendo imperium nos noſtrum & ſi qui alii habuerunt, comparavimus*; Cicero 3. *de Rep.* de Romanis: *Noſter populus ſociis defendendis terrarum jam omnium potitus eſt.*

XIIX.

XIIX. (3) Ut indigenæ ſint fortes [1] vel arte ſive aducatione conſequuntur, vel quod iis deeſt aliunde ſupplent. Itaque populos alios in civitatem recipiunt. [2] Quod Romuli conſilium fuit, judicio Dionyſii, omnium præſtantiſſimum, adque futurum imperium momentum non minimum. [3] Hinc provinciarum ſanguine provincias ſubigunt. Romani quoque pœnas in cœlibes ſtatuebant. Et *Spartiatæ impellebant cives ad plurimos filios procreandos. Erat enim illic lex, qui genuerit tres liberos, mitti poſſe in præſidium; qui verò quatuor, immunem eſſe omnium munerum.* Ut notavit Ariſtoteles II. *Pol.* 7.

[1] Nam ut Adraſtus educationis commoda tradens, ait apud Euripidem Supplicibus: ἡ δ' ἀνανδρία διδακτόν. *Fortitudo verò doceri poteſt.* Idem civitate alios donabant. v. Ariſtot. 2. *Pol.* 7. *p.* 108. Ab eodem deſcribitur Hippomedon:

Παῖς ὢν, ἐτόλμησ' εὐθὺς ἐς ἡδονὰς,
Μισῶν τραπέζας, ἐς τὸ μαλθακὸν βίον·
Ἀγρὸς δὲ ναίων σκληρὰ τῇ φύσει διδοὺς,
Ἔχαιρε θῆρας τ' ἀνδρεῖον, εἰς τ' ἄγρας ἰὼν,
Ἵππους τε χαίρων, τόξα τ' ἐντείνων χεροῖν,
Πόλει τε σῶμα χρήσιμον θέλων.
Statim à puero auſus eſt non ad voluptatem
Se convertere, & ad mollem vitam:
Sed habitans ruri, exercens vitam duram,
Gaudebat ad fortia & ad venationes vadens.
Et gaudens equis, & tendens arcum manibus,
Reip. corpus utile præbere volens.

Cicero I. Tuſculanar. *Fortes & duri Spartiatæ: magnam habet vim reip. diſciplina.* Ariſtoteles IIX. Pol. 4. ait, Lacedæmonios pueros immanes & feros reddere, perinde quaſi hoc ad fortitudinem multum faciat. Hinc fortiſſimæ magnanimæque voces Damindæ, Anaxandridæ, Leonidæ, Eteoclis (qui publico nomine hoc reſponſi fecit: ſi difficiliora morte imperas, facilius nobis erit mori) apud Plutarchum Laconic. Apophthegm. V. Thom. Bartholin. *de cauſis contemtæ à Danis adhuc gentil. mort. l.* 1. *c.* 7. Apud Tataros Precopienſes edu-

cario adoleſcentiæ rigidiſſima eſt, non iuſita tantum feritate, ſed propoſito etiam, ut corpora ad laborem & belli aſpera dureniur. Apud eosdem pueris cibi moribus antiquis non præbiri, niſi quos ſagitta prius rerigiſſent. Quæ & alia memorat Joachimus Paſtorius *l.* 1. *hiſtor. Polon. plenior. p.* 59. ſummus Imp. apud Turcas ſtatis temporibus conquiſitores vibis Imperii provinciis circummittit ad puerorum delectum habendum: qui omnibus primæ ætatis pueris civitatis in conſpectum adductis, quorum indoles ex formâ, habitâ membrorum, totiusque corporis ſpecie & aſpectû probatur, eos deligunt eorumque greges in regiam adducti in diſciplinam traduntur, in quâ ſemulandi, equirandi, arma tractandi omnesque militiæ artes docentur, animusque & corporis vires longâ exercitatione corrubaruntur, neque quisquam ad militiam aut ad bellica munia aſſumitur, niſi longâ hac diſciplinâ & uſu aſſuefactus, Ita Ubertus Foliada de cauſis magnitudinis Turcarum Imperii. Moſcovitæ in lectis nunquam cubant. Quod Capuanis quoque olim uſitatum fuit, uſque dum matrimonium inirent. v. Carlisle *deſcript. de la Moſcovie.* Hinc Horarius od. 2. libr. 3.

Anguſtam, amici, pauperiem pati.
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat,

[1] Eodem uſi Lacones, teſte Ariſtotele II. *Pol.* 7. Huc pertinet etiam inſtitutum Janizarorum apud Turcas, & quod iidem diverſis artibus alterius religionis homines ad ſacra Muhammedana amplectenda traducant, qui propterea Muſelmanni ſive Credentes appellantur. V. Rigaltii *hiſtoriam ſtatus præſent. Ottomann. Imperii l.* 1. *c.* 18.

[3] Hæc ars etiam Romanorum fuit, aliis magnis quoque Imperiis objici ſolita. V. Forſtner. *ad* 14. *Ann.* 23.

XIX. (4) Si populi ſubacti; vel quos ſubigere conantur, ſunt animoſiores, eos ad ignaviam aut luxurioſum vitæ genus traducunt, aut aliâ ratione frangunt. Ita *Rex Perſarum* [1] *Medos & Babylonios & alios, qui magnos ſpiritus gerebant, quia ante imperium obtinuerant, ſæpe labefactavit.* teſte Ariſtotele III. Pol. 9. [2] *Voluptatibus plus Romanos adverſus ſubjectos valere, quàm armis,* ajebant Tencterorum legati apud Tacit. IV. *hiſt.* 64. conf. inſignem locum

locum Taciti *in Agric. c.* 21. Apud eundem Tacitum est *l.* 3. *Ann.* 46. *quanto pecuniâ dites & voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles.*

[1] Lydos, quos bis subegerat, genterm bellacem, (proverbium hinc Græcorum: *Λυδὸν εἰς γύδιον παροκαλεῖς. Lydium in campum provocas*) omni luxus genere corrumpi voluit Cyrus.

[2] De Campanis Cicero agrar. 2. *Illam Campanam arrogantiam atque insolerandam ferociam majores nostri ad inertissimum & desidiosissimum otium perduxerunt. Sic & crudelitatis infamiam effugerunt, quod urbem ex Italiâ pulcherrimam non sustulerunt, quod nervis urbis omnibus exsectis urbem ipsam solutam ac debilitatam relinquerunt.* Excoluit artes has atque auxit Antoninus Imp. cùm multas ipse civitates adjuvit pecunia, ut opera vel nova facerent vel vetera reficerent; nec non ad liberalibus artibus studiendam juventurem Rhetoribus & Philosophis per omnes provincias salaria detulit & honores. Hinc Strabo l. 7. Geograph. *Nostræ ætatis vivendi ratio fere in omnes gentes propagavit mutationem morum in deterius, introductis luxu, voluptatibus, malis artibus & mille alium defraudandi artibus. Cujus corruptela magna pars etiam ad barbaros permeavit, cum alios, tum Nomades.* Cum Gothi Græciam victricibus suis armis devastassent, Atheniisque inventam magnam librorum molem igne comburendam existimarent, dissuasit unus, quòd *ea instrumenta servitutis essent.* Adde de Balack, Moabitarum Rege, *Numeror. XXV*, 16. *seqq.* Hoc mitissimum tyrannidis arcanum esse, scribit Forstnerus *ad l. Annal. Taciti*

XX. *(5)* Colonias miscent cum devictis populis. Præmia etiam constituunt, qui liberos plures inprimis masculos procreaverint. v. Ælian. *l.* 6. V. H. *c.* 6. Aristot. 2. *Pol.* 7. ubi de Spartanis. v. Pufend. *l.* 6. *c.* 1. §. 6. & 8. [1] eademque opera ac aliis artibus linguam suam propagant. [2] Credunt enim non duraturo contineri obsequio populum, qui in alterius transiit imperium, nisi in linguæ etiam societatem transierit, & experientiâ compertum est, dominantem linguam populorum insinuatam animis emollire servitutem, ipsamque pristinæ libertatis memoriam adimere.

[1] V ſupra *ſect.* 1. §. 34. conf. Tacit. XII. *Ann.* 35. Huc pertinet etiam inſtitutum Alexandri M. de quo Plutarch s orat. 1. de fortit. *Alexander M. quas verbis*, inquit, *non poterat armis adigens, omnes undique gentes in unum conduxit corpus, tanquam in amicitia cratera commiſcens vitas, mores, nuptias, victus, rationes: mandavitque ut univerſi mundum pro patria agnoſcerent, caſtra pro arce & præſidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis.* Conf. eund. *in vit. Alexandri M.* Conting. *ad Machiav. Princip. c.* 4.

[2] Suinmo ſtudio hoc egerunt Romani. Bene Auguſtinus *l.* 19. *de Civit. Dei c.* 7. *Linguarum*, inquit, *diverſitas alienat hominem ab homine. At enim opera data eſt, ut imperioſa civitas* (Romana) *non ſolum jugum, verùm etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponeret: per quam non deeſſet, imò & abundaret etiam interpretum copia.* Huc pertinet etiam matrimonium & religio. v. omnino H. Grotius *l.* 17. *hiſtor. p.* 566. Cùrabant ergo Romani, ut in provinciis plurimi latinè loquerentur, ita ut Hiſpanias & Gallias prorſus Latinas fecerint, veteribus illatum gentium linguis abolitis. In Senatu nullos audierunt legatos, niſi latinè verba facientes. Simile ſtudium hodie Gallorum eſt. *Cardinalis Riceliacus in urbe ac Academia ſui nominis artes & ſcientias omnes voluit doceri ſermone Gallico, ac ſic ejus ſermonis non minus quàm imperii prolatare limites.* Grot. *append. epiſt.* 519. v. Puſendorf. *l.* 17. *Rer. Brandenb.* §. 48. *ad A.* 1682. adde Piccart. *Dec.* 3 *c.* 10. Machiav. 2. *Diſſ. ad Liv.* 4. & 5. Boxhorn. *de origin. Gallic. p.* 80. St. Disdier *hiſtoir de negot. de Nimegue p.* 78. 79.

XXI. (6) Quos ſubjugare non poſſunt, in rempublicam diſſidiis opportunam transferunt. Sic Romani fœdus Achæorum diſſolvebant. & ſingulis rerum civitatibus αὐτονομίαν imperabant. conf. Xenophont. *l.* 4. *Græc. hiſtor. p.* 580. *ſequ.* ubi Antalcidæ conſilium & *l.* 5. *Gr. hiſt.**

* Ex recentiore hiſtoria adducit appoſitiſſimum exemplum Forſtner. *ad* 14 *Ann* 26.

XXII. Hinc (7) Diſſidia in externis civitatibus nata callidè alunt, atque interponunt arbitrium, donec utrinque ad arma perveniatur: quo poſtquam perventum, debiliori ſubveniunt, ſed lentis auxi-

liis,

liis, quo diſſidentes mutuis cladibus ſe atterant, & bellorum feſſi arbitrio ejus ſe permittant, qui diſſidia fovit. * Talia fere conſilia Tiſſapherni ſuggeſſit aſtutiſſimus Alcibiades apud Juſtin. 5. *hiſt.* 2. Jam ante Cyrus Perſarum Rex id ipſum egerat, ſpecie componendi inter Caros exorti belli, Caros univerſos ſubigens, atque interponens arbitrium. v. Pufend. *l.* 4. *rer. Brandenb.* §. 11. *ad A.* 1651. quemadmodum narrat Xenophon *in Cyropædia.* Nec diſſimile factum Philippi apud Juſtin. *lib.* 8. *hiſt. c.* 1. **

* Hoc conſilium, ſi caſſidè ſuſcipiatur, fructu carere non poſſe, ait Piccart. Dec. 6. *Obſerv. Pol* 2. conf. Jovium *in vit. Column. ſub memorabili exemplo,* & Rohan. *Trutin. ſtat. Europ. Part.* 1. *p.* 3. *&* 4. Adde Foiſtner. ad XII. *Ann.* 48.

** Hinc notum illud Taciti de Morib. Germ, *Maneat quæſo duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certè odium ſui.*

XXIII. (8) Præcipuum ad potentiam momentum arbitrantur, * ſi unus rerum temporumque dominus non ſuſpenſam aliunde vim in præſentaneos uſus expediat.

* Pertinet huc inſignis locus Euſtathii *ad* Ἰλ. β. Hiſpani imperii ſui munimentum in eo ponunt ſi nulli alii gentium dominorum relinqueretur. H. Grot. *l.* 8. *hiſt. p.* 372. v. Livium *l.* 45. *hiſt.* 18.

XXIV. (9) Bellorum quidem cauſam habent profundam imperii cupidinem, verùm variis eam prætextibus conveſtiunt. *Nam dominationis cupidi duobus nominibus belli & pacis quaſi nummis utuntur, non prout ratio poſtulat, ſed prout eſt ex uſu,* ut veriſſimè ſcripſit Plutarchus *in Pyrrho.* Gallici ſcriptores prætenſiones Regis ſui in univerſum prope mundum extendunt. Pufendorf. *l.* 10. §. 34. *l.* 18. §. 83.

XXV. Hinc (10) victis interdum tributa tantum imponunt, vel [1] eos in clientelam ſuſcipiunt, vel reip. ſuæ ſimili tradunt. Quod Ariſtoteles V. *Pol.* 7. illuſtrat exemplo [2] Athenienſium & La-

cedæmoniorum, qui de imperio Græciæ contendentes utrique civitates Græciæ, quantum in ipſis erat, ſibi conformare nitebantur, & Athenienſes quidem, quâ parte victores erant, Democratias, contra Lacedæmonii his everſis Oligarchias inſtituebant. Eâdem arte in ſubigendâ Græciâ uſi Romani.

[1] Pertinet huc fabula echini, ad leporis cubile precariò admiſſi, donec calefactus hoſpitem, à quo receptus erat, totum è cubili ejiceret.

[2] Idem de iisdem Xenophon *l.* 6. *hiſt. Græc.* docet, conf. H. Grot. *l.* 3. *de J. B. & P. c.* 15 §. 8. Forſtner, *ad* XII. *Ann.* 35. ubi recentiora exempla addit. Vocatum in Peruviano Imperio mos fuit, imperium pedet enim proferre & citra violentiam, alios potius manſuetudine imperii alliciendo, ut teſtatur Garcilaſſ. de la Vega *lib.* 2. *Comment. regior. c.* 19.

XXVI. (11) Procedente verò tempore in formam provinciæ eos redigunt. *Nam cunctis populis, qui dominandi libidine aguntur, ubi prima ſucceſſerunt, proximum ſocias nationes ſub leges trahere, præfectos & judices dare, imponere tributa, ut communium virium penes ipſos uſus ac arbitrium ſit.* H. Grotius *l.* 1. Annal. Belgic. Ariſtoteles III. Pol. 9. obſervavit, Athenienſes idem in Samios & Chios & Lesbios feciſſe: ſtatim enim, ut firmiter imperium adepti ſint, contriviſſe ipſos contra pacta. Regem autem Perſarum Medos & Babylonios & alios, qui magnos ſpiritus gerebant, quoniam antea imperium obtinuerant, ſæpe labefactaviſſe.

XXVII. (12) Ubi ab initio minus tutum exiſtimant, imperio abſtinere, declinandæ invidiæ cauſa victos aliis ſibi obnoxiis donant. Ars hæc Romanorum. *Mauros Juba Rex acceperat, donum populi Romani,* eſt apud Tacitum IV. *Ann.* 5. ubi multa annotavit Boccalinus, digna quæ legantur. In pace cum Ætolis apud Livium: *Oneada cum urbe agroque*

que Acarnanum ſunto. Alia exempla habet Cæſar 1. *de Bello Gall.* 28. & 7. *c.* 76. Grot. *in not. ad* 1. *de jur. B. & P. c.* §. 8. *n.* 7. Temperare etiam ita rem ſolent, ut aliquid imperii relinquant victis aut eorum Rectoribus : vel cum imperium omne victis eripiunt, ſaltem illis circa res privatas & publicas minores ſuas leges ſuosque mores & magiſtratus relinquunt : Cujus indulgentiæ pars eſt, avitæ religionis uſum niſi victis non eripere. Quæ omnia exemplis, * maximè Romanorum, illuſtrat H. Grotius *l.* 3. *de jure B. & P. c.* 15. §. 9. & *ſequ.*

* Romanorum ſingulare inſtitutum heic memorari meretur. Cùm provinciæ ſe ſubmitterent eorum imperio, moris erat, ut Imperatores publicarent δόγμα ſive edictum, cujus tenore primò ſibi vindicabant poteſtatem omnem & dominationem in eum, deinde de jure ſuo remittebant facta inſinuatione libertates populi ſubditi. Provinciæ horum privilegiorum honorem Imperatoribus reddere ſolebant hujusmodi agnitione. In memoriam gratiæ ab Imperatoribus factæ perpetuam omnia acta publica ab eo tempore computabant. Quod exemplo Antiochiæ libertate redonatæ à Cajo Julio Cæſare docet Joannes Antiochenus l. 9. Chronograph. MSS. apud Joann. Gregor. *not. & obſerv. ad aliquot loc. Script. c.* 36.

XXIIX. (13) Nonniſi neceſſitate ſummâ exigente veteres ſeſſores patriis ſedibus ejiciunt, & diſtractos in remotiora loca transferunt : nam vitæ communi & Chriſtianæ religioni id adverſari, ipſe Machiavellus judicavit : 1. *ad Liv.* 26. Exempla V. 2. *Reg.* XXIV, 14. XXV, 18. Philippi apud Juſtin. 7. *hiſt. c.* 5. ubi Bernegg. Liv. *l.* 40. *c.* 3. Pompeji apud Florum *l.* 3. *c.* 6. *n.* 14. & Auguſti *l.* 4. *c.* 12. *n.* 59. Darii apud Nepot. *in Miltiad. c.* 4. conf. Freinshem. *ad Curt. IV. c.* 8. §. 5. & 7. *c.* 5. §. 28.

XXIX. (14) * Pace quoque & inprimis fœderibus aliisque pactionibus ad latam dominationem

parandam utuntur. Hinc fœdera clientelaria etiam ultrò invalidioribus offerre ſolent ; quin imò imperium in alios cupientibus aliquando inter artes eſt, ſe pro patrono gerere, clientesque ſuos jactare, qui de patrocinio nunquam pacti ſunt. ut prudenter annotavit Bœclerus *de potentia civitatum*.

* Non ignota noſtris temporibus ars, vix primô ictu illatô, de pace ſermones jacere : ita enim ad pacifici animi laudem aſpiratur, & belli ſimul commoda percipiuntur. Juno de Trojanis, ut eos redderet inviſos, ajebat apud Virgilium l. X. Æneidos:

Pacem orare manu, prætendere puppibus arma.

Bellè Sadus in Roſario politic. c. 8. *Hoſtis, tentato omnium artium fruſtra genere, amicitiæ vinculum contrahit: atque tum ſub amicitiæ imagine ea agit, quæ hoſtis efficere non potuit.* Veriſſimè quoque Vegetius 3. de re militar. 3. *Frequentius conventionum pacisque ſimulationem credulis, quàm arma nocuiſſe.*

XXX. (15) Porrò emtiones proponunt, pretium offerunt, quo occultius in alienas regiones graſſentur, rapturi quod non conceditur. V. Forſtner. XII. *Ann.* 29.

XXXI. (16) [1] Auro ſibi devinciunt ſupremos exterarum civitatum miniſtros. V. Forſtner. XII. *Ann.* 44. *p.* 308. Eodem pertinet, [2] exteris eruditis liberalem ſe præbere, [3] eosque indigenis etiam antehabere.

[1] Penſiones vocant hodie. Artem hanc Principibus hodie nimis receptam dicit Lipſius IV. *Polit.* 14. §. 37. *ſequ.*

[2] Cum enim tales rerump. harum artes facile intelligant, & apud alios eloquantur, hac ratione iis os obturandum eſt.

[3] Hoc malè habuit Hadrianum Valeſium in Gallia, auſum ſcribere ad Regem ſuum :

Sol orbis alter, qui benignus illuſtras,
Foris Batavum limitem, arva Germana,
Italique longè liberalis affulges:
Jubar remotis Gentibus ſalutare,

In ex-

In exterorum ſidus inclytum terris:
Solitumne Francis ſubtrahet tuis lumen,
Qui ſæculi, qui decora ſunt Camœnarum,
Propiore poſſis quos fovere fulgore?

XXXII. (17) Pecunias mutuo accipiunt ab externis civitatibus. Ita Carolus V. Genuenſis civitatis frœnandæ optimam rationem judicavit, ſi Genuenſium pecuniam, quâ fere eorum opes conſtant, grandi fœnore paſceret; ſic enim brevi fore, ut hominum, quæſtus dulcedine illectorum, opes ſenſim ad ſe contraheret, & ita urbem in ære ſuo, hoc eſt, civium ſtudia in poteſtate haberet. Patris exemplum ſecutus eſt Philippus filius.

XXXIII. (18) Affinitatibus alios illaqueant. *Nobile inventum*, ait Schæffer Exercit. 7. ad Liv. §. 20. *quod olim latuit occultius, nunc ipſo frequente uſu ſuo ſatis cœpit eſſe notum. Et ſunt Principes in mundo, qui non alia ratione magis imperium amplificant. Neque promptius remedium diſſociandi concordantes ante animos, quàm hoc matrimonii & affinitatum.* Philippus H. R. filiam majorem Iſabellam Claram Eugeniam nomine domi ſervabat, quo plures ſpe tanti matrimonii ineſcaret. Grotius *l. 6. hiſtor. p. 303.*

XXXIV. (19) Præmia varia conſtituunt, quibus virtutem militarem exacuant. *Nam in omnibus populis, qui vim habent ſubigendi aliquos, virtus bellica honorem conſecuta eſt: ut in Scythis, Perſis, Thracibus & Gallis.* ait Ariſtot. *VII. Pol. 2.* Addit: *Apud quosdam & leges quædam exacuentes ad hanc virtutem. Quemadmodum Carthaginæ ajunt, capi ornatum ab annulis pro expeditionibus, quas aliquis obierat. Erat autem quondam & in Macedonia lex, ut capiſtro cingeretur, qui nullum hoſtem interfeciſſet. Apud Scythas ei, qui nullum interfeciſſet hoſtem, ex*

poculo, quod feſto quodam die in orbem propinabatur, non licebat bibere. Apud Iberos ſive Hiſpanos bellicoſam gentem obeliſcos (ſunt columnæ in cacumen faſtigiatæ, quæ poni ſolent in ſepulcris) *tot numero circa tumulum defigebant, quot quis hoſtes interfecerat.* Athenis, ut in aliis civitatibus, fuit lex, ut liberi eorum, qui in bello occubuiſſent, è publico alerentur, ut idem Ariſtotel. notavit *II. Pol. 6.* v. Pufend. *8. 2. 1. in fine.* De Lacedæmoniis v. Ælian. *6. V. H. c. 6.* ubi Kuhnius *in not.* Triumphi apud Romanos deſcriptio eſt apud Appian. *de bell. Punicis libro p. 58.*

* Adde Romanorum inſtituta, quæ prolixè explicat Polybius *l. VI. hiſtor.* Apud eosdem Tribuni aureos annulos, vulgus militum ferreos geſtabat. Appianus Alexandr. *libro de bellis Punicis.* Ante aliquot ſecula in plerisque Europæ partibus dignitas Equeſtris eundem ſcopum habuit. In Galliâ S. Spiritus, in Angliâ Periſcelidis, in Daniâ Elephantis. Et nunc collegia Equitum. Bene Grotius *l. 1. Ann. Belgic. pag. 15.* de Burgundiæ Ducibus: *Inſtitutum & collegium aureæ pellis nomine, quo aſcitos, ut genere illuſtres & meritis ſpectabantur, decus ſibi & præſidium Principes circumdederunt.*

XXXV. Coronidis loco obſervandum, civitates hujusmodi olim facilius finem ſuum aſſecutas eſſe, nec tantis artibus opus habuiſſe. Alexandrum M. *Aſiæ imperium uno cum Dario prælio rapuiſſe*, ait Juſtinus. Ipſe Alexander apud Curtium *Bello*, inquiebat, *vicerimus, ſi vicimus prælio.* At hodie difficilimè eô potiuntur; cujus præcipua cauſa, accurata muniendorum locorum ratio, & pulveris pyrii inventum, quod univerſum militiæ genus immutavit. v. Marnix *reſolut. Polit. ſect. 8. c. 6.* Forſtner. *ad II. Ann. Tacit. p. 283. ſequ.* H. Grotius *l. 6. hiſtor. p. 294.* Mauritius decem jam per annos Imperator primum acie conflixit. H. Grotius *l. 6. hiſtor. ad A. 1597. p. 278.*

SECTIO

SECTIO UNDECIMA.

DE CIVITATIBUS, QUÆ LUXUM AUT DIVITIAS PRO SCOPO HABENT.

I. CIVITATES, QUÆ LUXUM ET VOLUPTATES NUMEN SUUM FACIUNT, pessimè se habent.
II. CIVITATES, QUÆ DIVITIAS PRO SCOPO HABENT, etiam ex hypothesi optimæ esse queunt.
III. Harum MALA à subjecto reip.
IV. Et formâ.
V. REMEDIA ratione subjecti,
VI. Et formæ.

§. I.

CIvitatum, quæ summam felicitatem in luxuriâ ponunt, mala sunt maxima; inde enim impietas, neglectus publicæ & privatæ rei, prodigentia in duos illos divitiarum gurgites, victum atque vestitum, præterea in res exoticas, & insanas ædium substructiones; hinc avaritia, & demum interitus reipublicæ. De Romanis Lucanus l. 1. Pharsal.

Non auro tectisvé modus, mensasvé priores
Aspernata fames.

Ingeniosa gula est, ut ait Petronius. Seneca consolation. ad Helviam c. 9. *Undique convehunt omnia nata fastidienti gulæ. Quod dissolutus deliciis stomachus vix admittit, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt ut edant, edunt ut vomant; & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* De Batavis, apud quos cultus victusque nimia & supervacua, nullis legum habenis, secuti ditiores, mox nentiquam pares pudore paupertatis in eadem traxerant, (1) H. Grotius l. 5. Annal. Belgicor. ad A. 1588. *Batavorum*, inquit, *prisca fortisque simplicitas & casta munditiæ in luxum vertebant, ærario qui-*

quidem vectigalem, at moribus pernicioſum: quippe quo avaritia, malum vetus, in audaciam impellitur, nec ſinit meminiſſe victas eſſe gentes, quæ eum vivendi modum tradidere. (2) Accedit, luxum ne quidem rebus adverſis aut in bellis mutari, imò interdum magis invaleſcere. Valer. Maximus l. IX. c. 1. *Blandum etiam malum luxuria, quam accuſare aliquanto facilius eſt, quam vitare.* Minus quidem nocet, ſi Rex tantum ſe luxui voluptatibusvè mancipaverit, nec hoc tamen caret periculo. v. Ariſtot. *V. Pol. 10. p. 361.* Hinc gravis illa admonitio in proverbiis Salomonis *XXXI, 4. & ſequ.* conf. Eccleſiaſten *XI, 16. 17. 18.*

(1) Conf. Reidanum *l. 15. Ann. Belgicor.* de iisdem temporibus, ubi inter alia memorat, Wormeræ, qui Hollandiæ pagus eſt, mulieres amylo parando quæſtum facientes ſingulis hebdomadis tricenas tritici vehes conſumſiſſe, & Amſtelodami unum, eandem artem exercentem, pari ſpacio ternas vehes.

(2) Obſervavit hoc prudenter Ulric. Huber. *prælect. ad tit. D. commodati. §. 3.*

II. At civitates, quæ divitias pro ſcopo habent, etiam ex hypotheſi optimas eſſe nihil vetat, ſi modo abſit, quod Seneca dixit ep. 115. *Ad mercedem pii, ad mercedem impii ſumus.* De Tyro Jeſaiam *c. XXII, 9.* qui pecuniam diligit, non manebit innocens. Siracid. *XXXI, 5.* Salomon *proverb. XXIIX, 20. 22.*

III. HARUM MALA, præter Numinis iram variis ex cauſis provocatam, veniunt potiſſimum vel à ſubjecto civitatis, vel à formâ, hoc eſt, republicâ. A ſubjecto, ſi (1) mercatorum & opificum (qui quaſi columnæ ſunt harum civitatum & mercatura inferiorum artium eſt nutrix, H. Grot. *l. 5. p. 113.*) non ſit numerus ſufficiens (2) Inter eos regnent tres illæ peſtes commerciorum, monopolium, polypolium,

lium, propolium. Adde Forſtner. *ad XVI. Ann. p. 334.* ubi qui imbelles. (3) Si cives ſint prodigales (ut Bœoti, quorum civitatem dicit Eubulus *in Europâ*,

Πόλιν
Ἀνδρῶν ἀείσων ἱσίειν δι ἡμέρας,
Virorum edere ſtrenuorum totum diem,)

& inertes (4) Regio ſit mediterranea, nec dotata vel natura vel arte illis rebus, quæ exteros attrahant. Uſu compertum eſt; majores urbes ſua incrementa debere magis poſitûs opportunitati quam plebis. Imò ipſâ natura deficiens cognita neceſſitate induſtriam excitat acuatque; & quod extra naturæ confinia vix poterat eſſe modicum, ſi natura negat, facit induſtria maximum. Ita Hieronym. de Marinis *deſcript. reip. Genuenſ. compend. c. 3. ſect. 2.* (5) Rebus importandis aut exportandis nimia imponantur ônera (6) Res quæ exportantur ſint vitioſæ. (7) Contractus ſint multis captionibus obnoxii & infringi faciles.

* Brugarum Civitatis, rarius A. 1576. habitatæ, cauſam adſcribit Thuanus *l.* 1. *de Vita ſuâ*, injuriæ Maximiliano Cæſari ante centum annos factæ, & tunc inultæ, quaſi laneis pedibus incedente vindictâ. v. 1. *ad Timotheum VI*, 9.

IV. A formâ malum eſt, ſi respublica ad tyrannidem aut dominatum vergat, & commercia non à certis legibus, ſed ab arbitrio aulicorum pendeant. Porro ſi exteri ſint æmuli.

V. REMEDIA à ſubjecto ſunt * ſi (1) cives, incolæ aut advenæ quicunque libertate conſcientiarum gaudeant, & quamcunque iis religionem, modo reip. non adverſetur, profiteri liceat, v. H. Grot. *l. 5. Ann. Belgic. ad A. 1588. p. 113. & l. 2. Ann. p. 43.* porro quicunque in eam concedentes confugientesque ſecuritatem ſibi certò polliceri poſſint. (2) Cives & in-

& incolæ à pueris laboribus assuefiant, & à luxu bonæ educationis operâ abducantur; dein validi mendicantes & fures in ergastula recondantur; postremum bonis legibus & societatibus institutis, monopolia, propolia, polypolia expellantur. v. de societate Indicanâ H. Grot. *l. XI. histor. p. 429.* Huc pertinent etiam Flandriæ Civitatum instituta, de quibus ita Nicolaus Burgundus l. 3. Histor. Belgic. ad A. 1565. *In Flandriæ civitatibus, ne cives socordiæ amore de industriâ aliquid remitterent, annuamque prædiorum pensionem otiosi expectare, quàm suis laboribus vivere vellent, vulgo fas non erat, extra pomœria fundos acquirere.* Adde omnino Temple *d. l. p. 316. sequ. Juri quoque civitatis renunciare nemo poterat, nisi decimam facultatum suarum partem reip. relinqueret. Adhæc diligentissimè cautum erat, ut defunctorum facultates pro æquali portione ad heredes transirent. Quibus maximè rebus effectum est, ut liberi paternis artibus instituti, ad industriam, fœcundissimam virtutis matrem, assuerentur. Hinc artificum vis ingens & frugalis opulentia, nullo luxu aut mollitie fracta.* conf. idem *tract. 13. ad Consuetud. Flandr. num. 39.* (3) Regio sit maritima. Verè enim Censorinus apud Appianum Alexandrinum de bellis Punicis: *Mare suapte natura omnes invitat ad avaritiam propter proventus expeditos & celeres.* Quod si etiam fieri possit, flumina aut maria (v. de Rege Galliæ duo maria jungente *Journal des Sçavans ad A. 1681. p. 223. sequ.* ubi ait, spumis undecim dierum transiri posse ab uno mari ad aliud) conjungantur, & terra canalibus reddatur permeabilis. De Hollandia Grot. *l. 2. Ann. p. 39.* Ager omnis Hollandiæ multis amnium brachiis, lacubus & fossis manu ductis interscissus. v. de Sasostre Pufendorf. *l. 7. c. 9. §. 11.* Temple *d. l. p. 332.* (4) Splendida ædificia

ex-

extruantur, ſpectacula exhibeantur, ad quæ viſenda externi confluant. (5) Rerum, quæ invehuntur vel exportantur, onera ſint levia. De Hollandis H. Grotius lib. 5. Ann. Belg. ad A. 1588. *Agri, ædes, annona, veſtis, capita, nihil immune: quanquam mercaturæ præ cæteris parcebatur, regentium ſtudiis; tum ne maximum atque inſtabile commercium aliò pelleretur.* Nimirum commercia plerumque eò tranſeunt, ubi minimum exigitur. Idem Flandricarum Civitatum fuit inſtitutum. Certe in imponendis oneribus reſpiciendum ad vicinos. v. Mevius *p. 5. Dec. 175. ſequ.* (6) Gravibus mulctis in illos animadvertatur, qui vitioſas merces exponere, exportare aut vendere audebunt: hinc notæ publicæ ſive γνωρίσματα talibus mercibus imprimantur, ut apud Anglos & Hollandos. (7) Rerum publicâ auctoritate venditarum ſtabilis ſit poſſeſſio; res commodatò datas aut depoſitas ab earum emtore vindicare, aut mobiles pignori ſuppoſitas à priore creditore actione hypothecaria perſequi non liceat: hinc proverbium eſt apud Belgas: *Res mobiles non habent ſequelam;* tempora uſucapionum & præſcriptionum ſint contractiora, Eyben. *ad t. p. 189.* contractuum ſancta ſit fides, nec uxores creditoribus anteferantur, fœminis etiam fidejuſſionibus ſe illigare liceat. Quod in Galliâ ab Henrico M. prudenter fuit conſtitutum. V. Moriſotum *in ejus vitâ c. 47.* Adde de Antwerpiâ Stockmann. *Deciſ. Brabant. 142.* de aliis Civitatibus Mevium *part. 3. Dec. 123. num. 9. & ſequ.* Utiliſſimum quoque eſt collyborum (quos Bancos vocant hodie) inſtitutum, ut in iis pecuniæ tutò deponantur, nec minus ſolutio facilis ſit & expedita. Exemplo ſint Bancus Venetus, Antwerpianus, Amſtelodamenſis, Hamburgenſis. v. de banco Amſtelodamenſi Templium

p. 151.

pag. 151. seqq. Huber. *ad tit. D. disposit.* §. *11. pag. 550.*

* Pleraque hæc, quæ sequuntur, illustrati singulatim & pluribus posunt ibstituris Hollandorum. Sed videat, qui volet, elegans in vernacula nostra scriptum, cui titulus: Politische Staats-Maximen von Holland/ Equitis Templii *Commentarium de statu fœderati Belgii cap* 6. Cum populis aliis agere, ut sibi solis merces quasdam vendant. v. Grot. *l. XI. histor. p.* 427.

VI. A formâ remedium est, si (1) populus republicâ aristocraticâ aut populari utatur. Ut constat exemplo Tyriorum, Carthaginensium, Atheniensium, Syracusanorum, Rhodiorum, & hodie Venetorum, Hollandorum. Verè de Romanis Sallustius in Catilinâ c. 7. *Exactis Regibus homines magis ingenium in promptu habuisse, & se suaque magis extollere cœpisse.* Quanquam & sub regno temperato florere possint commercia, modo consiliis & judiciis præficiantur mercatores vel mercaturæ periti, illorumque fautores adhibeantur, documento esse queant Belgæ sub Ducibus Burgundicis & Domo Austriacâ. v. Temple *d. c. 6. p. 318. seqq.* (2) Fœdera cum externis ineantur, apud eosdem legati perpetui habeantur (Consules hodie vocant) qui dissidia inter mercatores suæ nationis orta vel oritura componant; v. H. Grotius *l. 7. p. 310. hist. Belg.* æmuli vel hostes apud alios populos in odium adducantur. Hollandi præterea in usu habent, cùm suas prius naves onerarunt, corrumpere merces, etiam à Barbaris emtas, v. Pufendorf. *l. 5. c. 1.* §. *6.* ne easdem alii populi nanciscantur, ut de iis tradidit Templius *dicto commentar. c. 6.* * Iisdem imputatur, quòd aliarum gentium amicas licet naves supprimant.

* V. Souche de Rennefort *memoires part.* 1.

SECTIO

SECTIO DUODECIMA.

DE REBUSPUBLICIS HERILIBUS.

I. HEriles resp. nec ex voto, nec pletunque optimæ ſunt.

II. MALUM eſt (1) populus dominationi herili infeſtus.

III. (2) Dominatio nimis herilis.

V. (3) Miles mercenarius aut externus.

V. REMEDIA (1) resp. heriles facilè conſervantur, ſi populus ingenii eſt herilis & ab omnibus liberalibus exercitiis abſtinetur.

VI. (2) Si populus moderatiore imperio tenetur.

§. I.

HEriles respublicæ ſingularibus modis & pereunt, & conſervantur. *Sunt enim heriles etiam ſcientiæ.* ut docet Ariſtot. *I. Pol. 4.* Notandum autem hujusmodi respublicas nec ex voto, neque plerunque eſſe optimas; inprimis ſi intueamur homines è ſtatu naturali exeuntes, animo ingenuo ac liberali, adeoque ſervitutis impatientes. Imperium enim liberorum pulcrius eſt imperio herili magisque cum virtute. Ariſtot. *VII. Pol. 14.* Quanquam nihil vetet, familiaria imperia interdum ex hypotheſi eſſe meliora, nempe * ſi populus ingenio ſit ſervili, vel aſſueverit dominatui. Verè enim Plautus in Trinumo: *Nota mala res, optima eſt,* & Campani apud Livium l. 23. c. *Notiſſimum quodque malum maximè eſt tolerabile.* conf. Ariſtotel. *I. Rhetor. 10.* Aut illi, qui dominantur, adeo ſint potentes, ut populus dominatum non poſſit excutere ſine ſummo ſuo damno. *Nam plerique* (dominantium ſc.) *exiſtimare videntur, herilem poteſtatem cum civili eandem eſſe, & quod ſinguli ſibi ipſis juſtum eſſe aut utile inſiciantur, id ipſum in alios exercere non erubeſcunt.*

Nam ipſi quidem ut juſtè in ſe imperetur, quærunt, in alios autem nullam curam de rebus juſtis ſuſcipiunt. Ariſtot. *VII. Pol. 2.* Bonum in hujusmodi rebus p. eſt, quod in iis raptores & depravatores nummorum raro deprehendantur. v. *l'Eſtat du Royaume de Danemarck p. 267. ſequ.*

* Exempla talium populorum *V. part. 1. ſect. 11. §. 5.* & apud Grotium *l. 1. de Jur. B. & Pac. c. 3. §. 20. & in not. In Italia*, ait Hubertus Languetus ep. 34. ad Sydneum A. 1574. *laudantur ii, qui diſſimulare ſciunt, qui ſciunt aſſentari & in potentum gratiam quibuscunque modis irrepere, & ſe ad eorum affectus ita attemperare, ut quicquid ſuggeſſerit ſplendida bilis ei, cui ſemel ſervire decreverunt, id ſit ipſis ſanctum, proque eo, ut pro aris & focis, pugnandum cenſeant. Imo poſtquam longâ ſervitute fracti ſunt eorum animi, quascunque indignitates & contumelias libenter perferunt, modò pecunia & turpes voluptates ipſis non eripiantur: & ſecum præclarè agi exiſtimant, ſi is, à cujus nutu pendent, eos interdum, ut ait Pöëta, clauſo labello reſpiciat.*

II. Malum eſt (1) Si populus infeſtus dominationi. Hinc Ariſtoteles *VII. Pol. 2.* abſurdum dicit, ſi quis velit heriliter imperare illis, qui naturâ non ſunt ſervi.

III. (2) Si ſunt nimis heriles. * *Hinc multæ oligarchiæ, quia dominationes ipſæ valdè heriles erant, etiam à quibusdam ſociis ejus ſtatus ſtomachantibus everſæ ſunt; ut quæ Cnidi & in Chio extitit paucorum dominatio.* Ariſtot. *V. Pol. 6.* v. omnino Loubere *du Royaume de Siam part. 3. c. 14. p. 411. ſequ.* Grot. *l. 16. Inſt. p. 508.* de Americæ quibusdam populis: Indigna libertate ingenia, quæ tamen ſervitium aſperum indignarentur, molle contemnerent.

* Ingenia ſervilia, quanquam fræno dominatus retineantur, tamen cum nimia injuria affecta ad deſperationem adiguntur, in deſperatione fiunt ſæviora, ut exemplis ex hiſtoria Moſcovitarum aliorumque poteſt demonſtrari.

IV. (3) Miles externus, aut conductus. *Nam domini, cùm fidem nullam habent populo, coguntur uti mili-*

militibus mercede conductis. Hinc paucorum dominatus & pacis & belli tempore mutantur. ut amplius docet Aristotel. *d. l.*

V. Remedia sunt hæc (1) Facilè quidem conservatur dominatus, si populus ingenii est servilis, & ab omnibus liberalibus exercitiis abstinetur. Ut nunc in Moscoviâ, olim in Ægypto; ubi Thaamus, qui Thebis Ægyptiis imperavit, literariam artem in regnum induci vetuit. Quod de Arithmeticâ etiam, & Geometriâ, atque Astrologiâ judicium ejus fuit. V. Plato *in Phædro.* Si tamen magna dominatoris est potentia, nihil obstat, etiam sic lentâ assuetudine populum erectæ indolis reip. huic fieri idoneum, ut nunc in Turciâ & Galliâ.

VI. (2) * Populus clementer habeatur, præbitis ipsi ad rem faciendam mediis, nec injuriis irritetur. Huc tendunt ferè quæ de oligarchiis herilibus sparsim inculcavit Aristoteles: Oligarchias aristocratiæ nomen affectare, quæ tales non sunt. *IV. Pol. 7.* In iisdem populum dicis gratiâ ad concilia admitti, nonnisi deliberandi aut comprobandi facultate ei concessâ. *IV. Pol. 14. & 15.* Item oligarchis sub mulctâ præcipi, ut conciones frequentent, magistratus gerant, causas dijudicent, arma habeant, atque exerceant; reliquis, si secus faciant, id impune esse. *IV. Pol. 9. & 13.* Item oligarchos sumtuosa obire munia, & magnifica struere opera atque monumenta, ut populus urbem aspiciens ornatam, libenter videat remp. stantem, & oligarchi suspicionem quæstus à se amoliantur. *VI. Pol. 7.*

* De Belgis pronunciabat Carolus V. *nullos esse populos* (modo paternè habeantur) *qui servitutis nomen magis exterminent, magis patiantur,* teste Famiano Strada.

SECTIO TERTIA DECIMA.

DE DYARCHIIS ET CONDOMINATIBUS.

I. HOc genus reip. nec ex voto nec plerunque eſt optimum. *Primum* ejus *malum* eſt communio, mater diſcordiæ.

II. *Alterum*, inæqualitas condominorum.

III. *Remedium primum* & præcipuum, accuratæ leges ſive pactiones.

IV. Alterum, ne liceat condomino partem ſuam in exterum, maximè potentiorem, transferre.

§. I.

CIvitatum hoc genus nec ex voto, nec plerunque eſt optimum, propter mala, quæ ei imminere ſolent, inter quæ primum & præcipuum eſt, communio, mater diſcordiæ & litium. Ut experientia abunde comprobat. Lydus quidam Cræſo fratri partem imperii concrediti dixit: Omnium in terra bonorum auctorem ſolem vidis: ſi geminarentur ſoles, periculum eſſet, ne omnia conflagrarent. Stobæus *ſerm. 45.* Freinsh. *ad Phædr. p. 8.*

II. Alterum eſt inæqualitas inter condominos: inde enim fit, ut qui plus poſſunt, plura quam oportet, ſibi ſumant: Inde porro metus & diffidentia.

III. Remedium eſt primum & præcipuum, accuratis legibus, quæ apta ſunt diſſidia parere, eliminare, easque leges clauſulis, quæ præſcriptionem omnem excludant, communire.

IV. Alterum eſt, * ne condomino liceat partem ſuam in exterum, eumque potentiorem, quocunque titulo transferre.

* Hoc præceptum commendat Killinger *de Ganerbiis caſtror. diſcurſ. 7. n. 42. & ſequ.* Nicol. Betſius *de pactis familiar. illuſtr. c. 4. §. 15.*

SECTIO QUARTA DECIMA.

DE REBUSPUBLICIS MIXTIS.

I. REspubl. hæ nonnisi ex hypothesi sunt optimæ.
II. Earum MALUM.
III. REMEDIA.

§. I.

HUjusmodi resp. neque ex voto neque plerunque sunt optimæ. Nam quod Zeno apud Laertium *l. 7. in ejus vitâ* optimam dixit rempublicam, *μικτὴν ἔκ τε δημοκρατίας καὶ βασιλείας καὶ ἀριστοκρατίας*, ad temperamentum referri debet, quod cum mixtione non confundendum, ut supra docuimus *part. 1. sect. 6. §. 19. & sect. 11. §. 8.* Tacitus observavit IV. Annal. 33. *Delectam ex pluribus & constitutam reipublicæ formam laudari facilius quàm evenire, vel si evenit, haut diuturnam esse posse.* Cicero *l. 2. de Rep. apud Non.* Statuo optimam esse remp. quæ ex tribus generibus illis regali optimo & populari conflata modicè. Idem sensit Polybius *l. 6. de Rep.* Molesworthus Anglus causam mutati regni Danici in absolutam monarchiam unicè tribuit nobilium insolentiæ & asperitati, qui omnia onera in reliquos regni cives devolvere, & ipsos mancipiorum instar tractare non dubitarunt. Neque alia fuisse occasio videtur mutationis similis, quæ in Suecià accidit sub Rege Carolo II. quam in rem extat libet Gallicè scriptus & in Belgicam etiam linguam translatus, qui status præsens Sueciæ inscribitur. Neque aliam intentionem habuisse videtur Molesworthus libro illo quam modo memoravi quam ad Anglos conterraneos suos moneret, ut erga inferioris sortis cives æquitate & lenitate utantur, i.e. unum dominum absolutâ potestate gaudentem, quam multos ferre malint.

II. Malum eſt, metus perpetuus, ne pars una imperii compos alteram ſupplantet, & ſummam rerum ad ſe trahat, præſertim ſi respubl. ex regio & alio, ſive ariſtocratico ſive populari ſtatu, mixta ſit. (1) Quanta ſanè regiis ingeniis cupido incedat, ſubruendi leges, quæ vim potentiæ infringunt, inſignes Principum aut populorum ruinæ (2) vetera ac nova documenta extant. v. de ruinâ Nobilitatis Danicæ *l'Eſtat du Danemarck p. 88.* Hinc experientia docet, hujusmodi respublicas in perpetuo fere motu eſſe, prævalente mox hâc mox illâ parte, nec unquam ſatis concordem potentiam, quæ ad unum aut plures aut omnes tota non pertinet.

(1) Fato Tarraconenſis in Hiſpania populi id docet H. Grotius *l. 2. hiſtor. Belgic ad A. 1592.* Leges, quas ille Regibus præſcripſerat, firma olim munimenta fuiſſe ſcribens, *dum Principibus æqui reverentia, aut nulla vires, queis peccata tuerentur.* Apud eundem l. 1. Ann p. 5. de Hiſpanis: *Aſſentando validiores irridere vanam imperii imaginem, ubi magiſtratus populi eſſet beneficium, ubi vix tamen magnas ad res pecuniam Principes elargirentur.*

(2) De Rep. Romana Tacitus II. hiſtor. 38. *modo turbulentos Tribunos, modo Conſules prævalidos* fuiſſe. Adde de Rep. Romano-Germanica H. Conring. *annotatis ad præfat. Lampadii in fine.*

III. Remedia ſunt (1) accuratis legibus definire, quæ jura imperii ad unam, & quæ ad alteram partem pertineant. (2) Nullam in iis nec minimam mutationem permittere. Quod optimum Ariſtotelis περὶ τῦ μικρῦ conſilium *V. Pol. 8. princip.* in hujusmodi rebusp. maximè valet. (3) Lege conſtituere, ut Rege pacta violante, ſive in jura non ſua involante, populus fidei & obſequii vinculo liberatus ſit, donec demantur injuriæ. (4) Lege præcavere, ut ne Rex bona immobilia Nobilium ære comparandi jus habeat. (5) Concilium ex delectis Nobilium vel populi Regi circumponere, abs quo is in præcipuis

puis reip. negotiis nihil poſſit. Eſt & illa (6) prudens Poloniæ lex, ut Rex ante Comitia vacantes dignitates & magiſtratus conferat, ne ſpe conſequendarum dignitatum illectos in partes ſuas pertrahat & ſuffragiis vincat. (7) Hæc omnia jurejurando confirmanda curare. Quam tamen cautionem labes ferme temporum fecit inutilem.

(2) Neque enim minimum videri debet, quod facilis; quod Regi magis indies blandientis, quod denique in majoribus nocituri eſt exempli. Si tamen neceſſitate, quam prætendere ſubinde Reges ſolent, non bonum exemplum expreſſum eſt, ea remota id damnetur ſtatim & tollatur.

(3) Legis hujus exemplum eſt apud Diodorum Siculum *l.* 3. *Bibliothec. c.* 47. In Polonia Stephanum Poloniæ Regem promiſiſſe, ut, ſi ulla in parte jura, libertates, privilegia populi Polonici violaret, ab omni jure, quod in regno habebat, excideret, & Proceres à fide & obedientia, quam ei legitimo Regi debetent, ſolverentur, narrat Thuanus *l.* 62. *ad A.* 1575. conf. Piaſecium *in Chronico ad A.* 1607. ubi ſcribit, Sigiſmundo Rege latam legem, quam circuitu multiplicium monitionum ambiguo articulum illum circumſcribens enervaverit & pene abrogaverit. Add. Paſtor. *l.* 4. *hiſtor. Polon. plenior. p.* 226. Similis quondam Brabantorum fuit lex ſive pactum cum Principe, ut refert H. Grotius *l.* 2. *Annal. Belgicor. ad A.* 1572.

(4) Talem in Daniæ regno Conſtitutionem ſalutarem fuiſſe, notavit Joann. Iſaac. Pontanus *Chorograph. Daniæ deſcriptione* cauſam adferens: ne forte inter Regem ac regni Proceres hac de cauſa lis ac diſſenſus oriretur, & emere Rex vellet, quæ vendere nollent Nobiles. Adde & illam: ne regiæ partes hujusmodi emtionibus nimium augerentur, Proerum minuerentur. Similis quoque hodie Polonorum lex eſt, ut ſupra *ſect.* 5. §. 22. ex Piaſecio docuimus.

(5) Hoc inſtitutum in Polonia adhuc hodie eſt; antehac in regno quoque Daniæ & Sueciæ fuit.

(7) A. *hiſtor. Concil. Tridentini l.* 1. obſervavit: Add. eundem *l.* 5. v. Pufendorf. *l.* 4. *c.* 2. §. 5. Sede Papali vacante, ſolere Cardinales capita quædam reformando Pontificio regimini in formulam redigere, quæ ſinguli ſe exactè obſervaturos jurent, ſi forte ipſi Pontificatum obtineant; licet omnium ætatum experimentis teſtatum ſit, nemini propoſitum jura-

mento ſtare, quod ſtatim ab electione in Pontificem profiteantur, ſe non potuiſſe obligari, vel ipſa aſſumtione in Pontificatum ſolutos ſacramenti religione. Belgæ fœderati apud H. Grotium *l. 3. Annal. Belgic. ad A.* 1579. ajebant: *Nullum ad tutandam libertatem infirmius munimentum eſſe regio jurejurando.* Idem *l. 1. Annal. ad A.* 1567. aliorum fide tetulit, Philippo Hiſpanorum Regi à Romano Pontifice factam jurisjurandi gratiam, quo impetium iniens legibus ſe obſtrinxerat. Similia exempla Germaniæ Epiſcopatus non ignorant. à Kochovv *cl. 1. Ann. Pol. l. 1. ad A.* 1648. Pacta conventa dicimus inter Regem & ordines, quæ legati Regis fiduciaria poteſtate de toto & inſolidum implenda interpoſito ſponſionis juramento promiſerunt. Et hic eſt apud nos aurus ille Spartanus inter regnantem ac ſubditos, hoc veterrimum liberæ gentis arcanum: Poſſe Polonos ſub Regibus eſſe, non poſſe ſine legibus.

SECTIO QUINTA DECIMA.

DE REBUSPUBLICIS PATRIMONIALIBUS.

I. REſPUBLICÆ PATRIMONIALES ſubditis plurimum incommodant.

II. EARUM MALUM, ubi ultima voluntate de iis diſponitur, eſt multiplex.

III. Nec caret periculo, ſi conventione ad tempus alienentur.

IV. REMEDIUM ratione teſtamentorum,

V. Et ratione conventionum.

§. I.

REſpublicæ hæ ſubjectis plurimum incommodant: inde enim fit, ut mox huic mox illi, etiam externo, ſubjiciantur, aut alterius populi fiant acceſſio.

II. MALUM earum eſt, ubi de iis ultima voluntate diſponitur, ut teſtamentum vel falſum ſupponatur; vel à moribundo aut per blanditias extorqueatur; vel poſt mortem ſupprimatur aut oppugnetur; vel denique ſucceſſor nominatus imperium habere,

habere, quàm expectari malit. * Exempla ſuppeditant hiſtoriæ, etiam in Germaniæ profanis Principatibus. Joannes Laurentius Papogada unius Reginæ Bonæ Poloniæ vid. conſiliorum ſequeſter eâ A. MDLIIX. 17. Novembr. moriente Barii, jam tempore memoriæque uſu deſtitutâ, ſublevato ad nutum faciendum ejus capite conſcribi facit teſtamentum & in eo legari Regi Hiſp. Barinia Roſſonumque, ſibi caſtrum Capurci, ac multa alia magni pretii dona. Piâſec. *ad A. MDCVI. p.* 237.

* Matet Amurathis Turcarum Imperatoris demortui teſtamentum, quo, Ibrahamo fratre præterito, Chamum Tatariæ Principem heredem inſtituerat, quamvis Baſſarum jurejurando confirmatum, cum Baſſis, qui tum temporis in aula erant, & Veziriis reſcindebat, ut pluribus memorat Rigaltius *in vitâ Ibrahimi ad A.* 1640. Add. Bœclet. *ad* 1. *Annal. Tacit.* 8. *annot.* 1. Boccalinus *ad dict. loc. Taciti, ubi complura exempla affert.*

III. Si conventione ad certum tempus alienetur, v. g. pignori detur, periculum eſt, ne difficulter aut nunquam recuperari poſſit. Exempla ſunt apud Joann. Iſaac. Pontanum *l.* 7. *ad A.* 1332. *l. c. ad A.* 1431.

IV. REMEDIUM eſt ratione teſtamenti, ſi id in plura exemplaria, in locis publicis aut religioſis tribus vel quatuor aſſervanda, diffundatur, exemplo Dagoberti Francorum Regis apud Aimoinum *l.* 4. *hiſtor. c.* 30. Teſtamentum Auguſti cuſtodiebatur apud virgines Veſtales, duobus codicibus ſcriptum, ut Suetonius refert. c. ult. plurà ut Julius Cæſar tabulas teſtamenti demandaverat Virgini Veſtali maximæ. Eliſabetha Angliæ Regina ſucceſſoris nomen, ſchedulæ bene clauſæ inſcriptum incluſit ciſtæ ferreæ, cujus diverſæ formæ claves aſſervabant Primores regni, ut memorat Boccalinus *ad dict. locum Taciti.* Quâ ratione prudenter

cavebat, ne ſibi periculum à nominato ſucceſſore immineret.

V. Quantum verò conventiones attinet, tutiſſimum eſt, ſi regiones pignori non tradantur. Hinc prudenter fœderati Belgæ in fœdere cum Gallis, Ann. 1624. Compendii inito, recuſabant oppida pignori ſupponere, bene memores, quantis curis, ſollicitudinibus, largitionibus, animique providentiâ è Britannorum manibus oppida, quondam pignori data, rurſus liberaverint, ut Aizma memorat *in hiſtoriâ Pacis.* Præſtabit igitur, eas hypothecæ tantum obligare.

SECTIO SEXTA DECIMA.

DE COALITIS CIVITATIBUS.

I. CIVITATUM COALITARUM indoles, & earum quidem, *quæ diverſò jure reguntur, mala.*

II. Et *remedia.*

III. CIVITATUM COALITARUM, *quæ appendices habent,* indoles.

IV. Et MALUM *primum*; ſi Præfectus provinciam ſibi propriam facere moliatur.

V. MALUM *ſecundum*, Præfectorum rapacitas.

VI. MALUM *tertium*, ſi Provinciales ægro animo ferant jugum.

VII. MALUM *quartum*, ſi Præfectus provinciæ moriatur, non ſubrogato ſucceſſore.

VIII. REMEDIA adverſus malum primum & ſecundum.

IX. REMEDIA ſingulatim adverſus malum primum.

X. REMEDIA adverſus malum ſecundum.

XI. REMEDIA adverſus malum tertium.

XII. REMEDIUM adverſus malum quartum.

§. I.

CIvitas coalitæ ſimilares quidem ſunt optimæ, præſertim ſi cauſas, quæ olim æmulationem aut odia

pdia accendêre, eradicarunt : neque tamen non optimæ quoque, ſaltem ex hypotheſi, eſſe queant, quæ diverſo jure reguntur. Harum mala ſunt fere, quæ civitatum ſub uno capite junctarum, & ſectione ſequenti explicantur. Ad ea etiam pertinet, * ſi vel errore quodam, propter imperitiam juris publici, vel aſtu, unius partis coalitæ jura ad aliam trahantur.

* Exemplo ſit Germaniæ regnum, cui conjunctio cum regno Italiæ & imperio in Romam immane quantum nocuit: Eocnim prætextu Pontifices Romani in Reges Germaniæ ipſos ſibi vindicaverunt. V. Diſſert. noſtra *de origin. & progreſſ. ſpecial. Germ. rerump.* §. 10. & omnino Conring. de Germ. Imp. Rom. c. 12. ubi ait : in univerſum nemini paulum prudentiori ignotum eſt, quam facile convellantur jura rerump. quæ forte fortuna ſub uno Principe coierunt, ſi pro antiquis ac diſtinctis nominibus manu aliquod commune uſui petur.

II. Remedia fere ſunt eadem, quæ Civitatum ſub uno capite junctarum. Ad hæc curandum, ne jura confundantur.

* Hinc Proceres Lithuaniæ contendunt, Regem, poſtquam annos duos in Polonia commotatus eſt, annum apud ſe reſidere oportere, & Comitia habenda Grodnæ, poſtquam ea bis Varſoviæ celebrata. V. *les anecdotes de Pologne, ou memoires ſecrets du regne de Jean Sobieski III.* Et quamprimum Rex Lithuaniam intrat, ejus Proceres aulæ miniſteria occupant, Poloniæ Proceribus in Poloniam remigrantibus.

III. Civitates diſſimilares, quæ appendices habent, plerunque eſſe optimas nihil vetat, præſertim ſi provinciæ à republicâ, in quâ fons eſt imperii, non ſint disjunctæ.

IV. Hujusmodi civitatum mala ſunt (1) Si Præſides provincias ſibi proprias facere moliantur. Frequens enim eſt turbatis rebus, ut ex præfecturis regna fiant aut quaſi regna.

* Exemplo ſit Gallia poſt Carolum Simplicem & Germanicum Imperium V. Diſſert. *de origine & progreſſu ſpecial. German. rerump.* Compluribus aliis exemplis adde Ducis de Oſſuna,

Oſſuna, Vice-Regis Neapolitani, quod memorat Nani *l. 4. hiſtor. Venet. ad A.* 1619. & liber, cui titulus: *Oſſuniana conjuratio*, An. 1623. impreſſus. Sic & ſub Saracenis præfecti provinciis nonniſi imaginauum Caliphiis imperium reliquerunt Soldani propterea dicti. v. omnino Cangii *Diſſert.* 16. *ad Joinvelium p.* 239.

V. (2) Injuriæ, concuſſiones rapaces manus Præfectorum in Provinciales, * dum varios exquirunt ſinus, & nova prædandi vocabula, velut ad auream meſſem miſſi.

* Exempla complura ſunt in Romanorum hiſtoriis, v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p.* 64. Tacit. Agricol. *c.* 13, Apud Juſtinum eſt l. 38. cap. 7. *Odium Romanorum incuſſit rapacitas Proconſulum, ſectio Publicanorum, calumnia litium.* Bato Rex Bannoniorum quærenti Tiberio, cur Romanis Pannonii rebellarent, *vos*, ait, *in culpâ eſtis, qui ad cuſtodiendos greges veſtros, non paſtores, non canes, ſed lupes mittitis, apud Dionem l.* 55. *& hiſtoriar. V.* ut Helvetii deficerent, Præfecti qui nomine Imperii dicebantur cauſa fuere. v. Nicol. Burgund. *l.* 1. *hiſtor. Bavar. ad A.* 1315. & de Olenico Friſiorum Præfecto Tacitum IV. Annal. 72. Crudele Carthaginenſium in provincias imperium ipſis exitio fuit. V. Polyb. l. *hiſtor.* 72. v. omnino Conring. *de Germ. Imp. Roman. c.* 3. §. 15. 16.

VI. (3) Si Provinciales * alieno ſint animo, præſertim ſi noviter acquiſiti, & urat eos amiſſæ libertatis deſiderium; ſi denique ſint in provincia, qui antea ejus fuerunt domini, aut jus in eandem prætendere poſſint. docent ut pareant, nondum ut ſerviant Tacit. *in Agricol.* v. Forſtn. *ad XIV. Ann. p.* 56. Quotquot civitates ſubjectæ Athenienſium in continenti ſitæ ſunt, earum quæ major citra metus cauſam parent: quæ minores propter pecuarium. Neque enim ullum oppidum eſt cui non opus aliquid importari vel exportari. Xenoph. *de rep. Ath. p.* 50.

* Quàm difficulter nonnulli populi externo affluescant dominatui, documento ſint Venedi ſub Electore Brandenburgico, quos Regem ſuæ gentis cum ſceptro & corona ſibi clam creare, eidemque nonnihil tributi pendere, memorat Jacob Tollius *in epiſtol. poſthum.* 2.

VII.

VII. (4) Si Præſes provinciæ moriatur, non ſubrogato ſucceſſore. præſertim ſi ea ſit remotior.

IIX. Adverſus primum & ſecundum malum facit (1) ſuum cuique nationi ſive provinciæ Senatum imponere, qui mos Galliæ Regum prudentiſſimus eſt, Parlamenta quæ vocant, regionibus imponentium. (2) Extra ordinem mittere in provincias, qui in magiſtratuum geſta inquirant, & queſtus ſubditorum audiant. [a] Quem morem Franci olim habuerunt in Miſſis regiis. (3) [b] Exploratores in provinciis habere.

[a] V. Diſſert. dicta de *origine & progreſſu ſpecialium Germ. rerump.* §. 5. Apud Lacedæmonias erant κατάσκοποι, ut eos vocat Thucydides, qui mittebantur ad res provinciarum inſpiciendas, ac, qua ratione Harmoſtæ ſe gererent, inquirebant, aliaque in provinciis neceſſaria ordinabant. Cragius *l.* 4. *de republ. Lacedæmon. c.* 6. De Venetis St. Disdier part. 2. de La Rep. de Veniſe p. 264. ſequ. *La Republique envoye ordinairement tous les cinque ans, tenir les grands jour dans les Provinces, & choiſit pour ce ſujet trois de premiers ſenateurs, auſquess elle donne le nom d' Inquiſiteurs te terre ferme. Ilsrecherchent l' adminiſtration des Poteſtas, des Capitaines & des autres Officiers publies, ils etoutent les plaintes, que les ſujets font contre leur conduite, & ils leur font juſtice du tort, qui peut leur avoir eſté fait.* Simili fere modo hodie utitur Japoniæ Imperator, mittens qui à pueritia in miniſteriis trium Cubiculorum aulæ verſati ſunt, & quorum fidem ingeniique acumen expertus eſt. Ab his, antequam eos ableget, juramentum exigit, & ſyngrapham ſanguine uniuscujusque exaratam, quod omnia ad regni ſtatum utrumque ſpectantia, quæ viderint, audierint vel ſenſerint apud Dynaſtam, ſint perſcripturi, ut memorat Bernard. Varenius *deſcript. regni Japon. c.* 7.

[b] Hoc modo etiam utuntur Japoniæ Imperatores. v. Varenius d. l. Eodem uſi ante Tatarorum adventum Sinenſium Imperatores: nam id hodie rarius fieri, niſi quod ſubinde Imperator etiam provincias circumeat, nuper retulit P. le Comte *de ſtatu Præſent. Chin. ep.* 9. *p.* 24. *& ſequ. edit. Amſtelod.* De Stenone Sture Loccenius l. 5. Hiſtor. Suetic. ad A. 1450. *Cum ipſe*, inquit, *propter negotia publica provincias omnes*

ſubinde

ſubinde obire non poſſet, in illis habebat ſuos oculos & aures, id eſt, fidos inſpectores, ſcrutatores & exploratores, qui præfectorum & ſubditorum acta & inſidiatorum adverſus ſe conſilia exquirerent & ſibi clam bonâque fide referrent. Illos tamen cum judicio & ſe invicem ignorantes audiebat. &c.

IX. Singulatim adverſus primum malum remedium eſt, (1) Provinciæ ex ea oriundum non præficere. (2) Ne quidem permittere, ut Præfectus ex illa provincia uxorem ducat. Eſt enim matrimonium decus & robur ad majora nitenti, ut Tacitus ait *in Agricol. c. 6.* (3) Præfectorum liberos honoris bonæ educationis aut miniſterii ſpecie in aula habere (4) æmulos & inter ſe diſſidentes provinciis imponere, vel diſſenſiones inter eos fomentare. (5) Præfecturam breviori temporis ſpacio finire. (6) Validiores provincias in plures dividere. (7) Non permittere, ut plures provinciæ in unum congerantur, aut (8) Moderator ſive Gubernator provinciæ ſimul ſit arcium Præfectus. In regno Siamenſi le Tonguia a hait grandes provinces toutes coupers de revieres & de conaux, *Les gouvernemens ſont poſſedetz* par des Eunuques. ex L' Abbé de Choiſi Journal du voyage de Siam Journal des Sçavans. *An.* 1687. *p.* 309.

(1) Apud Romanos M. Autelius ſanxit, ne quis patriæ ſuæ Præſes conſtitueretur, & Philippus cognomento Pulcher, Galliæ Rex ne quis ejus, ubi natus eſſet, loci jurisdictioni præficeretur. Idem inſtitutum habent Sinenſium Imperatores v. P. le Comte de ſtatu præſent. Chin. ep. 9. ubi duas rationes addit: *Premierement*, inquit, *parcequ' un Mandarin, qui n' eſt pas de qualité, eſt ordinairement meprisé de ceux qui connoiſſent ſa famille. Secondement, parcequ' eſtant quelquefois trop accredité par le grand nombre de ſes parens & de ſes amis, il ſeroit en eſtat de faire ou d' appuyer une revolte, ou du moins il n' auroit pas toute la liberté, qui eſt neceſſaire pour exercer la juſtice deſintereſſement.*

(2) Idque propter *rationem potentatus*, ut eſt in *l.* 63. *D. de ritu nuptiar. l. unic. C. ſi rector provinc.* in quibus ll. idem extendi-

extenditur ad filios non ad filias. Cur ita? Nimirum filii ambiunt, filiæ ambiuntur. add. *l.* 38. *l.* 57. *D. eodem.*

(3) Est hoc quoque institutum Sinensium. v. P. le Comte *d. ep.* 9. De Gothis in Hispania audiamus Mariannam l. 2. de Rege & Regis institut. c. 9. *Gothis*, inquit, *in Hispania rerum potentibus, in more positum erat, ut Principum liberi in aulâ regiâ educarentur. Filii equidem ad custodiam regii, corporis & privata obsequia adhibebantur: inter epulas ministri erant, venantem Regem, quibus per ætatem licebat, comitabantur, & ad bellum prosequebantur armati. Magnorum Præfectorum ac Ducum hæc rudimenta incrementaque erant. Filiæ autem in Gynecæo Regina ministrabant: ubi Minervæ artes, psallere & saltare, quantum necesse erat fœminis, docebantur. Moris omnis cum ætate gnaræ viris Principibus connubio jungebantur. His moribus Gothi, potentiâ & opibus aucti, latissimè propagarunt imperium, Romanis rerum dominis eripuerunt Hispaniam. Eô instituto publicè suscepto vix credi potest, quantum benevolentiæ erga Principem in subditorum animis accendatur. Proceribus præsertim in officio retinendis saluberrima ea ratio est, ne motus per provincias concitentur, studio rerum novarum, fidei obsidibus specie honoris in Principis potestatem contraditis filiis carissimis. Neque enim ex una tantum provincia comites Principi & assecias dare volumus, sed ex omnibus Nationibus, quam late imperium patet. Quo nimirum universi in pretio se haberi & pari caritate Principem complectentes, uti imperio, ita animis constricti amplius teneantur. Eo beneficio devincti pro communi salute, Principis dignitate, nullum laborem, nullum visa periculum subire recusant. Unde præterea multa & magna commoditates constant. Princeps frequenti usu omnium gentium instituta moresque penitus habebit explorata, quæ virtutes singulis insint, quæ vitia; familiari sermone, nullo labore, cunctorum linguas intelliget familiaresque sibi efficiet; ne opus sit per interpretem semper jura dare, responsa reddere: quod subditis nationibus molestè accidit &c.*

(4) Hoc arcanum Galliæ esse notat Grammondus *l.* 2. *histor. Gallic. ad A.* 1616. *p.* 117.

(5) In Moscovia Præfecti provinciatum quovis triennio mutantur. v. Carlisle *de la Moscovie p.* 365. Liguriæ omnis per gubernatores Prætoresve annuâ tantum potestate præditos administratur. Corsicæ verò magistratos omnes biennales. Unus regni gubernator cum gladii potestate etiam in omnes quæ ei subsunt judices. Gubernator autem pendet à duobus collegiis,

collegiis, quæ per magiſtratum quoque virorum res Corſicas adminiſtrant, ita Hieronym. de Matinis *c.* 2. *deſcript. German. ſect.* 1. §. 9. & in regno Hiſpaniæ Philippus II. Rex Hiſpan. apud Thuanum l. 110. ad A. 1593. monebat filium: *ut Proreges Indiarum occidentalium crebrò mutentur; quique revocabuntur conſilio Indiarum adhibeantur, alterique alteris per vices ſuccedentes, quaſi exploratores apponantur: ita futurum, ut ne diuturna abſentia corrumpantur, & potius inter eos de gloriâ per æmulationem, quàm de privato compendio per factiones ſit certamen, ac denique provinciarum tam longinquarum ſtatus melius cognoſcatur.* de Rep. Veneta v. St. Disdier *de la ville & Republ. de Veniſe part.* 2. *p.* 260. *ſequ.* De Turcis v. Rigaltium *hiſtoria ſtatus præſentis Imperii Ottoman. l.* 1. *c.* 16. de Suedis Loccen. *in comment. in Ciceron. ep. ad Q. Fratr. p.* 128. Quamobrem Tiberius Imperat. ut alios magiſtratus ita Præſides provinciarum non ad tempus conſtituerit, contra Romanorum morem. cauſas indagavit Septalius *l.* 2. *de Ration. ſtat. c.* 24.

(6) Ita Alexander M. Ægyptum in plures provincias partitus eſt, cujus inſtituti rationes explicat Arrianus *l.* 3. *hiſtor. Alex. c.* 1. Carolus M. Ducatibus abolitis Comitatus reliquit.

(7) Hoc neglectum ab Imperatorib. Romano-Germanicis multum nocuit eorum poteſtati, Principibus verò profuit ad inſignia incrementa. v. Diſſertat. de *origine & progreſſ. ſpecial. Germ. Imper. rerumpubl.* §. 16. & 20. Addatur Cleobuli orario ad Melandrum apud Barclajum *in Argenide l.* 2.

(8) Hoc inſtitutum fuit Cyri Perſarum Regis v. Xenophontem l. 8. *Cyropæd.* Idem obſervant hodie Galli & Hiſpani. v. Priolum *l.* 2. *Rer. Gallicar.* ubi de Normanniæ Præfecto, quod Franciſcopolis ſive Havre de Grace præfectutam adipiſci nequeat. Apud Gallos præterea Præfectis Provinciarum adjungi legatum ſeu Locum-tenentem, qui non ipſorum Præfectorum, ſed Regis & ab ipſo Rege conſtituti legati ſint, quorumque opera prava Præfectorum conſilia, ſi quæ agitent, frangantur aut turbentur, jam ſuo tempore obſervavit Jacob Bongarſius *epiſt. ad Joachim. Camerarium* 114. v. Loccen. comment. in Ciceron. *ep. ad Q. Fratrem p.* 141. Tales legati hodie dicuntur Intendans. In Sinenſium Imperio ſunt legati Imperatoris, tribus vel quatuor Provinciarum Præſidibus, ut eorum quaſi inſpectores agant, præpoſiti. v. P. le Comte *d. ep.* 9.

X. Ad-

X. Adverſus alterum malum Romani adhibebant remedium (1) Ne Præfecti uxores ſecum ducerent in provincias. Quod lege Oppiâ [a] diu vetitum fuit. Eſt enim mulierum genus avariſſimum, ut Accurſius notavit *ad l. Neſennius D. de Negotiis geſtis* (2) ne Præfecti in Provinciis emant, mutuum dent, ſive cum, ſive ſine fœnore, ne domum vel navem extruant, neve in univerſum negotientur. Præſides apud Romanos non habebant ignoſcendi libertatem. v. Grotius *ad Matth. XXVII*, 15. *l.* 6. §. *ult. D. de offic. Prol. & legati.* Poſtea cum Tiberii temporibus contra morem veterem invaluiſſet, ut in provincias miſſos uxores ſuæ comitarentur. Hinc Cæcina apud Tacitum *l.* 5. *Annal.* ab his uxoribus negotia ſuſcipi; tranſigi; duorum egreſſus coli, duo eſſe prætoria. *l.* 6. §. *final. l.* 33. *de rebus credit. tot. tit. C. de contract. judic. Novell.* 17. *c.* 1. ubi rationem reddit Imperator, ut præcideretur omnis occaſio peccandi [b] & ſub prætextu negotiationis gravandi ſubditos & πλεονεξίαν implendi. Turcarum Imperatores ſingularem modum obſervant, dum Præfectis provinciarum graſſari in ſubditos permittunt. Quo ipſo conſequuntur, ut pauperes reddant provinciales, & eorum odio objiciant Præfectos; cumque, ut ſæpius ſolent, hos prætextu juſtitiæ necari curant, & exiſtimationem bonam & ſimul divitias, quas concuſſionibus ſuis Præfecti illi conquiſiverant, ſibi comparant. V. omnino Rigaltius *l.* 1. *hiſtor. ſtat. præſent. Imper. Ottomann. cap.* 17. *id illuſtrans exemplo Cæſaris Borgiæ Valentini.*

[a] Invaluerat id Tiberii temporibus contra morem veterem, ut in provincias miſſi uxores comitarentur. Notat Tacitus III. Annal. Addit ibi Cæcina: Ab his negotia ſuſcipi tranſigi; duorum egreſſus coli; duo eſſe prætoria. Grot. *ad Matth. XXVII.* 19. Quanquam poſtea ſub Impp. permiſſum. v. orationes duas apud Tacitum *III. Ann.* 33. *ſeqq. l.* 4. §. *proficiſci;*

ficiſci D. de Officio Proconſ. Cujac. *l.* 6. *obſ.* 30. Walther *l.* 1. *Miſcellan. c.* 13. Lipſius *ad Tacit. Annal. pag.* 83 *&* pag. 105. Meſſalinus apud Tacitum IV. Ann. cenſuit. Cavendum ictu ne quauquam inſontes magiſtratus & culpæ alicujus neſciī, provincialibus uxorum criminibus perinde ac ſuis plectercntur.

[b] Quas artes immane quantum calluit Verres, Prætor Siciliæ, ut oſtendit Cicero VII. actionum in eum libris v. Puf. *l.* 5. *c.* 3. §. 6. & præſertim libro ſexto. Hinc idem Cicero IV. Verren. Quæ fuit cauſa cur majores noſtri eos qui cum poteſtate in provincia ſunt, tam diligenter in provinciis ab emtionibus removerunt? Hæc, judices, quod putabant corruptionem eſſe, non emtionem, cum venditori ſuo arbitrio vendere non liceret. In provinciis intelligebant, ſi is qui eſſet cum imperio ac poteſtate quod apud quamque eſſet, emere vellet, idque ei liceret, fore, ut quod quisque vellet, ſive eſſet venale ſive non eſſet, quanti vellet auferret.

XI. Adverſus tertium malum remedia ſunt (1) voluptatibus eos enervare, linguâ dominantis populi imbuere, colonias eò mittere, aliisque vinculis provinciales illigare. Quemobrem Capua à Romanis non defecerit, cauſam adfert Livius l. 23. hiſtor. 4. *Quod connubium vetuſtum multas familias claras ac potentes Romanis miſcuerat, & quod cum militarent aliquot apud Romanos, maximum vinculum erant trecenti equites, nobiliſſimus quisque, Romanorum in præſidia Sicularum Urbium delecti ab Romanis ac miſſi.* conf. ſupra *ſect.* 10. §. 15. *&* 32. (2) [a] Arma iis adimere. A (3) ſatione quorundam fructuum, qui in communi patriâ abundant, eosdem arcere. (4) Qui jus in provincia prætendere poſſunt, vel ſpecie honoris aliò transferre, vel [b] iis mutationem nominis injungere. (5) [c] Diſſidiorum ſemina inter eos ſpargere. (6) [d] Provincias longè diſſitas devaſtare. Quo tyrannico inſtituto Turcæ utuntur v. Rigaltius *hiſtor. Status præſent. Imperii Ottomann. l.* 1. *c.* 15. *utilitates ejus prolixè explicans.*

[a] Hoc

(a) Hoc aliquando ut consueverunt Romani. Cæsar 2. *de B. G.* scribit, se devictos in fidem recipere solitum, armis omnibus ex oppidis collaris. Tacitus XII. *Ann.* 31. *II. histor.* 64. & 66. alia habet exempla.

(b) Ita Hispani apud Indos accidentales non permittunt oliveta & vineas coli, ut ex Hispania ad remotissimas illas regiones vinum & oleum transferatur, & vice mutua Hispani aurum & argentum ab illis recipiant. V. Larrea *Decis. Granatens.* 11. *n.* 24. & A. Belgicus *Politischen Discoursen l.* 3. *c.* 27. ubi etiam observat, Regem Hispaniæ Indiæ incolis non concedere, ut reditus regios in India emant, utique verò in Hispania.

(c) Hodie in Græcia familias Græcorum antiquas opilionum & antigarum familiis per matrimonia innexas esse, & reliquias domus regnatricis Contacuzenorum & Palæologorum obscurius Constantinopoli & contemtius agere, quam unquam Corinthi vixerit Dionysius, scribit Rigaltius *d. l.* 1. *c.* 16.

(d) Ita Rex Chaldæotum murabat Regis Judæ nomen II. *Reg. XXIV.* 17. Ita Henricus IIX. Angl. Rex Gonum, ex clara Onealum familia, Ultoniæ sibi principatum & Hiberniæ totius aulum adscribere, compulit, ejurato Onealis vocabulo ac dignitate, in Comitis Tironi nomen transiit, teste H. Grotio *lib.* 4. *histor. Belgic. ad Annum.* 1595.

(e) Pertinet huc callidissimum consilium, quo in Forojulense Provincia usi Veneti, apud St. Disdier *de la Ville & Republique de Venise part.* 2. *p.* 133. V. supra *sect.* 4. §. 5. Adde quæ infra dicemus *sect. ult.* §. 1.

XII. Adversus quartum malum remedium est, si successorum designatio clausis literis committatur, non prius resignandis, quàm Dux aut Præses mortuus fuerit. Qui mos * Hispanorum, Lusitanorum, Hollandorum.

* De Hispanis V. Jacob. Zevecot. *not. ad Sueton. Jul. Cæsar. c.* 9. de Lusitanis Linschotanum & Arnisæum II. *Select. Polit.* 2. *sect.* 4. *num.* 100. De Hollandis Joann. Isaac Pontanum *lib.* 2. *Rer. & Urb. Amstelodam.* 24. ubi morem notat & aliquot exempla.

SECTIO DECIMA SEPTIMA.

DE CIVITATIBUS SUB UNO CAPITE JUNCTIS.

I. HUjusmodi reipubl. ſpecies tantum eſt ex hypothesi optima.

II. MALUM *primum* eſt à populis qui junguntur

III. *Alterum* eſt à Rege, maximè ſi is amotam & benevolentiam in regna conjuncta non æqualiter diſpenſet.

IV. REMEDIA adverſus primum malum.

V. REMEDIA adverſus alterum malum.

§. I.

HUjuſmodi ſpecies reip. eſt ex hypotheſi optima, ſi populi qui junguntur, ſinguli ad vim hoſtium repellendam ſunt infirmi, &, ut inter vicinos ſolet, inimici vel æmuli. Nam odia illa & æmulationes, cum ex mutuis injuriis aut bellis, quæ jam ceſſare incipiunt, ortum traxerint, paulatim exoleſcere poſſunt, & cum jam omnes ad eundem Regem pertineant, ipſe facile efficiet, ut per conjunctas omnium opes ſinguli defendantur, ſuumque jus adverſus alios exſequantur. Accedunt omnia illa commoda, quæ ex amicitiâ & familiaritate inter diverſos populos ſolent redundare: puta ut ipſi commercia invicem ſecurè exerceant, connubiis & affinitatibus jungantur, & coalitis paulatim animis in commune decus nitantur, atque mollius invicem, quàm alios extraneos, ſeſe tractent. V. Pufendorf. *de Syſtemat. civit.* §. 11.

II. Malum hujusmodi rerumpubl. primum eſt à populis qui junguntur, ſi linguâ moribus, inſtitutis, ingenio ſunt diſpares. Aut ſi interjectis magnarum regionum aut marium ſpatiis disjunguntur, ſic ut commodè ab eodem Rege nequeant obiri, viresque

ſuas

ſuas invicem communicare : aut ſi populus unus multis controverſiis eſt implicitus, quibus hâc ratione alter quoque involvatur, aut nimis denique eſt potens.

III. Alterum malum eſt à Rege, ſi is in populum unum quàm alterum eſt pronior; ſive quod ex illo originem ducat. ſeu quod ingenio aut affectu peculiari aut per ſimilitudinem religionis eidem magis concilietur, ſive quod ſtabilem apud unum ſedem poſuerit, aliis nunquam aut rarò aditis; ſeu denique quod unus alterum ſplendore, opibus aut regionis amœnitate longè ſuperet. Heic enim proximum eſt, ut adamata natio ubique in aulâ Regis emineat, reliquæ deſpiciantur. Quò ſi accedat, ut ex eadem magiſtratus atque præfecti aliis dentur, eorundemque loca munita dilecti populi milite inſideantur, prona datur via illos paulatim in formam provinciæ redigendi. V. Pufendorf. *d. l.* §. 12.

IV. Adverſus primum malum remedium eſt, ſi quidem populi ſponte ſe ſub unô Rege conjungant, delectum, quo in fœderibus eſt opus, adhibere. Prudens quoque conſilium nonnullis viſum, qui ſub unius imperium venire debent, vocabulo quoque uno communique nuncupari. Sic Romulus, cùm Romani Sabinis ſociati eſſent, Quirites appellavit; planè ut Jacobus Anglos Scotosque communi nomine Britannos inſignivit, idque propterea, ne Scotis præberetur cauſa querendi, non citra ſui contemtum Angliæ poſtponi à Rege, qui prius Scotiæ quàm Angliæ Rex fuerat.

V. Adverſus alterum malum eſt remedium, (1) ſi conjunctio tantum ad vitam Regis fiat. aut (2) ſi in perpetuum eam fieri placeat, in regnis electivis, quomodo paribus junctarum civitatum ſuffragiis

Rex designandus sit, lege constituatur. Iisdem legibus definiendum, ut præfecturæ, judicia & alia officia publica tantum per indigenas administrentur, & loca munita non nisi in domestici militis sint manu. Ad hæc Rex, ubi id fieri potest, quotannis vel alternis annis unumquodque illorum regnorum adire & aliquandiu in eo commorari teneatur; aut saltem Regi, apud alterum licet populum regiam habenti, consilium ex indigenis constans sit adjunctum, per quod ipsius negotia expediantur, nec licitum ipsi sit, ex uno regno ejus facultatis thesauros, archiva & tormenta in aliud exportare. Hæc denique & alia Rex sacramento confirmet.

(1) Ut fit in Episcopatibus Germaniæ.

(2) Vide pacta in unione regnorum Septentrionalium sub Erico Pomeraniæ Duce apud Pontanum *l.* 9. *Rer. Danic. ad A.* 1397. Loccen. *l.* 4. *Rer. Suetic. ad A.* 1396. Item Stenone Sturio Seniore apud eundem Loccenium *l.* 5. *ad A.* 1477. qui etiam l. 7. ad A. 1587. pacta in Sueciæ & Poloniæ conjunctione sub Sigismundo memoriat.

SECTIO DECIMA OCTAVA.

DE CIVITATIBUS ACHAICIS, sive SYSTEMATIS.

I. CIvitates hujusmodi non sunt ex voto aut plerunque, sed tantum ex hypothesi optimæ.

II. MALUM sunt (1) diversitas finium sive destinationum.

III. (2) Disparitas sociorum inprimis ratione formæ reipublicæ, quâ singuli utuntur.

IV. (3) Si illa, quæ ad communem defensionem sunt necessaria, non fuerint contributa.

V. (4) Si in conventibus sociorum omnia confusè fiant, & negotia lentè procedant.

VI. REMEDIA sunt: (1) Si Dux fœdetis constituatur.

VII. (2) Si ab uno vel altero reliquis sociis insciis nemo in societatem recipi poterit.

IIX.

IIX. (3) Si quæ ad communem defenſionem neceſſaria ſunt, communicentur.

IX. (4) Si accurata conventibus agendis forma præſcribatur, & inprimis collegium ex ſociorum legatis perpetuum conſtituatur.

§. I.

HUjusmodi civitates ueque ex voto, neque plerumque ſunt optimæ, propter plurima mala, quæ eas comitari ut plurimum conſueverunt. Prudenter H. Grotius l. 3. Ann. Belgic. ad A. 1579. de fœderato Belgio; *Id ſtatim*, inquit, *vitium reip. apparuiſſe, quod non ut in priſcis Græcorum & Romanorum, aut hodie florentibus imperiis in una urbe ſumma poteſtas erat, ſed inter plurimas civitates æquata vis; unde fiat ut propria cuique cura ex ingenio gentis, ad quærendas retinendasque divitias exercita, falſo publici nomine commune bonum pervertant*, l. 5. Ann. Belgic. ad A. 1588. dixit: *Fœderatos Belgas vim imperii in plures ſparſiſſe, quod, ut libertati tutius, ita, ſi paulum remittat hoſtis, concordiæ periculoſum eſſe.* Adde eundem *libro de obſidione Grollæ à principio.* Ex hypotheſi autem ſunt optimæ hæ civitates, ſi in iis ſocii eandem habeant reip. formam, nec viribus inter ſe multum ſint diſpares, ſique ex iſtâ conjunctione in ſingulas par utilitas redundet, (ea nimirum firma demum ſocietas eſt, quæ ſpes easdem, aut vincula plura quàm diſſentiendi cauſas habet. H. Grotius *l. 3. Ann. Belg. p. 62.*) denique ſi maturo conſilio, legibus prius rite conceptis in ſocietatem coiverint. Ita Amphictyonum conſenſus Medorum potentiæ reſtitit, & Achaiæ res alioqui exiguæ ſolâ concordiâ valuere.

II. Inter mala ſunt (1) finium ac ſtudiorum diverſitas, unde factiones naſci neceſſum eſt.

* Diſcordias in Belgio fœderato memorat H. Grotius *l. 4. hiſtor. Belgic. ad A. 1555.* inter Hollandos & Zelandos *l. 6.*

ad A. 1597. *p.* 282. v. omnino *l.* 9. *hist. ad A.* 1600. *ab init. p.* 182. Abhinc post pacem cum Hispanis factam quam parum aliquoties abfuit, ut fœdus illud prorsus dissolveretur?

III. (2) Si socii contrariâ reip. formâ utantur: [1] vix enim unquam regna & resp. polycraticæ bonâ fide coalescunt. [2] Aut si plures Principes sive Reges hujusmodi fœdus ineant. Vel socii etiam, quibus singulis policraticum est regimen, dispares nimium sint opibus, inde enim arrogantia & dispicientia adversum infirmiores.

[1] Quare etiam fœderi, ex quinque Regnis successivis, sex electivis, quatuor Respublicis inter Christianos populos adinstat Amphyction ei Concilii componendo, quod Henricum IV. Galliar. Regem molitum esse, memorant nonnulli, (vid. Memoires de Duc de Sully *tom.* 2. *p.* 413. *sequ.* Perefix. *vit. Henrici M.* & L'Espion du grand Seigneur *pars.* 2. *lett.* 44. Quanquam de ea narratione non temere dubitet Victorius Siri) vitam longævam noluissem polliceri.

[2] Probat hoc exemplo duodecim Regum, in quos Ægyptus omnis quondam, sub lege arctissimæ amicitiæ, distincta fuit, à Psammetycho oppressorum, Pufendorf, *Dissert. de Systemat. civit.* §. 19.

IV. (3) Si illa, quæ ad defensionem communem sunt necessaria, non sint societati communia.

V. (4) Si in conventibus sociorum nihil ordine, sed confusè omnia fiant; item si socii tardè coeant, & difficulter in unam sententiam conspirent.

VI. Remedia sunt (1) Dux fœderis auctoritate pollens assumatur, qui dissidentes componat & ambarum partium sit arbiter * Quod Amphyctionibus in usu fuisse & quidem magno ipsorum commodo ostendit Isocrates *in Panathenaico*, digressione de Agamemnone. Achæi quoque totius societatis Principem habebant, Στρατηγὸν, latinè Prætorem dictum; quanquam potestas ejus esset legibus adstricta, in bello tamen liberior. Et apud Ætolos erat Στρατηγὸς, cui universa reip. cura & potestas domi

domi militiæque ſumma commendabatur, ſed annuo tempore circumſcripta.

* Pufendorf, *rer. Brandenb. l.* 11. *ad A.* 1672. §. 57. Dudum à rerum civilium peritis obſervatum eſt, Remp. Belgicam absque illuſtri capite haut ſubſiſtere poſſe, ſed ejus compagem ſucceſſu temporis ultro delapſuram; nec ſi quæ maſcula conſilia capiantur, alacriter ac promtè effectui datum iri, ni quem multitudo parere ſolet lentorem atque confuſionem executoris auctoritas tollat tebusque vigorem ac pondus addat, præſertim ubi validus terrâ hoſtis ingruat. Sane Helvetiam validiſſimam viris Nationem inter Europæ populos nullo fere numero eſſe, quod capite careant, qui ignavam molem vegetiore ſpiritu animare queat.

VII. (2) Si ab uno vel altero ſociorum, reliquis inſciis, nemo in ſocietatem cooptari poſſit. Quæ lex Achæorum fuit. v. Polyb. *l.* 4. *c.* 9.

IIX. (3) Si negotia illa, ex quibus omnium ſociorum ſalus conjunctim pendet, communi conſilio tractentur; qualia ſunt bellum, tam offenſivum quàm defenſivum, induciæ, pax, (a) fœdera bellica, legatorum miſſio & receptio, tributa, in quantum communi bello inſerviunt, (b) tum ſi quid controverſiarum inter ſociorum aliquos ortum fuerit, ut à reliquis amicè componi poſſit, & (c) ſi quæ bello ſive armis occupata, ut univerſis ſociis ſive toti communitati cedant. Reliqua verò, uti ſunt fœdera commerciorum, tributa ad ſingulorum neceſſitates, conſtitutionem magiſtratuum in cujusque ſocii republicâ, leges, jurisdictionem, mixtum merumque imperium, & ſacra, aut ſi quæ ſunt alia, ſingulorum ſociorum arbitrio permitti, nihil vetat.

(a) Hoc in fœderato Belgio obtinet. Contrarium ſervant Helvetii apud quos ſingulis Cantonibus fœdera pro lubitu inire licet. Unde fit, ut Helvetii ſæpe in adverſis belligerantium caſtris militantes conſpiciantur.

(b) Ut in arbitrium comptomittatur, periculo non vacat. Nec enim facilis inventu eſt vir bonus quem leges requirunt: ut Tigutini exemplo Agnetis, Reginæ Ungariæ,

in quam ſanctimonia ejus vitæ decepti compromiſerant, fuere edocti: Imò ipſa Papalis Sanctitas inventa eſt aliquando magis partialis quam Apoſtolica, ut Baldus loquitur. Rationem componendi controverſias per arbitros ex ipſis ſociis delectos, habes in formula fœderis inter Belgas Anno MDCLI. initi, apud Philippum Cæſium *Leon. Belgic. ſect. 9. §. 1.*

(c) Hoc in fœdere Helvetiorum eſſe, Simlerus deſcriptione Helvet. loco non uno docet.

IX. (4) Cum in hiſce civitatibus negotia, quæ diximus, communicari invicem debeant, atque id circummiſſis literis non ita commodè fieri queat, neceſſum eſt, ſociorum conventus agi. Ubi locum quod attinet, poteſt is deligi, qui vel omnibus vel plerisque ſociis ſit communis (ut (a) Bada ad octo Helvetiæ Pagos ſpectans) vel ut æqualitati conſulatur in orbem iri, quod olim Achæis ſuis ſuaſit Philopæmenes. Apud Belgas fœderatos commune imperii domicilium eſt Haga Comitum, qui ut opibus longè ante ſocios ita auctoritate non parum pollent. Grot. *l. 5. Annal. p. 111.* Amphictyonum conſeſſus in inſigniſſimis totius Græciæ anguſtiis, quæ Πύλαι dicebantur celebrari ſolebant, unde ipſe conſeſſus Πυλαία vocabatur. Tempus certum in anno ſtatui profuerit, ut tamen non excludatur arbitrarium. Apud eosdem Achæos & Amphictyones bis, apud Ætolos ſemel conventus ſtato die in anno, & deinceps pro arbitrio habebantur. Tum autem, qui jus convocandi habeat, ſtatuendum. Apud Helvetios convocandi Senatum jus datum eſt Tigurinis, propter antiquitatem, qui cæteris Cantonibus capita conſultationum unà cum citatione ad certum locum transmittunt; ut tamen, ſi quid præter expectationem obvenit, & in morâ periculum ſit, etiam ſinguli Pagi alios convocare poſſint. (b) Quanquam longè compendioſius fuerit, ſi certo in loco reſideat perpetuum

petuum aliquod concilium, ex Delegatis ſingulorum ſociorum (c) jurejurando devinctis conſtans, cui poteſtas ſit ſubita, ac quotidiana aut minoris momenti negotia ex mandati formulâ expediendi: ſi quid verò gravius inciderit, ab hoc ad ſingulos ſocios referatur, & quæ ipſis placuerunt, promulgentur & executioni dentur. Cæterum ordo conſidentium maximè naturalis eſt, ſi qui primi in ſocietatem venerunt, præcedant cæteros, & primi etiam ſententias dicant. Quod in Eccleſiaſticis quoque Conciliis obſervari, notavit Jacob. Gothofredus *c. 3. de præcedent. §. 23.* conf. H. Grotium *2. de Jur. B. & P. c. 5. §. 21.* (d) Majora quoque ſuffragia heic prævalere debent in illis, quæ ad fœdus pertinent. Ut olim apud Lycios, gentem Aſiæ, qui ex viginti tribus civitatibus conſtabant & in concilio id decernebant, quod pars maxima comprobaſſet. V. Strabo *l. 14. Geograph.* Amphictyones, civitatem, quæ contra fœderis leges peccaſſe accuſabatur, ad conventum citabant, & deprehenſam peccaſſe, vel ære vel aliâ ratione multabant, rebellibus bellum indicebant. Exemplum eſt in Lacedæmoniis, ob occupatam tempore pacis arcem Cadrucam mulctatis, apud Diodor. Siculum *l. XV. Biblioth.* in Cyrrhæis & in Phocenſibus, apud Æſchynem *orat. contra Cteſiphontem* Demoſthenem *orat. de corona* Pauſaniam. *l. X.* & Diodor. Siculum *d. l. 15.* Hodie idem obtinet apud Belgas fœderatos, niſi agatur aut de tributis, aut de iis quæ ad ſummam reip. ejusque ſalutem attinent, ceu in quibus unanimis omnium Nationum conſenſus requiritur.

(a) Videatur quæ diſſerit Simlerus *l. 2. deſcript. Helvet. p. 308. edit. Elzevir.*

(b) Apud fœderatos Belgas duo ſunt hujus generis concilia, de quibus *part. 1. ſect. 12. §. 8.* Niſi quod adhuc audi-

libet

libet H. Grotium l. 5. Annal. Belgic. ad A. 1588. *Communia fœderis & quæ bello necessaria, Senatus providet: in quem qui veniunt, jurant, nulli eorum, ex quibus mittuntur, respectu (mittunt enim singula Nationes, sed tres Hollandi, binos Zelandi, item Frisii, singulos cætera) quod universæ rei optimum, se consulturos: accitur huc, ubi gravis deliberatio est, Præfecti Nationum. Sed quia res majores antiquitus nisi gentium singularum consensu non expediebantur, mole negotiorum & periculo cunctationis repertum est, legatos mittere cum liberis mandatis, qui supremæ curæ imminerent, & ubi quid gravius obveniret, meraque dignum, sua quisque patria Ordines consulerent. Nationibus, quæ modo è primariis Urbibus aliquam apud fœdera habent, jus æquum suffragii, vicibus præsident. Hæ tum erant Geldria, Hollandia, Zelandia, Trajectina Frisia intra Flevum & Lavicam, & Transisalana. Hæc legatio sensim in perpetuæ consessus speciem transiit, Ordines Fœderatos referens, eoque nomine utitur. Et huc & in Senatum missis præfinito tempore potestas inclusa, nonnisi voluntate mandantium prorogatur.* Conf. Boxhornii *comment. de statu Fœderat. Belgii* §. 4. 5. 6. 7. 8. 10.

(3) Quod præstabant etiam Pylagoræ, id est Senatores concilii Amphictyonici, & semetipsos & civitates, à quibus mittebantur eo obstringentes. Formulam habet Æschynes orat. περὶ παραπρεσβείας. Adde Bœcleri Dissert. *de concilio Amphictyonico* §. 21. 22.

(4) Videantur quæ diximus supra *sect.* 1. §. 40.

SECTIO DECIMA NONA.

DE CIVITATIBUS INTER DISSIMILARES & ACHAICAS CIVITATES INTERJECTIS.

I. CIVITATES hæ nonnisi ex hypothesi sunt optimæ.
II. MALA earum.
III. REMEDIA.

§. I.

CIvitates hujusmodi nonnisi ex hypothesi optimæ esse possunt, * ob vitia ferme remediis fortiora.

* De

• De Hollandia H. Grotius: *Respublica casu facta, quam metus Hispanorum continet.* V. Auremont. *Discours sur les Historiens François.*

II. MALUM earum fere perpetuum est debilitata concordia. Verè Forstnerus ad XIV. Annal. Taciti 26. *Quæ regna aut provincia per plures Regulos factionibus & studiis trahuntur, iis neque in supremum Principem obsequium, neque inter se concordiam constare.* Apud Grotium l. 4. hist. p. 212. dicebatur: *Res Batavorum stare concordia, concordiam metu. His simul amotis subitura æqualitatis vitia & æmulationes Civitatum, quæ vix inter armorum pericula continerentur.* Præsertim si hujus generis reipublicæ membra dispari formâ regiminis utuntur, (1) puta principatibus civitates liberæ degant intermixtæ; præterea inæqualis sint conditionis, alii scilicet potentiores, alii infirmiores, aus diversas destinationes habeant: unde metus, suspiciones & interdum odia. Verè enim Seneca I. de ira 14. *Omne invalidum naturâ querulum est.* Denique si multas inter se lites habeant. Unde fieri facile potest, ut exteri, latæ dominationis cupidi, occasionem nanciscantur temp. turbandi. (2) Accedit lentitudo consultationum.

(1) Crantzius l. 8. Saxon. c. 35. de temporibus Rudolphi I. Imperat. loquens: *Laborat*, inquit, *sine fine Nobilitas, vel Urbium vires minuere, vel penitus obruere.* Adde Piccart. *ad 5. Pol. Aristot.* 3. Severinus *de statu Imp. Germ. c.* 7. §. 7. & quæ diximus supra *sect.* 1. § 17 *in not.*

(2) H. Grotius ep. 1113. A. 1639. *Videt apud Batavos conventum ex conventu nasci, expediri parum. Qualis cunctatio Germaniam perdidit, occasionum celeritate non expectante gentis tarditatem.* Apud Pufendorf. l. 9. Rer. Brandenburgic §. 86. *Notus Poloniæ mos, ut consultationi demum subjiciatur, cujus subversio quæritur.*

III. REMEDIUM est (1) in universum, si adhibeantur regulæ civitatum Achaicarum, quas supra delinea-

delineavimus. Singulatim (2) ad retinendam concordiam ſummè eſt neceſſarium, ut cuique ſua jura maneant, ac nulli concedatur, ut imbecilliorem poſſit opprimere, atque adeo inter diſpares licet opes par ſit omnium libertas atque ſecuritas. (3) Exoletæ prætenſiones æterno damnentur ſilentio & ut quisque poſſidet, ita deinceps retineat. Recentes lites interventu aliorum, qui membra ſunt illius reip. & extra gratiam aut odium poſiti, quantocyus componantur. Quorum ſententiæ qui ſtare detrectaverit, à cæteris coërceatur. Cumprimis (4) cavendum, ne pauci quidam vel inter ſe vel cum extraneis fœdera ineant, contra quodcunque reip. membrum valitura: aut ſi adverſus alios tendant fœdera, ne iis bello totum reipubl. corpus involvatur. Simili ratione (5) providendum, ne exteri reipublicæ ſuæ negotiis ſe immiſceant.

SECTIO VIGESIMA.

DE CIVITATIBUS CLIENTELARIBUS, VECTIGALIBUS & FEUDALIBUS.

I. CIVITATES CLIENTELARES ſæpe ex neceſſitate fiunt.
II. EARUM MALUM reſpectu patroni.
III. Et clientis populi.
IV. REMEDIA adverſus patronum.
V. Et adverſus clientes.
VI. TRIBUTARIÆ etiam ſæpe fiunt ex neceſſitate.
VII. MALUM earum reſpectu populi tributum accipientis.
VIII. Et reſpectu populi tributum pendentis.
IX. REMEDIUM adverſus tributum accipientes.
X. Et adverſus tributa pendentes.
XI. CIVITATES FEUDALES variis ex cauſis fiunt.
XII. MALA earum.
XIII. REMEDIA adverſus dominum.
XIV. Et adverſus vaſallum.

§. I. Ut

§. I.

UT populus in alterius populi clientelam concedat, ſæpe neceſſitas & metus ab imminente hoſte imperat, nec diſſuadendum temerè, ſi populus patronus futurus non ſit alieni cupidus, & tutelam præſtare poſſit.

II. Malum hujusmodi rerump. primum eſt à populo patrono, ſi is patrocinium in dominationem vertat. Ut fabula de equo adverſus aprum auxilium hominis petente, & de columbis milvo ſe ſubmittentibus, & infinita exempla confirmant, quæ conſignavere H. Grotius *I. de J. B. & P. c. 3. §. 21.* Forſtner. *ad XIV. Annal. Taciti 31.* Pufend. *8. c. 9. §. 4. infine.* Magerus *de Advocat. armat. c. 1. n. 144. n. 188.*

* Adde Veteribus exemplis recentius de Tataris Procopienſibus. De quibus Joach. Paſtorius *l. 1. Hiſtor. Polon. plenior. p. 57.* Ut ſolet plerunque populis potentiorum ſocietas in ſervitutem vertere, Turca ad hunc modum ex ſocio dominus factus, tertiam hanc omnem in provinciam ſuperiori ſeculo redegit. Et ſanè Princeps eorum, qui vulgo Chanus vocatur, jurat *per veritatem Alcorani, exſecuturum ſe juſſa omnia ac imperia, quæcunque ſibi ab Aulâ Turcicâ miſſa fuerint.* Ut refert Tavernier *nouvelle relation du Serrail du Grand Seigneur c. 7.* De Luſitanis in Indiâ H. Grotius l. XV. hiſt. Belgic. ad A. MDCVI. *rum opibus & in Barbaros Reges injuria creſcebant. Verſa palam in dominationem ſocietas, & quæ olim fidei vincula, fallendi nunc artes erant.*

III. Alterum malum eſt à populo cliente, ſi is turbatis rebus clientelam exuat.

Armeniosne movet Romana potentia cujus
Sit Dunis?

ait Cæſar apud Lucanum. v. H. Grot. *ad III. Reg. XX, 1.* ubi monet, per clientes non ita bene bellum geri quam per ſubditos: noſſe enim illos non ſuam rem agi.

IV. Re-

IV. Remedia ſunt adverſus malum primum, patrocinium gratuitum paciſci, tabulas clientelares curatè concipere & formare (ubi ignorari non debet, quæ controverſiæ inter patronos & clientes intercedere ſoleant) antigrapha à patrono accipere & curare, ut ab hujus ſucceſſoribus omnia confirmentur; adhæc ſocietatem hujusmodi non in perpetuum ſed ad tempus inire, nec pati ut patronus in clientis regione munimenta extruat, aut in illa præſidia inducat. (1) Inprimis verò clientes conſiderabunt, cujus fidei & patrocinio ſe committant, (2) & tabulis clientelaribus inſeri curabunt, ut populus patronus ultra ea, quæ pactô expreſsê promiſſa ſunt, nihil juris in clientem habeat.

(1) V. egregiam conſultationem Belgarum fœderatorum, utrum Gallis an Anglis ſe committerent, apud Joannem Meurſium *Vit. Auriaci l. X. in calce.* Add. Boxhorn. *Diſquiſit. Polit.* 21. & Zevecot. *ad 2. Flori* 20.

(2) Hoc monitum commendant Gailius *II. obſ.* 54. *n.* 10. Mager *de Advocat armat. c.* 8. *n.* 358. *ſequ.*

V. Adverſus alterum malum remedia ſunt, clientes (1) benignè tractare, quod Romani initio ſolebant: obſides ab iis accipere; principes civitatum clientelarium aut ſaltem eorum liberos ſub ſpecie honoris in miniſteria allegere. v. Polyb. *l. 8. c. 2.*

(1) V. Iſocratem *oratione de pace*, ubi inſignia monita quomodo Athenienſes erga ſocios ſe gerere debeant. De Romanis Livius: *Nullus terror, cum omnia bello arderent, à fide ſocios dimovit, videlicet quia juſto moderatoque regebantur imperio.* Adde Ciceronem *pro Lege Manilia.*

(2) Chani, Principis Tatarorum Procopienſium, filios, qui Soldani dicuntur, & agnatos Turciæ aſſervant in locô Jambal dicto, prope Adrianopolim. v. Victor. Siri *t.* 1. Mercur. *l.* 2. *p.* 513. Thuanum *l.* 67. *hiſtoriar. ad A.* 1578.

VI. Ut inferiores bello aut clientes ad penſitationem quandam annuam ſe obligent, ſæpè * eadem neceſſitas, quæ in clientelaribus rebuspubl. poſtulat.

* V.

* V. Steph. Isthuanffius *l* 21. *histor. Ungar. ad A.* 1563. ubi de Ferdinando I. Imperator. Latrones olim à Regibus Persarum & Medorum tributa exegisse, memoriæ prodidit Strabo *l. XI. Geograph.*

VII. Unde & in hisce civitatibus eadem sunt mala respectu populi, qui tributum accipit: præsertim cum hæc ipsa vox subjectionem arguat. Quæ causa est, quamobrem Tacitus *projectam* vocat *patientiam*, ubi populus alteri tributum pendit. H. Grotius *l. 3. histor. A. 1594.* de civitate Groningâ, quæ Principibus, quos sæpe mutabat, sub propugnatorum honore tributum pendebat, p. 188. *Id latum in præsens dum gratia studetur, quæ postquam magnitudine & invidia consumta est pernities exempli patuit, insito Principibus quovis modo parta retinere, cœptas opes, si obsequio destituantur, per vim intendere.*

IIX. Respectu verò civitatum vectigalium malum est, quod turbidis temporibus onus hocce exuere soleant. V. *II. Reg. I, 1. & III, 4. sequ.*

IX. Adversus primum malum remedium est, si pensitationes illæ tributa aut vectigalia non appellentur* sed stipendia, aut munera, aut donativa.

* V. H. Grotium *l. 1. de J. B. & P. c. 3. § 22. in not.* Idem sunt συνάξεις apud Herodianum. Add. Gregoram *l. 8. c. 15. & l. 11. c. 5.* Victor. Siri *tom. I. Mercur. l. 2 ad A.* 1641. ubi de pace inter Turcicum Imperator. & Persarum Regem, Item pacta. V. quæ diximus supra *part. 1. sect* 12 §. 12.

X. Adversus primum pariter & alterum malum remedia sunt eadem, quæ in civitatibus clientelaribus.

XI. Ut civitas una beneficiario nexu alteri devinciatur, complures possunt esse causæ, quas ex historiis & exemplis multorum seculorum exposui libro *de feudis oblatis parte prima.*

XII. Mala hujusmodi civitatum sunt, si feudi Dominus sive Senior summum imperium in vasal-

lum usurpare moliatur; aut contra vasallus beneficiario vinculo se eximere attentet. v. Becmann. *histor. civil. c. II. §. 2.* Georgius Smolenscіorum Dux oram Smolenscensem fiduciæ jure collatam tenuit à Rege Vitholdo, sed ob perfidiam A. 1403. feudo exulus pœnam felonіæ dedit. Cromerus & ex eo à Kochow *Pl. 1. l. 7. p. 430.*

XIII. Remedia sunt adversus Domini molitiones, si quæ controversiæ inter Dominum & vasallum oriri possunt; maximè ratione investituræ & servitiorum feudalium; in tabulis investiturarum providâ cautione tollantur; cumque feudorum jura ratione curiæ vel dominantis, vel servientis, aut loci investituræ, oppido variare soleant, secundum quæ controversiæ decidendæ sint; in iis exprimatur.

XIV. Adversus vasalli attentata facit, si is certo tempore investituram accipere sive feudum recognoscere, & antigrapho id profiteri obstringatur.

SECTIO VIGESIMA PRIMA.

DE CIVITATIBUS NOVIS.

I. MALUM earum est ipsa novitas.

II. REMEDIUM (1) Imaginem veteris reip. retinere, & sensim mutare.

III. (2) Curare, ut sub novo statu non melius, certè non pejus sibi cives esse intelligant.

IV. Subjungitur observatio ex Machiavello.

§. I.

MAlum earum est sæpe ipsa novitas. Plerunque enim usuvenit, ut populi licet studiis mutatâ civitate, aliqui pristinum reip. statum amare pergant, aut ex pœnitentiâ ad eum regressum faciant. Apud Tacitum *1. Ann. 3.* est: *quotusquisque reliquus, qui remp. vidisset?*

II. Re-

II. Remedium eſt (1) imaginem nonnullam veteris reip. retinere. * *Neque enim ſubito mutantur, ſed prima amant, paucis in rebus alios ſuperantes. Quapropter leges permanent, quæ prius erant; dominantur autem, qui remp. mutant.* ait Ariſtot. *IV. Pol. 5. in fine.* Hinc idem præcipit *VI. Pol. 2.* Si quis è vetere mutatione ſupererit, poteſtatem ejus atterendam eſſe.

* Dio l. 52. p. 493. de Auguſto: *Non omnia quæ ſuaſiſſet Mecœnas ſtatim agere inſtituit, veritus, ne ſi homines ſubitò in alium ſtatum traducere cuperet, res ea parum ſibi eſſet ſucceſſura: ideoque alia confeſtim mutavit, alia poſtea temporis: nonnulla etiam ſequentibus Imperatoribus perficienda reliquit, quæ ſucceſſu temporis commodius conſtitui poſſe judicabat.* conf. Heinſium *de laude Aſini p. 70. & ſequ.* & Cleobuli ſermonem apud Barclajum *l. 2. Argenid.*

III. (2) Inprimis agere; ut ſub novo ſtatu reip. ſi non melius, certè non pejus ſibi eſſe cives intelligant. * *Nullis autem incantamentis magis miteſcunt populi quàm annonæ abundantiâ, pacis curâ & juſtitiæ incorrupta adminiſtratione;* ait Forſtner: *ad 2. Ann. 25. p. 255.*

* Bene Phædrus:

In principatu commutando ſapiis
Nil prater domini mores mutant pauperes;
Id eſſe verum, parva hæc fabella indicat:
Aſellum in prato timidus paſcebat ſenex:
Is hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat aſino fugere, ne poſſit capi;
At ille lentus, quæſo, num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negavit. Ergo, quid refert meâ,
Cui ſerviam, clitellas dum portem meas.

IV. Multa alia inſtituta hèic annotari poſſent. Vide interea Machiavell. *de Principe*, ſed bonis mala miſcentem. Nos enim hîc loquimur de civitate conſenſione populi aut juſtis ex cauſis mutatâ. Illud inſigne ad memoriam eſt, quod idem prodidit

1. ad Liv. 16. & 17. * populum ſingulari imperio inſuetum non poſſe conſervare partam libertatem.

* Confirmat hoc memorabili judicio de Caſtellanis in Hiſpania, Helvetiorum exemplo, in libertatem ſe vindicare nitentibus. Oſorius *de reb. geſt. Emanuel. l.* 12. conf. Forſtner. *ad* 1. *Annal. Tacit p.* 8. *ſequent.* & de Anglia poſt Caroli I. necem. D. Beemann. *c.* 23. *Medit. Polit.* 3.

SECTIO VIGESIMA SECUNDA.
DE INTERREGNIS.

I. Mala interregnorum.
II. Remedia, ubi interregnum ex propoſito populi provenit.
III. Aut ubi præter ejus voluntatem exiſtit.

§. I.

INTERREGNA nunquam proſunt civitatibus, præſertim ſi longa ſunt. Experta hoc Roma, Cæſarum progenie in Nerone defectâ, quando plus ſanguinis anno uno fuſum fuit, quàm longa Neronis tyrannis per annos quatuordecim exhauſerat. Poſtea ſub Papis Roma non ſemel mala interregnorum ſenſit, ut & Germanicum Imperium, ex quo electio Impp. introducta fuit. De Alexandro M. Lucanus l. 10. Pharſal.

Nulloque herede relictô,
Totius fati lacerandas præbuit urbes.

Idem experta Gallia intercepta per ſcientiam Heinrico III. Gelria poſt excuſſum Caroli Ducis. Nimirum ſupra diximus, interregnum democratiæ temporariæ indolem præ ſe ferre; hæc verò, niſi probè temperata fuerit, facilè in ochlocratiam degenerat. Igitur niſi in anteceſſum fuerit conſtitutum, per quos interea vicaria debeat exerceri poteſtas, periculoſiſſimus fere ſtatus interregnorum eſt. Legibus enim velut ſopitis, & debili earum præſidio, ſpes incolumitatis ferè in propriis cujusque viribus collocatur, quam

quam proximum eſt per factiones firmari, quæ ſæpe, ubi diuturnum fuerit interregnum, tam altas radices agunt, ut poſtea à novo Rege tolli nequeant. v. Pufendorf. *diſſ. de interregn.* §. *19.* Plerunque interregna per novas leges & pactiones vim imperii inpoſterum imminuunt. H. Grotius *l. XII. hiſt. A. 1603. p. 433.*

II. REMEDIA autem ſunt, ubi interregnum ex propoſito populi provenit (1) in anteceſſum conſtitui, penes quos interim vicaria ſit reip. adminiſtratio. Si judices in interregnis conſtituti majorem ſibi quam oportet poteſtatem ſumunt. v. Piaſec. *chron. ad A. MDCXXXII. p. 447.* (a) Præſtat autem hos plures potius eſſe, quam unum, ne ſi iſte militari præſidio ſit ſtipatus, vel invito populo imperium retineat. Quò etiam facit, Vicariorum illorum poteſtatem ad certos duntaxat actus, quos pro arbitrio expedire queant, reſtringere, uti ſunt quotidiana & moram non ferentia negotia: quæ verò ſummam rerum ſpectant, cum conſenſu omnium decerni. (2) Ne Rex ſponte ſua ſive pro lubitu ſe abdicare poſſit regno, (b) ut cautum in pactis conventis cum Michaele Rege Poloniæ. (3) Comitia electionis maturè indicenda, & citra neceſſitatem non diu extrahenda, de quo ſupra *ſect. 5. §. 19.* (4) Militem ſi quis eſt perpetuus tempore interregni diviſum per regnum habere, neque concedere, ut is in unum locum coire poſſit. (5) Diſſidia & factiones, ſi quæ oriuntur, in herbâ opprimere. v. Putendorf. *d. diſſert. §. 21.* Thuan. *l. 56. ad A. 1575. p. 36. b.*

(a) In Polonâ Interrex eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis, cui adjuncti ex minori majoriquePoloniâ ac magno Ducatu Lithuaniæ Deputati. v. Hartknoch. *l. 2. de Polon. cap. 1. §. 7.* Veſp. à Kochovv *Clim. 1. Ann. Pol. l. 1. ad A. 1648.* Archipræſul Gneſnenſis ſub interregno primas regni primusque Princeps eſt, regalia exercet ac caput publicorum conſiliorum

habetur. Agit ibi etiam de formâ judiciorum tempore interregni.

(b) V. Hartknoch. *d. l* §. 5. *in calce.*

III. Ne præter populi voluntatem interregnum exiſtat, in regnis ſucceſſivis remedium eſt (1) lege lata controverſias de ſucceſſione prævertere, notatis ac definitis præcipuis caſibus, qui ancipitem habere diſceptationem videntur. Ut ſupra *ſect.* 5. §. 8. diximus. (2) Cum Rege, qui regnatricis domus ultimus eſt, agere, ut is clauſis & nonniſi poſt ejus mortem aperiendis tabulis ſucceſſorem deſignet. (3) Ejusdem maturare nuptias.

SECTIO VIGESIMA TERTIA.

DE TYRANNIDE, DYNASTIA & OCHLOCRATIA.

I. Auctores, qui de artibus tyrannicis egere.

II. TYRANNIS eſt peſſima reſpublica.

III. MALUM ejus eſt odium populi.

IV. Et tyranni metus.

V. REMEDIA ad tria capita redegit Ariſtoteles. Primum eſt ut cives humili & demiſſo ſint animo.

VI. Secundum. Ut inter ſe non fidant.

VII. Tertium. Ut nihil poſſint.

IIX. Hinc Tyrannidis inſtituta ſunt. (1) Viros excellentes deprimere, aut prorſus è medio tollere.

IX. (2) Cum probis viris bellum gerere.

X. (3) Non pati civium conventus aut liberalia ſtudia.

XI. (4) Dare operam, ne inter ſe noti ſint & familiares.

XII. (5) Peregrinos ſemper præſto eſſe, & delatoribus quaſi obſeſſam eſſe civitatem.

XIII. (6) Diſſidia inter cives ſpargere.

XIV. (7) Cives ad incitas redigere & extremam pauperiatem.

XV. (8) Bella continenter gerere.

XVI. (9) Fœminis & ſervis ſe indulgentem præbere.

XVII. (10) Nullo gravi ac libero homine delectari. Contra aſſentatoribus libenter auſcultare.

XIIX.

XIIX. (11) Externis potius fidere, quàm civibus.

XIX. DYNASTIÆ multa hujuſcemodi inſtitutis habent ſimilia.

XX. OCHLOCRATIA quoque tyrannidi reſpondet.

XXI. Hujus inſtituta ſunt (1) ut plebs, hoc eſt, pauperes & reliqua fæx populi publicam rem omnem habeat in poteſtate.

XXII. (2) Bellum gerere contra nobiles.

XXIII. (3) Aſſentatores in pretio eſſe.

XXIV. (4) Familiaritates inter nobiles ſive primarios cives dirimere.

XXV. (5) Servis, fœminis, pueris magnam indulgere licentiam.

§. I.

DE artibus tyrannicis accuratiſſimè egit Ariſtoteles *V. Pol. 10. & 11.* & paſſim. Cui addendus Plato *l. 8. de Republ.* Xenophon *in Hierone* & *in opuſculo, quo Athenienſium ſuorum rempublicam perſtrinxit.* Seneca *Thebaid. act. 4.* Inviſa nunquam imperia retinentur diu. Aſtyages ultimus Medorum Rex propter crudelitatem imperio dejectus. Juſtinus *l. 1. c. 5.* Dionyſius junior eandem ob cauſam civitate Locrorum pulſus eſt. Juſtin. *l. 21. c. 2. & 3.*

II. Eſt autem tyrannis peſſima respublica, * ſive imperantem reſpicias, ſive eos qui reguntur. *Tyrannis enim è poſtremo paucorum dominatu concreta eſt & ſtatu populi* (ſive ochlocratia.) Ariſtot. *V. Pol. 10. ab init.* Quanquam Deus interdum Tyrannis, ut inſtrumentis ſuis, utatur.

* Tacit. 6. Ann. 6. *Non fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur.* Plato eſt is, quem hîc indicat Tacitus, *libro de Rep. 9.* de tyranno ſic inquiens: *Mendicus revera eſt, ſi quis univerſum ipſius animum rectè norit inſpicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus mœroris & cruciatuum.* Cornel. Nepos in Dione c. 9. *quàm inviſa ſit ſingularis potentia & miſeranda vita, qui ſe metui, quàm amari malunt, cujus facile in-*

tellectu fuit. adde *c.* 5. §. 3. Nota etiam hiſtoria Dionyſii & Damoclis.

III. Præter mala, quæ cæteras respublicas & inprimis regna evertunt, tyrannidi maximè nocet odium: * *hoc enim à tyrannis abeſſe non poteſt.* ait Ariſtot. *V. Pol. 10.* quod ita ἀκόλουθον Heinſius: *ut corpus umbra, ita odium conſequitur tyrannidem.* Odium autem magis nocet, quàm ira; V. Ariſtot. *V. Pol. 10.* Hoc odium interdum ſola honoris cupiditate, ut quis ex facinoris patratione clarior evadat, Ariſtot. *V. Pol. 10.* ubi obſervat hoc rarius fieri.

* Bene Polyb. *l* 2. *hiſt.* Ἀυτὸ γὰρ τύραννος (τὸ τυραννεῖν) ἀφεῖται τὴν ἀσπασιωτάτην ἔμφασιν, καὶ πάσας ἀφείληφε τὰς ἐν ἀνθρώποις ἀδικίας καὶ παρανομίας.

IV. Odii comes eſt * Tyranni metus: qui dum omnia etiam tuta quævis timet, facile in oppreſſione civium potentiorum modum excedit (2) & viciſſim odit.

(1) Tyrannorum animos ad omnes ſuſpiciones pavidos notat Tacitus. Seneca in Oedipo:

Timet timentes, metus in auctorem redit.

Πᾶν ἐν τοῖς τυραννίσι δεινὸν φοβηθέν. *Timidum omnia crudelia*; ait Plutarch. *in Artaxerxe.* Benè Livius: *cavendo ne metuant homines, metuendos ultro ſe efficiunt, & injuriam à nobis repulſam, tanquam facere aut pati neceſſe ſit, injungimus aliis.* conf. ſupra *ſect.* 1. §. 27.

(2) Italorum eſt proverbium: *Chi offende, non perdona mai.* Tacitus ait in Agricola c. 42. *Proprium eſt humani ingenii odiſſe, quem laſeris.* & I. Annal. 33. *odiorum cauſæ acriores, quia iniquæ.* Hoc nimirum habent animi magna fortuna inſolentes, quos læſerunt & oderunt.

V. Remedia, quæ opponere conſueverunt tyranni, ad tria capita reducit Ariſtoteles *V. Pol. 11.* Primum eſt: *curare, ut demiſſo atque abjecto animo ſint cives. Nam qui parvi eſt animi, nemini inſidiatur.*

VI. Alterum eſt, *ut inter ſe non fidant: non enim prius evertitur tyrannus, quam aliqui fidere ſibi ipſis cœperint.*

VII. Ter-

VII. Tertium, *ut facultate rerum gerendarum deſtituatur: nemo enim facilè attingit, quæ fieri poſſe deſperat. Quare neque etiam tyrannidem frangere aggredietur, nou ſuppetentibus viribus. Atque hi tres ſunt ſcopi, ad quos tyrannorum conſilia revocantur. Omnia namque tyrannica inſtituta ad fines hos reducere quis poterit: tum ut ne inter ſe fidant; tum ut nihil poſſint; tum ut humilia ſentiant ſubditi.* ait Ariſtot. *d. l.*

IIX. Hinc tyrannicæ inſtitutæ ſunt (1) *viros, qui excellunt, deprimere,* [a] *magnoque animo praditos tollere.* [b] Ariſtot. *d. l.* Quò pertinet etiam Periandri conſilium Thraſybulo datum [cujus meminit Ariſtoteles III. *Pol.* 9. & *V. Pol.* 10.] ſpicas eminentiores demetentis, ut ſignificaret, principes viros è medio tollendos. [c] Theſeus apud Euripidem *Supplicibus*, poſtquam dixerat, populum principem delectari ſubjectis civibus fortibus, ſubjicit:

Ἀνὴρ δὲ βασιλεὺς ἐχθρὸν ἡγεῖται τόδε,
Καὶ τὰς ἀρίστας, ὃς ἂν ἡγῆται φρονεῖν,
Κτείνει, δεδοικὼς τῆς τυραννίδος πέρι.
At vir tyrannus putat hoc ſibi, inimicum,
Et præſtantiſſimos, quos putat ſapere,
Interficit, metuens ſuæ tyrannidi.

Mox:

Ὡς λειμῶνος ἡβητὸς σάχυν;
Τόλμας ἀφαιρῇ καπολωτίζῃ νέους;
Sicut ex prato verno ſpicam,
Aufert audaces cives, & demetit juvenes.

[d] Hinc majeſtatis crimen, quod Tacitus dixit *vinculum & neceſſitatem ſilendi:* item, *omnium accuſationum complementum.*

[a] Hanc ob cauſam nec fratribus parcunt. Qui mos fuit Sultanorum Turcicæ, nec deſunt exempla veteris ævi. V. *Jud.*

V. 4. 2. *Paralipom. XXI.* 4. Plutarchus *in Demetrio.* Xenophon *in Hierone* notat, Tyrannos complures liberos suos occidisse.

[b] Hinc Tacitus: *Sinistram erga eminentes interpretationem, nec minus periculum* dicit *ex magna fama, quàm ex mala. in Agricol. V.* 6. *Nobilitatem, opes, omissos gestosque honores pro criminei & ob virtutes certissimum exitium.* Apud eundem Tacitum hoc argumentum est pleræque partis annalium, ceu in quibus utramque paginam faciunt *suspecti, depressi, contusi, subversi, potentes ac illustres viri.* Apud Tacitum est XVI. Ann. 14. 2. *divitias multis exotio fuisse.* v. 6. Ann. 19, 1. 12. Ann. 59, 1. 14. Ann. 65, 1. 16. Ann. 14, 2. & cap. 17, 4. De illis temporibus Tacitus III. Annal. 55. XVI. Ann. 7, 2. *magnitudo fama exitio erat.* Unde nova & satis efficax ad infamiam temporum prudentia, *claritudinem suam obsequiis* [indecoris] *protegere* III, Ann. 61, 2. & *inertiam pro sapientiâ amplecti.* Agricol. cap. 6. Vide & *Judic. IX.* 21. 41, 2. conf. *Ecclesiast. Salomon. X.* 20. *Paralipom. XXI,* 4. Ita Herodes præcipuos ex Synedrio sustulit.

[c] Potentiores reip. graves & molestos, tanquam spinas è segete, tollendos suasit Vespasiano Apollonius Tyanensis apud Philostratum *lib.* 5. *de vit. Apollon. c.* 13. Albanus Belgii præfectus voce alpera suique ingenii, *pauca Salmonum piscium capita multis ranunculorum millibus præstare jactans,* novo more veterem exprimebat sententiam, quæ, sublatis è republica primoribus, regnum munire docet, apud H. Grotium, *l.* 2. *Ann. Belgic. ad A.* 1568. qui paulo ante dixerat, *præcipuam nobilium stragem, & qui auctoritate aut opibus valuerunt, factam; quorum mortes in securitatem, fortuna in fiscum & prædam Hispanis cesserint.*

[d] *Tam suspecta bonis Principibus majestatis criminatio, quàm tyrannis opportuna, ut qua reos omni legum auxilio exuat, & pene sola nominis atrocitate convincat,* ait Albani temporibus H. Grotius l. 2. Ann. Belgic. ad A. 1568.

IX. (2) *Cum probis viris bellum gerere, ut detrimentosis suæ potestati,* * *non solum quia herile imperium ferre nequeunt, verum etiam quia fidi sunt & sibi ipsis & aliis, nec indicarent aut socios insidiarum aut alios.* Aristot. *d. l. c.* 11. Ad talem pertinet, quod

Jon

Jon dixit in ejus nominis tragœdia apud Euripidem:

Ὡς τὰς πονηρὰς ἡδονὴ φίλας ἔχειν,
Ἐσθλὰς δὲ μισεῖ, καταθάνειν φοβούμενος,
Cui voluptas eſt improbos habuere amicos,
Et bonos odit, metuens ne moriatur.

* Aliena illis virtus formidoloſa eſt, ait Salluſtius. Idem Catilin. VII. *Regibus* (hoc eſt, Tyrannis) *boni quàm mali ſuſpectiores ſunt.* Tacitus in Agricola *c.* 2. de tyrannicis temporibus: *Expulſi ſapientiæ profeſſores neque omnis bonæ artis in exilium acta, ne quid uſquam honeſtum occurreret.* Paulo ante tempora illa *ſæva & infeſta virtutibus* dixit: Græcinum Julium C. Cæſar occidit *ob hoc unum, quod melior vir erat, quàm eſſe quemquam Tyranno expediret*, ut refert Seneca II. de benef. 21. Nimirum ut viri boni quam maximè facerent, quod tamen non ſemper jus eſt, tamen ipſa illorum vita tyrannus ſua flagitia exprobrat. Cui rei omnino aliud invenerunt remedium, quam ut magna odia magno metu compeſcant. Grot. *ad Matth. XIV* 3.

X. (3) *Neque concœnationes permittere, neque ſodalitatem, neque diſciplinam, neque aliud quidpiam hujuscemodi; ſed omnia cavere, unde ſolent exoriri duo, animoſitas ſc. & fides.* Ariſtot. *d. l.* De Tarquinio ſuperbo Dionyſ. Halicarnaſſ. *l.* 4. Cœtus omnes, quotquot erant antea vicanorum fratrum aut vicinorum in Urbe & agris, ſacrorum & rei divinæ cauſa, interdixit, ne multi ſimul coenantes eodem loco ſecreta conſilia inirent ad imperium diſſolvendum.

XI. (4) *Nec ludos literarum neque alios conventus permittere, in quibus honeſto otio homines fruantur. E contrario omnibus modis eniti, ut cuncti maximè inter ſe ſint ignoti: notitia enim facit, nt majorem ſibi fidem mutuo habeant.* Ariſtot. *d. l.*

XII. (3) *Peregrinos ſemper præſto eſſe, & verſari circa fores. Ita enim minimè clam eſſe poterit quicquid agunt cives, & aſſueſcent humiliter ſentire ſemper ſervientes.* [1] Eodem pertinet inſtitutum ſpecula-

culatorum, *Ut erant Syracuſis qui dicebantur Potagogides, & Otacuſta, quos Hiero ſummittebat, ſi quis eſſet conventus vel circulus. Nam qui à talibus ſibi metuunt, & minus liberè loqui ſolent,* [2] *& ſi liberius fuerint loquuti, minus latent,* Ariſtot. *d. l.* [3]

[1] Tales auſcultatores erant Salamine in inſula Cypro Γεγύνοι τῇ σαμάλαγγες apud Athenæum l. 6. Δειπνοσοφ. ubi Clearchus de Cypriorum regno loquens: πάνυ γὰρ τὸ κτῆμα τυραννικόν ἐστι, omnino enim poſſeſſio tyrannica eſt. Tarquinius Superbus paſſim habebat ſpeculatores. κατάσκοπος τῇ διερευνητὰς τῶν λεγομένων τι τῇ πραττομένων, ut auctor Dionyſ. Halicarnaſſ. l. 4. Antiqu. Rom. Aves cœli vocantur Eccl. Salom. X, 20. Tacitus in Agricol. c. 2. tyrannicis Romanorum temporibus, *ademtum per inquiſitiones loquendi audiendique commercium*, notat. Idem IV. Annal. 33. in ſumma malorum Tiberiani imperii ponit *fallaces amicitias*. Hinc Demoſthenes ajebat, adverſus Tyrannos unicum eſſe vallum, unicum murum ἀπιστίαν.

[2] Apud Tacitum VI. Annal. *fœmina etiam ob lacrymas accuſata*. Idem narrat, *filios Mithridatis truncidatos, quod caedibus parentum illacrymaſſent*, in Agricol. c 45. de temporibus Domitiani: *cum ſuſperia noſtra ſubſcriberentur: cum denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſavus ille vultus.*

[3] Huc refert etiam callidum Ismaelis Perſarum Regis conſilium, qui ut amicos ab inimicis poſſet diſtinguere, ſecretum locum petiit, atque emiſſariorum opera mortem ſuam publicari curavit, hinc fama ſparſa vultus Procerum notari, & prout quiſque aut luctu aut lætitia afficeretur, obſervari. Quo facto, ut inimicis ſemet indicio prodentibus, iisdem Ismaël ſupplicium inferret. Thuan. *l.* 67. *hiſt. ad A.* 1578. adde ſimile *l.* 20. *hiſt. ad A.* 1557. Eundem ſcopum habuit factum Dionis, ſed imprudens. V. Nepos *in Dione c.* 8. *ſeqq.*

XIII. (6) *Criminari, & inter ſe committere amicos cum amicis, plebem cum nobilibus, divites cum divitibus.* v. Platon. *converſ. p.* 319. Ariſtot. *d. l.* *

* Nempe ut diſtracti diſſidiis ſubditi nihil contra Tyrannum moveant, ipſe verò ſubditorum vecordia tutus triumphet. V. Zevecot. *not. ad Sueton. Jul. p.* 60. 61. Pertinet huc divertium. *divide & impera.*

XIV. (7) * *Cives reddere pauperes, ne neceſſe ſit preſidium alere, & ut illi in victum quotidianum intenti ad*

ti ad insidias tyranno struendas tempus non habeant vacuum. Aristot. *d. l.*

* Huc refert Aristot. pyramides Ægypti, donariá Gypselidarum, sive, ut aliis placet, colossum, quem damnatus voti ipse Gypselus Corinthiorum Rex extruxit; templum quod Athenis Jovi Olympio extruxerunt Pisistratidæ; item Polycratis opera quæ Sami suot. Plinius qnoque *lib.* 36. *Nat. histor. c.* 12. observavit Pyramidum faciendarum causam fuisse Regibus Ægypti, ne plebs esset otiosa. Nec alio fine à Pharaone imperarum populo Hebræo, ut lateres conficeret: quod abundè docent ipsa Mosis verba. Ezechiel Tragicus apud H. Grotium *ad Acta Apostol. VII*, 19. Robert Knor. *l.* 2. *de insula Ceylon, l.* 2. *c.* 3. Pari de causa Tarquinius plebem Romanam in fossas cloacasque exhauriendas demersit. V. Liv. *l.* 1. *c.* 55. Eodem pertinent exactiones tiburorum, ut ibidem docet Aristoteles.

XV. (8) *Bella serere, ut continentibus curis promantur, & duce* (hoc est, tyranno) *opus habeant.* * Aristot. *d. l.*

* Accedit, quod occasione istius modi bellorum promptissimos è civitate dimittere, perque vim hostilem casusque alios possit tollere tyrannos, minore cum odio, & majore cum utilitate sua.

XVI. (9) Fœminis [1] & servis se indulgentem præbere, ut eorum opera arcana domuum explorent. Eubulus Comicus *Dionysio Tyranno:*

Τούτους δ' ἡγεῖται μόνους
Ἐλευθέρους, κἂν δοῦλος ἦτις.

Sint quamvis servi, hos solos ingennos putat. v. Grot. *in excerpt. p.* 648. *Nam & non insidiabantur tyrannis servi ac mulieres,* [2] *& ex sententiâ viventes necesse est bene esse affectos & in tyrannides & in ochlocratias.* Aristot. *d. l.* conf. II. *Pol.* 7.

[1] Sic Tiberius primus legem tulit, ut servis accusare dominos liceret. Qua ex lege seu δουλοκρατία toto terrarum orbe ingentes extitisse calamitates, scribit Suidas. Tiberium novi & callidi juris repertorem in hac ipsa re vocat Tacitus, conf. H. Conring. *de prud. civ. c.* 14. *p.* 120.

[2] Clau-

[2] Claudianus in Eutrop. l. 1.

Non beſtia terrior ulla,
Quàm ſervi rabies in libera colla frementis.

XVII. (10) *Nullo gravi aut libero homine delectari. Nam ſe unum talem eſſe vult tyrannus. At ſi quis pari utatur gravitate & libertate, tollit excellentiam & dominatum tyrannidis. Eos igitur ut poteſtatem ſuam diſſolventes oderunt.* Ariſtot. *d. l.* * Contra improbi & adulatores tyrannis chari eſſe ſolent. Ariſtot. d. l.

* *Eo ſe munitiores putant, quo illi, quibus imperitant, nequiores fuere.* ait Salluſt. *ad Cæſar.* conſ. *Judic. V*, 4. Euripides *Hercule furcate:*

Πολλὰς πένητας, ὀλβίους δὲ τῷ λόγῳ
Δοκεῖντας εἶναι, συμμάχους ἄνακτ' ἔχει,
Multos pauperes, ſed qui ſermone divites
Videntur eſſe, auxiliarios habet Rex.

XIIX. (11) *Ad convivium adhibere potius peregrinos quàm cives, & familiariter cum illis vivere; [1] quod hi quidem ſint inimici, illi verò minimè ipſis adverſentur.* Ariſtot. *d. l.* Hinc tyrannorum cuſtodia conſtat è peregrinis. Ariſt. V. *Pol.* 10. [2]

[1] Tacitus de Nerone: *Germanis fidebat Princeps ut externis.* Ita Sultani Turcici miniſtros habent ſumptos ex clauſtris & ſcholis, ubi ignorantes patentes ſuos à pueris educantur, nec alium agnoſcunt parentem, quàm Sultanum, cujus ſumtibus aluntur.

[2] Adde his, Dionyſium filiabus ſuis ſe tondendum dediſſe. V. Ciceron. 5. *Tuſculan.*

XIX. Multa hujuſcemodi inſtitutorum etiam dynaſtiæ ſunt communia. *Hæc enim eodem modo ſe habet, ut Tyrannis in imperiis unius.* Ariſtot. IV. *Pol.* 5. Hinc *utriusque finis ſunt divitiæ, ceu abs quibus nec præſidium alere, nec voluptates ſuas explere poſſent.* Hinc *nec ulla in re ſe committunt multitudini: quâ de cauſa etiam arma adimunt.*) * *Affligere quoque plebem, atque ejicere ex urbe, & ſedibus exturbare, utrius-*

que

que commune eſt, & dynaſtia, & tyrannidis. Ariſtotel. V. *Pol.* 10.

* Hinc externi magis foventur, quàm ipſi cives. Quo pertinet ſingulare arcanum quarundam Germanici Imperii liberarum Civitatum, quod annotavit Rachelius *Diſſertat. de jure Gentium* §. 22.

XX. *Proportione etiam reſpondet ochlocratia tyrannidi;* * *nam & mores iidem ſunt, & ambo hi ſtatus dominantur melioribus.* Ariſtot. IV. *Pol.* 4. & 14. IV. *Pol.* 4. *circa finem.*

* Plutarchus *in vita Dionis:* Δημοκοπίαν ſive ambitionem populatem vocat νόσημα ἐπιμανὲς, τυραννίδος οὐκ ἔλαττον, *veſanum morbum, tyrannide non minorem.* Ibidem commemorat, Platonem alibi dixiſſe, tam *laxam populi libertatem nihil aliud eſſe, quàm univerſalem quendam rerum civilium mercatum.*

XXI. Hujus igitur inſtituta ſunt (1) curare, *ut pauperes* (qui ſemper plures ſunt Ariſt. VI. *Pol.* 2.) *& fex ſive vappa populi ſuperet nobiles & medios*, remque publicam omnem habeat in poteſtate. Ariſtot. VI. *Pol.* 4. Hinc conſueverunt quam plurimos adſciſcere, & cives facere non ſolum legitimos, verum etiam nothos, & qui ex utrolibet cive nati ſunt; patre dico vel matre. Ariſtot. *d. l.* & *III. Pol.* 3. *circa finem.* [1] Hinc concio in ſua poteſtate habet omnia, magiſtratus autem nihil, vel quam pauciſſima. Ariſtot. VI. *Pol.* 2. Eandem ob cauſam heic creantur omnes ex omnibus; [2] ſorte ducuntur cuncti, qui non egent uſu atque arte; non è cenſu ullo conſtant magiſtratus, vel quam minimo, & quæ ejus generis ſunt alia. V. omnino Ariſtot. *d. l.* & *IV. Pol.* 14.

[1] Anacharſis in Athenienſium concionem jocabatur: in iis *prudentiſſimos deliberare, ſtultos decernere.* Plutarchus in Solone.

[2] Tales ſcilicet, quales evehit, quoties Fortuna vult jocari, ut loquitur H. Grotius *appendic. epiſt.* 394. *in fine.*

XXII. (2) *Bellum gerere contra nobiles, & clam palam*

palam eos interimere, atque in exilium pellere tanquam æmulos. Ariſtot. V. *Pol.* 10. conf. V. *Pol.* 5. & 9. *in med.*

* De populo Athenienſium Diodorus Siculus l. 13. Bibljoth. c. 102. *Tam perditè tunc populus inſanivit, ut Oratoribus prater jus ac fas exacerbatus, iram ſuam in viros, non modo nullâ pœnâ, ſed magnis inſuper laudibus & coronis dignos, exoneraret.* Apud Ariſtotelem eſt III. *Pol.* 10. In democratiâ hac ultimâ *pauperes dividere ſibi bona divitum.* Adde Xenophontem, *libello de Athenienſium republicâ.*

XXIII. (3) *Aſſentatores*, ſive demagogos, *in pretio eſſe.* Ariſt. IV. *Pol.* 4. & 5. *Pol.* 11.

* Horum artes egregiè deſcribit Ariſtophanes *Equitibus:* inter alia ait:

Ταυθ' ἅπερ ποιεῖς πόει.
Τάραττε κ) χόρδευ' ὁμῶς τὰ πράγματα
Ἅπαντα κ) τὸν δῆμον αἰεὶ προσποιῶ
Ὑπογλυκαίνων ῥημάτιοις μαγειρικοῖς.
Τὰ δ' ἄλλά σοι θεόσεισι δημαγωγικά.
Φωνὴ μιαρά· γίγονας κυκός· ἀγορᾶ σ' ἔτι.

Quod ſoles facere, id face.
Convolve, farci, quantum pote, negotia,
Tum plebem facito blandis obſequiis tuam,
Eam demulcens verbis dulciariis.
Tribunitia cuncta virtutes adſunt tibi:
Malus animus, vox impura, deinde uſus ferè.

Idem poſtea, ex verſione H. Grotii.

Anguillas ut qui captitant, ſic facere tu ſolebas:
Namque illis placidum cùm ſtetit ſtagnum, captura nulla eſt.
At cœnum ſi commoverint ſurſum undique & deorſum.
Tum capiunt; ſic & ut capis commota civitate.

Xenophon *de Athenienſium republica* poſtquam dixiſſet, Atheuienſes etiam futilibus poteſtatem dicendi facere, addit: *Nimirum intelligunt illi, hujus imperitiam ac futilitatem, conjunctam cum benevolentia, plus ſibi prodeſſe, quàm viri egregii virtutem ac ſapientiam, cum malevolentia conjunctam.*

XXIV. (4) Familiaritates inter nobiles ſive primores dirimere. Quò pertinet conſilium, cujus

jus meminit Ariſt. VI. *Pol.* 4. * de curiarum ſive tribuum multiplicatione, & diſcrimine civium tollendo.

* V. Piccart. *in comm. ad d. l, p.* 890. *ſequ.* ubi hunc locum eruditè explicat.

XXV. (5) Fœminas, * ſervos & pueros licenter vivere. V. Ariſtot. VI. *Pol.* 4. in fine.

* De Athenienſibus hoc notavit Xenophon *libello de Athenienſ. republica.* Ait enim: *Servorum & advenarum maxima eſt Athenis petulantia; neque pulſandi eos cuiquam illic jus eſt, neque ſervus tibi cedit.*

SECTIO VIGESIMA QUARTA.

DE TYRANNIDE TITULO.

I. HUic ſpeciei reip. inprimis obeſt defectus voluntatis, unde fit ut tyrannides tales raro ſint diuturnæ.

II. Eas conſervandi rationes ſunt diverſæ, prout fallaciâ, vel vi occupantur.

III. TYRANNIDIS FRAUDIBUS PARTÆ artes ſunt (1) ſpeciem reip. veteris retinere & præcipua negotia ſummæ poteſtatis ad ſe trahere.

IV. (2) Superiores magiſtratus diſſenſionibus inter ſe committere.

V. (3) Si quid contra leges factum, ex adverſo grati nonnihil interponere.

VI. (4) Precibus & blanditiis interdum potius quam vi agere.

VII. (5) Tyrannidem reddere magis regiam.

IIX. Et gubernandi rationem in regnis uſitatam imitari.

IX. (6) Nobilitatem generis Tyranni ex vetuſtate repetere.

X. (7) Ut populus mutandi imperii curas abjiciat, ubi aliæ occupationes deſunt, delitias ei objicere.

XI. TYRANNIS interdum FAVORE PARTIS CIVIUM paratur, & quidem vel plebis, quod plerunque fit.

XII. Vel militum, quod non vacat periculo.

XIII. Ejus artes ſunt: (1) ſtudia partis illius civium commentis quibusdam accendere.

XIV. (2) Senſim de aliis ſibi proſpicere viribus.

XV. TYRANNIDIS per VIM OCCUPATÆ artes ſunt (1) Injurias o-

mnes ſimul & ſemel effundere.

XVI. (2) Illos, qui potius jus ad imperium prætendere poſſunt, extirpare.

XVII. (3) Matrimonio ſibi robur circumponere.

XIIX. (4) Alias tyrannicas artes adhibere.

XIX. Eadem fere obtinent, ubi PAUCI tyrannidem invadunt.

§. I.

PRæter mala, quæ cætera regna afficiunt, heic inprimis obeſt tituli defectus, propter quem non poſſunt non ànimo male affecti eſſe, qui obſequuntur, (1) quicquid etiam ſimulent ad tempus. Fidei enim vinculo & conſenſione inprimis conſtant civitates. Hinc Ariſtoteles (loquutus de hac reip. ſpecie, ut ex allatis ante exemplis colligitur) obſervavit V. Pol. 12. *Multas tyrannides exiguo admodum tempore perduraviſſe.* (2) Idem ſenſit Thales, qui interrogatus, quid rarum vidiſſet, *ſenem*, inquit, *tyrannum*, teſte Laertio *in Thalete*, Plutarch. *in Sympoſio* & in *dem. Socrat.* Ælianus VI. vari. hiſtor. 13. *Pulcherrimè à Diis immortalibus comparatum, ut nullam tyrannidem uſque ad tertiam generationem propagent: ſed aut confeſtim tyrannos tanquam piceas perdant & extirpent, aut liberos eorum viribus denudent ac ſpolient.* Nota exempla Bonis in Moſcovia. v. Grot. *l.* 15. *hiſt. p.* 497. Cromwellii: Seneca: Tyrannorum exſecrabilis ac brevis poteſtas eſt. Addit: [2] *Memorantur apud Græcos intra hominum memoriam hæ ſolum tyrannides uſque ad poſteros permanſiſſe Gelonis in Siciliâ, Leucanorum in Boſphoro & Cypſelidarum Corinthi.*

[1] De Demetrio Phaleteo Phædrus l. 5. fabul. 2.
Athenas occupavit imperio improbo,
Ut mos eſt vulgi, paſſim & centatim ruunt.
Feliciter ſuccłamant ipſi Principes.

Illam

Illam oſculantur, qua ſunt oppreſſi manum,
Tacitè gementes triſtem fortunæ vicem.

[2] Aliqua horum exemplorum & alia habet etiam Ariſtoteles *dicto loco.* Adde Nepot. *de Regibus c.* 2. de Dionyſio priore. Nimirum tales plerique bellicæ virtutis gloria peritiave operum militarium eminuerunt, abs quibus qui ad tyrannidem pervenerit, aut tetinere eam potuerit, vix reperies. Contra quanto quisque iſtbac arte fuit inſtructus, tanto ei promptius adverſus rempublicam ſucceſſit. Quod vel unum Cæſaris exemplum poſſet demonſtrare, & Agathoclis, Petiandri, aliorumque eſſemus deſtituti. Quanquam & hic quoque divinæ providentiæ ſigna liceat deprehendere, horum operâ utentis ad ferocientium populorum mores caſtigandos. Cæterum confirmantur cum tempore hujusmodi reip. injuriatum exoleſcente memoria dum ſeniorum in locum ſuccedunt alii qui vetera audiant tantum audita ſegniter credunt, v. H. Grotius *l.* 17 *A. B. p.* 545.

II. Enimverò modi tyrannidem hanc conſervandi differunt: nam vel unus dominatum invadit, vel plures; idque (1) vel fraude ſive fallaciâ, (2) tractâ interdum in conſenſum populi parte, (3) vel vi.

(1) Huc pertinent, qui ex allentatoribus populi evaſere tyranni. Quod olim in Græciæ ſæpe factum. V. Ariſtot. V. *Pol.* 5. & 10.

(2) E. g. plebis, cujus favore Julius Cæſar tyrannidem in rep. Romana occupavit. Item exercitus, qui in eadem Rep. ſæpe Imperatorem conſtituerunt. Sic Othonem ſibi fecerunt Principem qui in Urbe erant, exercitus verò Vitellium. & cum Vitellium Urbs recepiſſet, exercitus Imperatorem fecerunt Veſpaſianum.

(3) Ut Tarquinius Romæ publicè faventem habuit neminem, non Patres, non plebem, *nec ad jus regni quicquam præter vim attulit*, ut loquitur Livius *l.* 1. *c.* 49.

III. Tyrannidis ab uno occupatæ & dolo fraudibusque innexæ hæ ſunt artes (1) Munia magiſtratuum ac legum, ut Tacitus loquitur 1. *Ann.* 2. paullatim invadere, & *prioris libertatis ac reip. ſpeciem aliquam relinquere. V. Ariſtot. IV. *Pol.* 5. *in fine.* Boxhorn. II. *Pol.* 4. §. 6.

* Ita Julius Cæsar, licet re fuerit Rex, abstinuit regio nomine, & cùm per vim dominatum sibi parasset, vi etiam ille defenderetur, voluit tamen videri, non mutasse pristinam reip. formam. Hinc permisit à populo sibi conferri honores, & dignitates, & titulos, quasi ea illiorum collatio in populi adhuc potestate esset sita: cum tamen nihil horum non jam tum sibi cepisset, si rem ipsam spectes, ut populo præter inania vocabula nihil potuerit addi. Similibus vaframentis illuserunt populo Romano Augustus & Tiberius. Quorum artes Dio inprimis & Tacitus accurate prodiderunt. V. Forstner. *ad l. Ann. Taciti verb. eadem magistratuum vocabula*, ubi plurimis exemplis idem illustrat.

IV. (2) Superiores magistratus, quibus sc. præcipua libertatis cura est mandata, dissensionibus ac simultatibus quavis arte inter se committere.

V. (3) Ubi inter initia forte aliquid factum erit contra leges & superiores magistratus, ex adverso grati nonnihil, quo earundem legum eorundemque magistratuum jus iterum attolli magis videtur, quam attollitur, subinde interponere, quo conceptum propter priora ausa odium exuatur ac minuatur. Boxhorn. *d. l.*

VI. (4) Quæ adversa sunt libertati, * sæpe blanditiis, precibus, persuasionibus. denique prætextu publicæ utilitatis, quàm vi usurpare.

* Plato *epist. 7.* Τὰς δὲ τῶν τυράννων δεήσεις ἴσμεν, ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσίν. *Preces autem tyrannorum necessitati permixtas esse non ignoramus.* Servius ad VI. Æneidos: *Major ad impetrandum vis est, eum rogare, qui possit jubere.* Ausonius in epistola centoni nuptiali prævia: *Quodque est potentissimum genus imperandi, rogat, qui jubere poterat.* Hugo Grotius l. 1. Annal. Belgic. de Austriaco in Belgium imperio: *Mitia imperantium ingenia potentiam temperando auxere, qua arte libertas etiam magis quàm vi expugnatur. Nam in cogentes resistendo crescit ferocia, comitati & mansuetudini ultrò subitur; donec concedi solita imperantur, ex obsequio servitium fit.*

VII. (5) In summâ, *ut regni interitus unus est, imperium reddere magis tyrannicum: ita tyrannidis est sa-*

eſt ſalus, ipſam reddere magis regiam; modo poteſtas reſervetur, per quam tyrannis imperet non modo volentibus, ſed etiam nolentibus. Nam hoc quoque abjecto & tyrannis abjicitur. Ariſtot. V. *Pol.* 11. *in med.* Quarè *propoſitum tyrannidis eſſe debet, iis qui reguntur* [1] *non patronum tyrannidis, ſed regni & patrem-familias ſaltem videri: & non extortorem bonorum, ſed tutorem:* [2] *& vita mediocritatem ſectari, non exſuperantiam:* [3] *adhæc conſuetudine ſibi conciliare claros viros, multitudini autem blandiri: præterea ipſum affectum eſſe moribus, ſive probè ad virtutem, ſive dimidiâ ſui parte probum; & non malum, ſed ſemimalum.* Ariſtot. *d. c.* 11. *in fine.*

[1] Quare etiam non Dominii, non monarchæ, ſed patris; non Regis ſed Principis aut Protectoris nomen aſſumet. v. dicta *p.* 1. *ſect.* 6. §. 13. Tiberius Domini appellationem ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. Sueronius *in Tiberio c.* 27. Tacitus II. *Annal.* 87. Huc pertinet conſilium Caroli Canuti in Suecia, quod Stenoni dedit, ut, cum ſciret nomen regium tam inviſum factum apud plerosque, ſi ad regnum fuerit vocatus, ad id uſurpandum nomen ulla trahi ſe ſineret ratione, ſed, repudiato ipſo, Gubernatoris titulum aſſumeret. Qui ſecutus conſilium, eventu proſperrimo didicit, vocabulis facilius quàm armis capi multitudinem, imperiumque per ſe gratum ingratum ejus titulum corrumpere, gratum conſervare, memorante Joann. Scheffero *memorab. gent. Suecicæ c.* 6. §. 3. Coſmus Medices Ducis nomen initio abjecit, titulo Principis contentus. V. Gratianus *vit. Cardinal. Commend. l.* 3. *c.* 8. De Arauſionenſe H. Grotius l. 2. Annal. Belgic. ad A. 1577. *Egregius morum, quibus ſtudia hominum elici ſolent, potentiam, quaſi remitteret, gratia muniebat.*

[2] Præceptum hoc Coſmus Mediceus ex aſſe implevit, modeſtia & comitate nemini inferior, quanquam Regum & Principum cenſeretur amicus, Piſiſtrato ubique ſimilimus, niſi quod armato ſatellitio ſe non muniret. Hinc filiarum, quas habebat, nullam in matrimonium Principi alicui, quamvis rogatus, elocavit, ſed Florentinis civibus. Similiter filio uxorem in civitate ſua honeſto loco natam copulavit, externorum

Principum filias, quæ offerebantur, rejiciens. V. Machiav. *l. 7. Histor. Florentin.* Gelon quoque Syracusanorum tyrannus non bello melior habitus, quàm gerendæ domi reip. benignus, æquus, munificus, clemens, sapiens, charus toti populo, denique nomine potius quàm re tyrannus, diversus longè à filio Hieronymo, de quo Livius *lib.* 24. *cap.* 5.

[3] Liceſtrius Gubernator fœderati Belgii, regnum in illo populo ſibi paraturus, *interpretes ſacrarum literarum (qui ſoli multitudinis aures & affectus hoc ſeculo poſſident) adjungebat ſibi ſpecie pietatis, & aliorum diſſimilitudine*, ut refert H. Grotius *l.* 5. *Annal. Belgic. ad A* 1586. addens paulo poſt: *concionantium voces & per illos populi ſtudia ſibi conciliabat.*

IIX. Atque ad hoc præceptum revocari poſſunt reliqua omnia, quæ Ariſtoteles *d. l.* copiosè recenſet. Qualia ſunt (ut in compendium ea mittamus.) (1) *Tyrannum rerum communium videri curam habere,* (2) *nec effundere pecunias publicas in res, quibus popularium ingenia offendantur: accepti & expenſi rerumque omnium reddere rationem, tanquam adhuc obnoxius ſit populo: tributa & collationes exigere prætextu publicæ utilitatis, & dare operam, ut non dominus, ſed quaſi cuſtos & quæſtor pecuniæ publicæ credatur: Speciem præ ſe ferre non difficilis hominis, ſed gravis & ſeveri, quem adeuntes non metuant, ſed vereantur: Quanquam alias virtutes inſuper habeat, ſaltem civili prudentia deditum eſſe, & talem de ſe opinionem animis civium inſerere: non ipſum tantum ſed & uxorem & familiares ejus ab injuriâ omni adverſus quemcunque abſtinere: vitam omnem ex honeſta diſciplinæ præſcripto ſobriè & continenter agere, nec, quod multi Tyrannorum nimium faciunt, in ſordidas corporis voluptates prolabi: præ ſe ferre pietatem & divini cultus amorem; præſtantes ac excitati animi viros quibusvis humanitatis & honorum officiis afficere: & quidem præmia dare tyrannum ipſum, pœnas verò per alios expedire:* (3) *quæ ſpeciem habent ignominiæ majoribus honoribus redimere: tam pauperibus*

quàm

quàm divitibus æquum ſe præbere; & ne alii alios injuriis proſequantur, ſedulo curare: inprimis verò qui potentiores eorum fuerint, conciliare imperio. v. de Cosmo Machiavell. *l.* 7. *hiſt. Florent. p.* 393. 394. *p.* 390. Hinc tales legum optimarum operumque publicorum (4) ad civitatum ornamenta vel auctores ſunt, vel vindices. Ita præſentem invidiam & apud poſteros infamiam amoliturí, ut ait Barclajus *Icon. animor. c.* 13,

(1) Utramque huic paginam facit diſſimulatio exemplo Tiberii, *qui nullam, ut rebatur, ex virtutibus ſuis magis diligebat, quàm diſſimulationem.* teſte Tacito. conf. Dionem *l.* 57. De Alexandro VI. Pontifice, ejusque filio Valentino, vulgo proverbiali dicterio jactatum fuit: *Pontificem nunquam, quid diceres, facere; Valentinum nunquam, quid faceret, dicere.* Guicciardin. *l.* 6. *Hiſtor.*

(2) Liceſtrius, de quo ante diximus, plebi in Ordines concitandæ, quæ ſponte etiam Rectores odit, ſub quibus fortunam adverſiorem experta eſt. *erarii patrocinium, rem maximè popularem, uſurpabat.* memorante H. Grotio *l.* 5. *Ann. Belgic. ad A.* 1586. qui deinceps plebem *ærem. depeculatorum obſervatricem* nuncupat,

(3) Huc pertinent exempla tyrannorum, monumenta atque ſepulcra illis, quos ſuperſtites eſſe noluerunt, extruentium. Herodes Ariſtobulo, quem interfecerat, funus fecit magnificum. v. & de Herode M. Joſeph. *l.* 15. *vet. hiſt.* 3. *in fine.* V. Dionem *in Caracalla* & Demoſthenem *de falſo teſtimonio in Stephanum.* De Cæſare Pompejum plangente Lucanus,

Talemque putavit
Jam bonus eſſe ſocer Dornitius.

Celer apud Tacitum II. Ann. Periiſſe Germanicum nulli jactantius mœrebant quam qui maximè lætabantur. Grotius *ad II. Reg. XI,* 26.

(4) Herodis M. ſummum ſtudium fuit in extruendis palatiis & ſuperbis ædificiis, adeo ut finitimas civitates, conciliandis habitantium ſtudiis, templis, turribus, mutis, portubus, theatris, porticibusque exornaverit, & incredibiles expenſas in templum Hieroſolymitanum fecerit.

IX. (6) Ne perſonæ novitas detrimentum pariat, profuerit nobilitatem generis ex vetuſtate re-

petere: nimirum facile illuſtres inveniunt majores, quibus res lautæ ſunt. Sic Julia domus * Æneæ laudes per omnes Poëtas cani voluit, ut populus eò lenius ferret imperium illud, velut ſatis datum.

* Æneæ enim filius erat Julius Aſcanius, hinc gens Julia, in qua Cæſar Julius & Auguſtus, hujus ex Julia ſorore nepos, procreati. Unde illud:

Julius à magno demiſſum nomen Iulo.

Apud Athenienſes ſe ex Codri genere natum ferebat Piſiſtratus, ad Solonem ſcribens apud Laertium lib. 1. Vit. *Quod Athenienſes, Codro ejusque generi jurantes, abſtulerunt, id ego recuperavi.*

X. (7) Ne populus de mutando imperio cogitet, ubi aliæ occupationes deſunt, ſaltem in delitioſo quodam otio otia ejus occupanda. [1] Quovis enim modo occupata plebs, aut non vult, dum delitiæ offeruntur, aut non poteſt, dum alibi aliis detinetur, de tollendo aut ſubmovendo tyranno cogitationes ſuſcipere. *Vulgus eſt cupiens voluptatum, & ſi trahat eò Princeps, lætus*, inquit Tacitus IV. Annal. 14. ſub exemplo Neronis. [2] Auguſtus plebem continuo in theatris continuit, nec alio ſcopo Herodes, Regum aſtutiſſimus, ſpectacula populo Judaico magnis ſumtibus exhibenda curavit. v. Tacitus XIV. *Ann.* 20. & 21. *in Agricolâ c.* 21. Forſtnerus *ad l. Annal. Taciti p.* 134. *ſequ.*

[1] Alcibiades elegantis & ſtrenui canis caudam juſſerat abſcindi, ut deco loquentes homines alia omitterent.

[3] Hic Pyladem ſalvatorem oderat, qui ei regeſſiſſe fertur: *Id verò tibi conducit Cæſar, populum propter nos diſtentum & occupatum eſſe.* v. Dio l. 54.

XI. Si Tyrannus favore partis civium dominationem invaſit, videndum pars illa civium, an plebs, an primores, an milites ſint. Ubi obſervatu dignum: * Tyrannos plus in vulgo præſidii, quàm in primoribus ſive nobilibus reponere: Nam vulgus confuſione & tumultu, non conſilio, non ratione, tantum

tantùm arbitrio domini impellitur: & annonâ, pace, præsentibus contentum, futuri negligens, mutationum causas minimè exigit. Contra primores & nobiles, Tyrannis adversi, plus irarum, minus virium habent. Huc respexit Phædrus:

Quicunque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo Principum,
Minuta plebs facili præsidio latet.

* Ejusdem mentis fuit Demea apud Terentium in Adelphis: *paulatim plebem primulum facio meam.* Hac via complures ad tyrannidem iverunt. V. Forstner. *ad* 12. *Ann. c.* 25. *p.* 252. Piccart. *dec.* 8. *obs. polit. c.* 3. Borissius, Moscovitici Imperii usurpator, multis modis benevolentiam populi sibi conciliabat, ut pluribus memorat Thuanus *l.* 120. *ad A.* 1598. Cosmus I. Etruriæ Dux, dum in Nobilitatis, suis rebus suspectæ, corruptos mores ac licentiam libidinosam severè inquisivit, plebis ab ea plerumque oppressæ gratiam sibi conciliavit. Thuan. *l* 57. *histor.* 1574. *in calce.* Adde his exemplis Cromvellium Magnæ Britanniæ dominatorem.

XII. Milite quidem opus habet tyrannus; at solâ militum ope ad dominatum provehi, non caret periculo. * Ut multa exempla Romanorum Impp. comprobant à Commodi inprimis temporibus.

* V. Onuphr. Panvinium *de comitiis Imp. Rom. c.* 1. & Conring. *ad Machiav. Princ. c.* 19 § 11. *ex Erasmo Roterod.*

XIII. Sunt tamen & hic artes aliquæ, veluti (1) Studia eorum, quorum favore tyrannus nititur, commentis quibusdam excitare. (a) Quo pertinet notissimus accisimi usus, cujus magna apud imperitum vulgus est utilitas, ad querelas adversariorum comprimendas, ad captandam modestiæ laudem, & studia illorum, qui jam favent, accendenda. (b) Eodem spectat, insidias fingere adversæ partis.

(1) Hæc ars Augusti fuit, qui specie recusantis imperium & consulatum filiis flagrantissimè concupivit. Tacit. *l. Ann.* 3. v. & de Gelone Ælianum 13. *V. H.* 37. Boxhorn. *in not.* 2. *Pol.* 1. § 1. Eosdem usus Tiberius, v. Tacitum *l. Annal.* 8. & 11. Sueton *in Tiberio c.* 23. *& sequ.* de Borissio in Moscovia

viâ Paſtorium *Flori Polonici l. 6 p 376.* Ita cum bellum in Florentinos pararet Pontifex, illam vim in ſe familiæque Mediceæ perniciem parari apud populum affirmabat Laurentius Medices, unde populus ei Principatum deferebat, quem ille mira diſſimulatione renuebat. V. Petr. Matthæ. *l. 2. Hiſtor. Henrici IV.* & notabilem hiſtoriam ap. Thom. Morum *in hiſt. Eduard. V.* ubi perſonatam Ducis Buckingami & Richardi Pro-Regis actionem deſcribit, illius, quaſi Procerum plebisque nomine, qui nihil minus volebant, huic tanquam totius negotii ignaro diadema regium deferentis; hujus, tanquam qui id nollet, obſtinate reſpuentis, nec niſi prece improba, ut admitteret, eò adacti. Adde omnino de Boriſſio, Imperii Moſcovitici uſurpatore, Thuanum *l. 120. hiſtor. ad A. 1598.* ubi narrationem claudit: *regnum, quod in occulto impotenter ambiebat, ei tanquam invito delatum*, & confert Boriſſio Araulfum, quondam Alarico Gothorum Regi eadem ratione ac exemplo ſurrogatum.

(2) Ita Piſiſtratus ſe ipſum domi conſauciabat vulneribus aliquot, & rheda in forum delatus, populum, tanquam inſidiis inimicorum reip. cauſa eſſet circumventus, inflammabat. Quo factum, ut quinquaginta ſtipatores à populo obtineret, quorum aucto deinceps numero arcem & cum illa tyrannidem occupavit. Adde recentius exemplum apud Benj. Priolum, *l. 4. Rer. Gallic. p. 173.*

XIV. (2) Senſim & cautè ſibi proſpicere de aliis viribus, idque vel foris, vicinorum videlicet amicitiâ ſibi quæſitâ, vel domi, comparatô inprimis ſubditorum favore. V. Conring. *ad Machiav. Princ. 7. §. 2.*

XV. Tyrannidis ab uno occupatæ per vim artes ſunt (1) ab initiô injurias omnes ſimul & ſemel effundere, quò minus guſtentur, minusque offendant: beneficia verò ſenſim inſtillare, quò melius ſentiantur. Hoc præceptum inculcat Machiav. *de Principe c. 8.* & Lipſ. *IV. Pol. 11. §. 40. ſequ.**

* Ita Domitianus apud Tacitum *Agricol. 44.* non per intervalla & ſpiramenta temporum, ſed continuo & uno velut ictu temp. exhauriebat. V. tamen Conring. *ad Machiavell. d. l.*

XVI.

XVI. * Illos, qui antiquius ſive potius ad imperium jus prætendere poſſunt, extirpare. V. exempla *I. Reg. XV, 29.* ubi Grotius *in not. I. Reg. XVI, 11. 12. II. Reg. X, 11.* Tacitus *4. hiſt. 11.* Sueton. *Domit. c. 6.* Adde H. Grotium *ad Machiav. Princ. c. 3.*

* Hoc modo uſus eſt Herodes M., Hyrcani cognationem omnem extirpans. v. Joſeph. *l.* 14. *vet. hiſt. c. ult. l.* 15. *c.* 3. *in fine c.* 11. *in med.* Apud eundem Tacitum eſt 3. *Hiſt.* 66. *Ubi Veſpaſianus imperium invaſerit, non ipſi, non amicis ejus, nec denique exercitibus ſecuritatem, niſi extincto amulatu, redituram.* Cum triginta Tyranni apud Lacedæmonios Optimates comprehenderent, quippe quos minimè toleraturos violentiam, ſed potius contra ituros arbitrabantur, & id Theramenes reprehenderet, Critias reſpondebat apud Xenophontem l. 2. hiſtor. Græc. *fieri non poſſe, ut qui dominatum appetunt, eum adipiſcantur, niſi amoveant, quos maximè impedire poſſe arbitrantur.* Tarquinius Superbus, ſublata per exilia mortesque parte Senatus potiſſima, Senatum alium conſtituit, amicis in vacua loca ſuppoſitis, ac ne his quidem permiſit quicquam injuſſu ſuo vel dicere vel facere, teſte Halicarnaſſeo *l.* 4. *Antiquitat. Romanar.* Caſtruccius, cum Luccenſium urbem in manu jam haberet, omnes qui videbantur Luccæ imperium potiri aut illuc aſpirare poſſe aut ſuſtulit aut in exilium exegit. v. Machiavell. *in vit. Caſtruccii.* Medicei apud Florentinos quas non familias, partim cæde, partim exiliis, exhauſerunt? ait Arnilæus 2. *Select. Politic. c.* 3. *ſect.* 3. *n.* 35. De Duce Bragantiæ in Portugallia ita loquitur Vittor. Siri tom. 1. Mercur. libr. 1. *Fu veramente un eſtrema bontà ò tranſcuraggine de' miniſtri del Re Cattolico quella, di laſciare nel Portogallo li Prencipi di queſta caſa, chi aſpiravono con vive ragioni a quella corona* &c.

XVII. (3) Matrimonio ſibi robur circumponere. Ita Lycus, deliberans quomodo vi partum imperium retineret, apud Senecam Tragicum ait:

Alieno in loco
Haut ſtabile regnum eſt: una ſed noſtras
Poteſt fundare vires juncta regali face
Thalamisque Megara. Duces è genere inclyto
Novitas colorem noſtra.

Dio-

Dionyſius Syracuſar. Tyrannus, teſte Diodoro Siculo *l. 13.* ut tyrannidem ſtabiliret, duxit uxorem filiam Hermocratis nobiliſſimi civis, Athenienſium victoris, ſororem autem ſuam collocavit ejusdem filio.

XVIII. (4) Solent & alias tyrannicas artes adhibere, de quibus ſect. 20. *Nemo enim unquam imperium flagitio quæſitum bonis artibus exercuit*, ut ajebat Piſo apud Tacitum *1. Hiſt. 30.* adde *c. 83.* Verùm, niſi cum mitiore illa conſervandi tyrannidem ratione, quam paulo ante explicavimus, temperetur tyrannis iſtiusmodi, vix diuturna eſſe poterit.

XIX. Cæterum, cum pauci tyrannidem invaſerunt, iisdem fere modis ſe conſervare ſolent. Ita *Roma pauci potentes, quorum in gratiam plerique conceſſerant, ſub honeſto patris aut plebis nomine dominationes affectabant.* ut auctor eſt Salluſtius apud Gellium & Auguſtinum. conf. Ariſtot. *V. Pol. 4. in fine.* Artes Decemvirorum in rep. Romana ex Livio in compendio explicat A. *Comment. de ariſtocr. & oligarch. p. 127.*

SECTIO

SECTIO ULTIMA.
(*seu VIGESIMA QUINTA:*)

DE CIVITATE, FACTIONIBUS, CONJURATIONIBUS, SEDITIONIBUS, BELLISQUE CIVILIBUS DISTRACTA.

I. CIvitas IN FACTIONES DISTRACTA malè se ut plurimum habet.

II. REMEDIUM *primum* est, ubi quidem factiones sunt inter subditos, si summus imperans se medium gerat.

III. *Alterum*, ubi factiones ex diversitate sententiarum oriuntur, alteram sententiarum non temerè reprobare.

IV. *Tertium*, factiones frangere per novas divisiones.

V. *Quartum*, obliterare nomina factionum.

VI. FACTIONIBUS proximæ sunt CONJURATIONES.

VII. REMEDIUM in *universum* est, conscios punire.

IIX. *Singulatim* ratione rerump. policraticarum.

IX. Et ratione regnorum.

X. SEDITIONES & BELLA CIVILIA rebusp. sunt exitiosa. Uno casu prosunt.

XI. Difficultet componuntur.

XII. REMEDIUM est *primum*, causas removere.

XIII. *Alterum*, si quid petitur natura non iniquum aut improbum, concedere.

XIV. *Tertium*, desperationem rebellibus non injicere.

XV. *Quartum*, finem sive scopum seditiosorum aut rebellium propalare.

XVI. *Quintum*, initia bellorum civilium & seditionum, licet vilia, non aspernari.

XVII. *Sextum*, Virulentos sermones & famosos libellos lege publica non coercere.

XIIX. *Septimum*, cum motus jam ardere incipiunt, violentis remediis abstinere.

XIX. Hîc quæritur, an festinatio, an mora melior sit?

XX. *Octavum*, Duces rebellium vel opprimere, vel, si plures sunt, dissidiis implicare.

XXI. *Nonum*, civiles victorias maturata pace finire.

XXII. *Decimum*, victoria moderatè uti.

XXIII.

XXIII. *Undecimum*, amneſtiam ſancire.

XXIV. *Duodecimum*, Viros auctoritate, gratia & eloquentia valentes adhibere.

XXV. *Tertium decimum*, milites ad manus habere.

XXVI. *Quartum decimum*, opera emiſſariorum atque explorarorum uti.

XXVII. *Quintum decimum*, Regem præſentiam ſuam motibus impendere.

XXIIX. *Decimum ſeptimum*, urbem, unde in omnia regimen eſt, non deſerere.

XXIX. *Decimum octavum*, ſummos Imperantes forti & conſtanti animo eſſe.

§. I.

MAlè ſe habet respublica in factiones diſtracta; inde enim contraria ſtudia, tandem in exitium reip. eruptura; & ubi factiones vires ſumſerunt, nova velut civitas in mediâ civitate extruitur, quarum unaquæque occaſioni omni imminet, ut alteram opprimat. Euripides in Antigona:

Οἰκεῖ' ἀνθρώποισι γίγνεσθαι φιλεῖ,
Πόλεμ' ἐν αὐτοῖς, ἂν διχοστατῇ πόλις.
Domeſtica odia civibus naſci ſolent,
Cùm factiones civitatem diſtrahunt.

Livius IV. hiſt. 9. *Factiones fuere eruntque pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames morbive, quaque alia in Deûm iras, velut ultima publicorum malorum, vertunt.* Equidem factiones aliquando proſunt rebuspublicis, ſed tyrannicis, de quibus ſupra *ſect. 23. §. 13.* aut ubi ſubditorum quorundam nimia eſt opibus factionibusque potentia, quæ aptiori ratione infringi nequeat, quàm ſi inter illos diſſidia contentionesque, quibus ſe invicem conſumant, aut ſaltem quibus occupati in Regem conſpirare nequeant, diſſeminentur. * In univerſum factiones rebuspublicis commendari nequeunt.

* Machiavello diverſum ſentienti alii rectiſſimè contradicunt, Piccartus *Dec. 7. c. 5.* Forſtner. *ad II. Annal. Taciti verb.*

verb. Delectus est M. Aletus p. 347. *sequ.* Bœclerus *ad l.* 1. *Vellej. Paterc. II. n.* 6., Add. de Elisabetha Regina Angliæ Camdenum *in ej. histor. ad A.* 1565.

II. Remedium est primò, si quidem factiones sint inter subditos, * ut summi imperii compotes se medios gerant.

* Bene Baco de Verulam, *sermon. fidel.* 15. cum Principes, qui se pro patentibus communibus gerere deberent, factioni alicui se adjungunt, idem fieri, ac cum lembus inclinatione nimia in alterum latus evertatur. Hoc temporibus Henrici III. Galliarum Regis, confirmatum esse. Simile exemplum factionum v. Pufendorf. 7. *c.* 9. §. 12. Ipsum enim à principio in ligam pro extirpandis Protestantibus se recipi voluisse: at paulo post eandem ligam contra ipsum Regem vertisse. conf. *sermon. fidel.* 49. *in fine.* Foistner. *ad XI. Annal. Taciti* 16.

III. Huic proximum est remedium, si factiones ex diversitate sententiarum oriantur, præsertim in causis religionis, * alteram sententiarum definitione publicâ non reprobare, sed eniti potius, ut quietè ac pacificè suam sibi quisque opinionem habeat, donec cum tempore evanescat, quod sevit factio vel aluit. Nimirum naturâ cuique insitus contentionis calor & studium, apprehensas semel opiniones tuendi, mansuetioribus etiam mentibus nonnunquam imponit: ut enim invenias, qui velit agro paterno cedere, qui velit ingenio cedere nullus erit. Quomodo declinari possint factiones v. Pufendorf. *d. l.*

* Si secus fiat, discrepantium in verbo uno, imò in minimò apice, satis esse ad orbem in partes dividendum, ajebat Albinganensis Episcopus apud A. *histor. Concil. Tridentini l.* 2. *p.* 276. conf. eundem *l.* 1. de pœnitentia Leonis ob neglectum hujus præcepti, & quæ Cajetanus ante suaserat. Abhinc id à Pontificibus Romanis semper observatum fuit. Et controversiæ inter Dominicanos & Franciscanos de immaculata, ut vocant, conceptione beatissimæ Virginis πολύκω, decisio à Pontificibus Paulo V. & Gregorio X. non potuit obtineri, licet Philippus III. & IV. Reges Hispan. eos legationibus ob id fatigarint.

gatint. v. Calixt. *Dissertat. de visibili Monarchia* §. 46. *usque ad* §. 74. Dum aliter se gessit Joannes XXII, Pontifex, in controversia, an Christus habuerit dominium, totum ordinem Franciscanorum à se alienavit. v. Nicol. Burgundus *l.* 2. *histor. Bavar. ad A.* 1328. Eandem ob causam Barneveldius in Hollandia prudentissimè existimavit, controversiam de gratia & prædestinatione è scholis & ecclesiis eliminandam. v. Mautier. *memoires pour servir à l'histoire de Hollande, in vita Mauritii Princip. Auriaci, & in vita Barneveldii.*

IV. Tertium est remedium, factiones frangere per earum divisiones callidè procuratas.

* V. A. Concilii Tridentini *l.* 1. *p.* 51.

V. Quartum remedium est, obliterare nomina factionum. In Persia extinctæ sunt factiones per matrimonium. v. Thuanum *l. 67. p. 258. b. in fine.* Ita Genuates, cum recuperassent Auriæ beneficio libertatem, sustulerunt Guelphorum & Gibellinorum, item Adorniorum & Vulgosiorum vocabula. v. Guicciardin. *l. 19. historiar.* Adde Thuanum *l. 28. histor. ad A. 1561.* ubi de Papistarum & Hugonotorum nominibus in Galliâ sublatis.

VI. Conjurationes quidem sæpenumerò fuerunt detectæ, (1) præsertim ubi spatium temporis intercessit, (2) eædemque multos & in iis fœminas implicuerunt. (4) Neque tamen desunt exempla conjurationum, quæ feliciter successerunt, etiam inter multos complices, verùm illæ tantum, quæ magna illa nomina prætulerunt, Deum, patriam, & libertatem.

(1) Conjurationes, quibus conficiendis aliquid spatii intercedit, ut plurimum evulgari, observat Machiavellus *l.* 2. *histor. Florentin. A.* 1340. Cethegus in conjuratione Catilinaria apud Sallustium maximum bonum in celeritate putabat.

(2) Apud Tacitum 15. Annal. 59. Pisoni quidam inculcabant: *frustra silentium & fidem in tot conscierum animis & corporibus sperari.* conf. Justinum 10. *histor.* 1. *n.* 6. Curtium *histor.*

hiſtor. Alexandr. l. 8. *c.* 6. *n.* 12. *&* 15. Nepot. *in Dione c.* 8. *n.* 4. Camdenum *hiſtor. Eliſabeth. ad A.* 1586.

(3) Sæpius arcana conjuratorum à mulierculis in vulgus emanare, exemplis aliquot oſtendit Piccartus *Dec.* 7. *obſ. Pol.* 3. Adde alia apud Juſtin. 5. *hiſtor.* 2. *n.* 5. *&* 43. *hiſtor.* 4. *n.* 8. De Fulvia, Catilinariam conjurationem patefaciente, Salluſt. *in Catilin. c.* 23. Florum *l.* 4. *rer. Romanar.* 1. Cui ſimile exemplum apud Adlzreitter. *part.* 2. *Annal. Bojic. l.* 7. *n.* 18. *ad A.* 1208.

(4) Ut Siculorum adverſus Gallos, Portugallenſium adverſus Hiſpanorum dominationem, de qua Vittor. Siri *tom.* 1. *Mercur. l.* 1. Amboſiana, de qua Thuanus *l.* 24. *ad A.* 1559.

VII. Remedium eſt in univerſum, conſcios conjurationis mortis ſupplicio afficere. (2) Hujus metu multæ conjurationes detectæ.

(1) Hæc lex fuit in Macedonum regno & ſub Romanis Impp. ut docent exempla apud Curtium, Suetonium, Tacitum. Adde *l.* 7. §. 2. *&* l. 8. *D. ad L. Jul. majeſtat.* Hodie ubivis fere viget. Exempla ſunt apud Gallos Mareſchalli Birónii, Thuani, apud Anglos Eſſexii, v. & Guicciardinum *l.* 3. *&* 13. *hiſtoriar.*

(2) V. Thuanum *l.* 79 *ad A* 1584. Camdenum *in hiſtor. Eliſabeth. ad A.* 1587. Foiſtnet. *ad XV. Ann. p* 307.

IIX. Contra conjurationes adverſus ſtatum reipublicæ in civitatibus maximè polycraticis eſt remedium, locum, in quo Senatus vel Concilia habentur, militibus prætorianis, quorum fides explorata ſit, cuſtodiendum committere, ut Veneti ſolent.

IX. Quæ verò adverſus Principes fiunt conjurationes, declinari poſſunt, ſi obſerventur præcepta, quæ ad conſervationem regnorum valent, de quibus ſupra ſatis actum.

X. Peſtis civitatum nulla tetrior eſt, quam ſeditiones & bella civilia. Cicero IV. ad famil. 9. *Omnia ſunt miſera in bellis civilibus: qua majores noſtri ne ſemel quidem: noſtra ætas jam ſæpius ſenſit. Sed miſerius nihil quàm ipſa victoria: quæ etiamſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores impotentioresque*

resque reddit, ut etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam invito faciendasunt. conf. l. 12. ep. 18. Idem d. l. IV. ep. 14. *Cujus belli exitus ex alterâ parte eadem ostentat, ex alterâ servitutem.* Idem de Haruspic. Responsis c. 25. *Neque enim ullus alius discordiarum solet esse exitus inter claros & potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum.* Euripides Phœnissis vers. 375. edit. Grotii. Idem apud Dionem *l. 44. histor.* facunde differit, *esse in bellis civilibus quandam malorum concatenationem ac veluti circulum.* Atticus apud Nepotem in ej. vitâ c. 25. *Arma civilia neque parari neque haberi per bonas artes possunt; neque magis in suâ potestate est, qui se civilibus fluctibus commisit, quàm qui maritimis jactatur.* Epaminondas apud Nepotem in ejus vitâ, *omnem civilem victoriam funestam putabat.* Accedit ingens rabies ex genio civilis iræ, quæ semper graviore quàm in extraneos affectu solet exardescere; Planè ut pervicaciſſima sunt odia, quæ sanguine proximos exercent. v. Aristot. *VII. Pol. 7.* Piccart. *Dec. 14. obs. 3.* & *1. Maccab. VII, 23.* Ex qua tam ardenti vindictæ cupiditate identidem solet fieri, quod Livius dixit l. 34. c. 49. *ut pars quæ domestico certamine est inferior, externo potius se applicet, quàm civi cedat.* Planè ut Hecuba ab Euripide loquens inducitur:

Τὰς κακὰς δὲ τιμωρουμένη,
Λιῶνα τὸν σύμπαντα δουλεῦσαι θέλω.
Malos enim ulciscens,
Vitam universam servire volo.

Jam & verum est, quod de Othonianis temporibus dixit Tacitus I. histor. 79. *Conversis ad civile bellum animis, externa sine curâ habebantur.* Est tamen ali-

aliquando inter regnandi artes, occasionem dissidii præbere subditis, eosque ad seditionem connivendo quasi proritare, ut occasione hac libertate nimiâ & privilegiis exuantur. Apud Grot. *l. 10. H. Belgic. p. 406.* est: Cognitum jam olim lucri genus seditionis per speciem sumtu alieno bellum gerere. Auriacus apud Meursium *in vitâ Auriaci l. 2.* ajebat: *Hispanos, in belli occasionem Belgiique subjugandi animo intentos, turbas quàm obsequium malle.* V. & Forstner. *ad XI. Tacit. Annal. 19. §. 3.*

(1) V. quæ diximus supra *sect. 1. §. 11.* In bellis civilibus plus militibus quam Ducibus licet. Tacit. 2. *histor.* Grot. *ad 2. Reg. XIIX, 4.*

(2) Ubbo Emmius l. 36. Rer. Frisicar. ad A. 1516. *Tanta vindicta libido mentes hominum sæpe agitat, ut dummodo malè perdant eos, à quibus se læsos putant, proprierum bonorum, interdum etiam ipsius vita sua obliviscantur.*

XI. Quò majora verò mala sunt seditionum & bellorum civilium, tantò interdum difficilius sanantur. Præsertim si ob magna illa nomina, DEUM, PATRIAM aut LIBERTATEM excitentur. Pindarus Pythiâ IV.

Ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν στεῖ-
σαν καὶ ἀφαυροτέροις· ἀλλ' ὅπα χώ-
ρας ἄνθις ἔσσαι, δυσπαλὲς
δὴ γίνεται ἑξαπίνας,
εἰ μὴ θεὸς ἀγεμόνεσσι κυβερ-
νάτᾳς γένηται.

Facile quippe est civitatem concutere, etiam imbecillioribus: at in sedem iterum collocare, difficile utique est repente, nisi Deus Principibus gubernator fuerit.

Tireſias apud Euripidem in Phœniſſis:

Πικρόν τε τοῖσι τὴν τύχην κεκτημένοις,
Πόλει φάρμακον φέρειν σωτηρίας.
Acerbum eſt hanc fortunam habentibus,
Urbi exhibere pharmacum ſalutis.

XII. Ante omnia cauſæ bellorum civilium removendæ, exemplo Agricolæ, qui parum profici armis, ſi injuriæ ſequerentur, cauſas bellorum civilium ſtatuit exſcindere, apud Tacitum *in ejus vit. c. 19.*

* Joſephus apud H. Grotium in Sophompanea:
Sed non medenti ſufficit, quali lues
Flammetur æſtu, noſſe quam partem premat,
Quibusque ſeſe ſuſcitet ſtimulis dolor.
Noſcenda morbi cauſa.

XIII. Igitur cum à rebellibus petitur naturâ non iniquum, aut improbum (v. g. tributorum diminutio aut rapacium miniſtrorum remotio) concedendum eſt, præſertim in graviſſimo motu. Quâ in parte nonnulli ſuadent, ut * tranquillatis rebus, quæ promiſſa ſunt irrita reddantur, vel non præſtentur: aut minuta quædam & tenuia, quaſi larva, obtendantur, decipiendæ illorum expectationi. Videbit tamen ſummus imperans, ne quod concedit, vi aut metu expreſſum videatur. v. Germanici conſilium apud Tacitum *l. Annal. 36. 37.*

* Boxhorn. *l. Inſtit. Pol.* 14. § 19. Sed hoc injuſtitia non ſempet vacat. ut oſtendit H. Grotius 3. *de J. B. & P. c.* 19. §. 6. *& ſequ.* Exemplum Friderici Imperatoris, pacta cum Brugenſibus infringentis, quæ Maximilianus filius iniverat, v. apud Sigiſmundum à Birken in Oeſtreichiſchen Chron Spiegel *l.* 5. *c.* 38. *ad A.* 1488.

XIV. Deſperatio etiam rebellibus nunquam injicienda. Hæc enim excitat ad audendum, & qui ſalutem deſpondit, exitii ſolatia quærit comitesque morte: è contrariô impunitatis oblatione minus factioſi

factioſi ſe ſubducunt; quoniam complures animi levitate ad ſeditiones & bella excitantur, & plebs, poſtquam belli mala ſenſit, pacis quam vindictæ eſt cupidior: Cicero pro domo ſuâ: *Hoc in imperitâ multitudine eſt vitioſiſſimum, varietas, & inconſtantia, & crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio.*

* Notus eſt Virgilii verſus: *Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem* Quorum ſalus pro deplorata eſt, iis una ſalus, ſalutis cupidine non teneri, ajunt aliqui apud Procopium *l. IV. Gothicor.* In proverbio eſt: Acerrimos canum morientium eſſe morſus.

XV. Cum verò rebelles ſæpe alium finem præferant, * eumque ſpecioſum & in vulgus gratum, alium occultent, hunc propalari multum intereſt.

* Salluſtius in bello Catilinario: *Uti paucis verum abſolvam, per illa tempora quicunque rempublicam agitavere,* v. Forſtn. *ad XVI. Ann. p. 386. honeſtis nominibus, alii ſicuti jura populi defenderent; pars, quò ſenatus auctoritas maxima foret, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quisque potentia certabant.* Apud eundem Lepidus: *Dicta alia, ſed utrinque certatum de dominatione.* De Pompejo & Julio Cæſare Cicero 8. ad Atticum 1. *Dominatio quæſita ab utroque, non autem beata & honeſta civitas ut eſſet.* Idem alibi: *Subinde ſigna turbantur, quibus voluntas à ſimulatione diſtingui poſſit.* Add. Polybium *l. 3. hiſtor. c. 6.* Forſtner. *ad XV. Annal. 53.*

XVI. Singulatim, in modo componendi bella civilia & ſeditiones, reſpiciendum ad tempus antecedens, intermedium & conſequens. Ad tempus antecedens pertinet: (1) Initia motuum interdum eſſe nugatoria, & ut Ariſtoteles loquitur *V. Pol. 4.* ἐκ μικρῶν, ἀλλ' ἐκ μικρῶν. Hæc igitur, ceu vilia & modica, ſummus Imperans non parvi pendet. Tacitus notat XIV. Annal. 6. *Modicis remediis primos motus conſediſſe.* E contrario experiundo cognitum eſt, turbarum initia valdè adhuc imbecilla

ita morâ fuiſſe confirmata, ut, quæ prius componendis ſatis fuiſſent, poſt momenti nihil habuerint. Neque in obſcuro cauſa latet; (2) quia plures nondum corripuit contagium; deinde pauci, qui auctores ſunt, timidè adminiſtrant; multi cauſas ignorant & per vecordiam iis ſe adjungunt.

(1) Exemplis, quæ Ariſtoteles *dicto loco* habet, adde illud apud Livium *l.* 4. *c.* 9. de ſeditione Ardentina. Lugduni aliquando ſeditio exorta ob crepitum ventris. v. Meurſium *l.* 1. *Athenæi Batavici c.* 17.

(2) Hæc cauſa eſt, quamobrem Solon illum, in ſeditione qui fuiſſet neutrarum partium, infamia notaverit, ut refert Plutarchus *in Solone*. Quanquam idem Plutarchus *libro de ſerâ Numinis vindictâ* eam legem vocat ἀφιλανθρωπότερον. Add, idem *præceptis reip. gerendæ* & Gellius *l.* 12. *Noctium Attic.* 12.

XVII. Solent præterea virulenti ſermones, famoſi libelli, rhythmi, carmina ſpargi, quæ Tacitus *tentamenta vulgi* vocat, quæ nonnulli edictis coërcenda exiſtimant. Verum idem Tacitus III. hiſtor. 53. obſervavit; *ſermones populi coërcitos præcipuum famæ alimentum fuiſſe.* Heinſius l. 2. hiſtor. Belgic. *ad ea*, inquit, *conniveri ferè jam receptum eſſe; ſive quod immodicâ in vulgo, melius ſatietate, ac ſi diſſimules, mutatis animis, quam metu obſoleſcunt: ſive quod auctoritas cum levioribus commiſſa ad majora vim amittit, vetita & impunita commendantur.* Conf. Bacon. Verulam. *ſerm. fidel.* 15.

XIIX. Tempus intermedium quod attinet: cum motus ardere incipiunt, violentis remediis abſtinendum. Moderatione plura quam vi componenda. v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p.* 74. Oreſtes apud Euripidem *in ejus nominis tragœdiâ:*

Ὅταν γὰρ ἡβᾷ δήμος, εἰς ὀργὴν πεσών,
Ὅμοιος ὥστε πῦρ καλασβέσαι λάβρον,
Εἴ δ' ἡσύχως τις αἰτῷ ἐλεύνοντι μὴ,
Χαλῶν ἐωτείκοι, καιρὸν ἐυλαβέμενος,

Ἴσως

Ἴσως ἂν ὀκνήσειεν· ὅταν δ' ἀνὴρ πυρὰ,
Τύχοις ἂν αὐτὸ ῥᾳδίως ὅπου θέλεις.
Quando enim turget populus, incidens in iram,
Perinde non poteſt extingui, ut vehemens ignis:
Si autem molliter aliquis ei incenſo
Laxans cedit, obſervans tempus,
Fortaſſis exhalet: tum quando remiſerit ſpiritum,
Poſſis eo uti quantum voles.

v. omnino H. Grot. *l. 2. Annal. p. 38.* Addit:

Ἔνεστι δ' οἰκτῷ, ἔνι δὲ καὶ θυμὸς μέγας,
Καιροδοκοῦντι κῆμα πρωτόπλουν.
Eſt enim in eo miſeratio, eſt & magna iracundia,
Optima res obſervanti tempora.

Sophocles in Antigone:

Nec turpe quamvis maximè ſapias tamen
Didici ſe plura, nec nimis pratendere.
Vides ut arbor amnis adverſus impetum
Cedendo vincat & ſuam ſervet domum
At interit de ſtirpe ſi qua obnititur.

Grot. ad III. Reg. XII, 11.

XIX. Si tamen bellum jam ſuſceptum eſt, an feſtinare, an bellum ducere ſit ſatius, pro ratione circumſtantiarum ſtatuendum. V. Conſultatio inter Duces Othonianos apud Tacitum *II. hiſtor. 31. ſequ.* Add. *I. hiſtor. 32. ſequ.* ubi præclara Vinii eſt ſententia ad Galbam: *daret malorum pœnitentiæ; daret bonorum conſenſui ſpatium, ſcelera impetu, bona conſilia morâ valeſcere.* v. Lipſii conſilium apud Grot. *l. 17. Hiſt. Belgic. p. 545.* Davidi, à filio Abſolone impugnato, nihil magis proderat, quàm mora. v. *II. Samuel. XVII.*

XX. Præcipuè autem convertendi oculi ad Duces & capita rebellium, (1) ceu qui ſolent rem ad abrupta perducere, nullamque ſanationem recipientia. v. omnino Grot. *l. 3. Annal. p. 66. ſequ.* Ubi certum

eſt, ſæpe unius hominis ſanguine bellum civile transactum eſſe. Ita Scribonianus ſub Claudio, Seba ſub Davide interfecti bello finem impoſuere. v. 2. *Samuel. XX, 22.* Piſone occiſo levata Othoni omni ſolicitudine mens, apud Tacitum *I. hiſtor. 44. n. 1.* Quanquam ubi integræ provinciæ nutaverunt, ſupplicio auctorum aliquando magis aſperatum malum, quàm repreſſum fuiſſe, exemplis doceat Forſtner. *ad XI. Annal. Taciti 19.* Si plures ſunt duces (2) connitendum ſedulo, ut vel multitudini ſuſpecti reddantur, vel ſpecioſis nominibus diſparentur, quantum poſſunt: nonnullis ſpes, præmia aut honores oſtentanda; v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p. 40,* aliis, qui ſuperſunt, metus intendendus.

(1) Sic Achitophiles Abſoloni auctor fuit, ut thorum patris violaret, quo nullam illi receptus ad gratiam patris ſpem relinqueret. *II. Samuel. XVI, 21.* Aliud exemplum eſt apud A. epitom. rer. Germanic. *ad A. 1618. de Comite Turriano,* Alexander Farneſius ajebat: *qui gladium contra Principem ſtringit, ei vaginam eſſe abjiciendam,* apud Davilam *l. 9. hiſtor. bellor. civil.*

(2) *Periculoſiſſima ſunt ſeditiones, ubi omnibus idem velle & idem nolle,* ait Tacitus *II. Annal. 32.*

XXI. Ad conſequentia ſpectat, primò, *civiles victorias maturatâ pace finire, ne latius ſerpant diſcordiæ. V. Thuan. *l. 63. hiſtor. ad A. 1584.* ubi Chriſtophori Thuani conſilium. Monitum hocce neglectum fato ſuo impegit Carolum I. Angliæ Regem. Conf. epitomen *Rer. German. ad A. 1631.*

* Cicero IV. ep. 7. ait: *Sapientem & bonum civem initia belli civilis invitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi.*

XXII. Deinde victoriâ moderatè utendum. Hinc Romani Imperatores, ex civilibus bellis victoriam reportantes, triumphum agere non ſolebant. v. Valer. Maximum *II. Varior. 8, in fine.* Quo reſpexit Lucanus;

Bella

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Julius Cæsar civilium bellorum stragem non prodidit, ut nos docet Plinius *l. VII. histor. natur. 25.* Ejusdem Cæsaris in Pharsalicâ pugna vox fuit: *Parce civibus.* Brutus apud Ciceronem in ep. ad Brutum. II. dixit: *bella civilia acrius esse prohibenda, quàm in superatos iracundiam exercendam.* Claudianus:

Cautius ingentes morbos & proxima cordi
Viscera Paoniæ tractat sollertia curæ,
Parcendoque secat, ferro ne longius acto
Irrevocandus eat sectis virtutibus error.

XXIII. Amnestia denique, hoc est, abolitio omnium ante actorum, sancienda & jurisjurando confirmanda, cùm ut offensæ, dissidia, inimicitiæ earumque nomina pariter ac opera auferantur; tum ut benevolentia, amicitia, concordia concilietur. Exemplo in republicâ Athenienſium præivit Thrasybulus apud Cornelium Nepotem *in Thrasybuli vitâ cap. 3.* quod alii populi secuti sunt, v. elegans commentatio Bœcleri *de Amnestiâ.*

XXIV. Ad summum imperantem pertinet primum, ut secum habeat viros auctoritate & gratiâ valentes, (1) quorum interventu, ubi videbitur, animos oratione demulceat. Non rarò enim vicit Rhetorice, quos Bellona subigere haut valuisset. Eteocles apud Euripidem in Phœnissis:

Πᾶν γὰρ ἐξαίρει λόγος,
Ὁ δ' ἢ σίδηρος πολεμίων δεῖσιεν ἄν.
Blanda sæpe oratio,
Plus impetrabit, quàm truces belli minæ.

(2) Optima verò persuasio est, quæ à rebus cœlestibus, prodigiis aut miraculis sumitur (exemplo Drusi apud Tacitum *I. Annal. 28.*) vel ab inimicorum gaudio. Nullo quippe argumento, ex Aristotelis sen-

tentiâ, nobis aliquid efficacius dissuadetur, quàm si ostendatur, voluptatem inde capturos inimicos nostros, citato hanc in rem Homerico versu, cui suppar Virgilii:

Hoc Priamus velit, & magno mercentur Atridæ.

Nonnunquam & fabularum usus profuit. v. de Menenio Agrippâ Livius *II. histor. 32.*

(1) Elegantissimè Virgilius:

Magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant;
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

(2) V. oratio Germanici apud Tacitum *I. Annal.* 42. Escovedi ad Hispanos, seditionem in Belgio molientes, apud Stradam *Decad. I, l.* 9. Julii Cæsaris apud Lucanum *lib.* 5. *Pharsalia.*

XXV. Deinde milites in promtu habeat, si non ad usum, saltem ad securitatem suam, & ad metum seditiosis incutiendum.

XXVI. Emissariorum quoque & exploratorum magnus est usus. Hoc uno Achitophelis consilia evertit David, de quo (1) *II. Samuel. XV, 34. & sequ. XVI, 18. & XVII, 16.* Henricus VII, Angliæ Rex callidissimus, fidem emissariis conciliabat per juramenta, per execrationes, per anathemata, contra illos tanquam hostes à concionatoribus fulminata. Ita verò secretissima quæque expiscabatur, & post comperto delatores fuisse, qui integerrimi omnium credebantur, velut suspectâ cujusque conscientiâ, nemo curas suas profiteri, nemo alteri fidere audebat. Sed rectè addit Verulamius, qui in vita illius hoc pluribus memoravit: *Sacra ista vestimenta larvis non convenire.* (2) Adde consimile exemplum Callicratis, sed infelix exitu, apud Nepotem *in Dione c. 8.* felicius apud eundem *in Datame c. 10.*

(1) Ubi

(1) Ubo Grotius notat: *Non deserebant Davidem in tantis malis sua artes: sed ubi lupina non proderat, assumit vulpinam, verè ἀγχίνους* (perspicax) *& qua ex usu erant reperire solers.*

(2) Apud Tacitum II. histor. 18. *Spurinna sit temeritatis aliena comes, primò conclus, mox velle simulans, quò plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.*

XXVII. Si Rex vel Princeps sit, aliquando utile erit, ut præsentiam suam motibus impendat. v. Tacitus *II. historiar. 33. & IV. histor. 85.* At Tiberio apud eundem Tacitum I. Annal. 46. & sequ. *fixum erat, neque se neque rempublicam in casum dare.* Quod exemplum in Belgio parum feliciter imitatus est Philippus II, Rex Hispaniæ: manente quippe periculo ferme consentiebatur, vultum numenque Principis ad comprimendas partes immane quantum valitura fuisse. v. ex Stradâ & aliis Belgicis scriptoribus Bœcler. *in Dissert. de sedition. militar. c. 3. & ad II. histor. Taciti 33.* Zeveçotius *in observat. ad Sueton. Jul. Cæsar.* Adde exemplum Davidis *II. Samuel. XIIX, 3.*

XXIIX. Summus quoque imperans urbem, unde in omnia regimen, non temerè deserat. Lucanus de Senatoribus Romam deserentibus:

Urbem, populis victisque frequentem
Gentibus, & generis, coëat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignavæ liquere manus.

conf. Ciceronem *16. ep. II.* & Bœcler. *ad 2. Vellej. Paterc. 49.* Christiernus II. magno suo malo Haffniam liquet, de quo dignus est qui inspiciatur locus Meursii historiâ Danicâ ad A. 1523. & patrum memoriâ Carolus I. Angliæ Rex Londinum.

XXIX. In universum à summo imperante absit ingenii vanitas, è contrariô ei adsit animi robur & constantia. * Chorus apud Eurripidem in Jone;

Ὅτῳ

Ὅτῳ δ' ἐλαύνεται,
Συμφορᾷς οἴκῳ, σέβοντα δαίμονας θαρρεῖν χρεών.
Εἰς τέλος γὰρ οἱ μὲν ἐσθλοὶ τυγχάνουσιν ἀξίων,
Οἱ κακοὶ δ', ὥσπερ πέφυκασ', ἔπαθ' ἐμπρέψειαν ἄν.

Cujus igitur agitatur
Domus calamitatibus, si Deum colat, illum *confidere oportet:*
Tandem enim boni quidem consequentur digna pietate præmia,
Mali verò, ut digni *sunt, nunquam felices erunt.*

* Quem locum illustrat in elegantissima & accuratissima Euripidis Tragœdiarum editione Josua Barnes, Anglus. Adde Masium *ad Josuam IX, 19.*

DEO SOLI GLORIA!

INDEX

INDEX

Rerum & Verborum memorabilium, quæ in hoc opere continentur.

Quem circa monendum, quod numerus *prior* Partem, *alter* Sectionem, *tertius* Paragraphum, & *quartus* denique paginam, itemque *Litera A.* & *Aſteriſcus* Annotationes deſignent.

A.

ABdicatio Regni Regi abdicanti admodum inutilis 2,4,43,358.

Aborigines ſine lege, ſine imperio fuere, 1,1,1.p.45.

Abortum Ariſtoteles ſuaſit 2,2,16,304. ſed non ſine impietate, *ibid.* A. 1.

Abrahamus fuit paterfamilias cum imperio civili, 1,1,11,57.

Academia 1,5,16,107. unde dicta, *ibid.* A.4.

Accidentale, uno reſpectu quod eſt, altero ſolet eſſe eſſentiale, 1, 10,4, 186.

Accidentia perſonarum ſummæ poteſtatis non alterat Reipubl. formam 2, 6,4, 114. *

Acciſmi uſus multus profuit 2,24,13, 505.

Acclamationes etiam ob oppreſſis fiunt, tacitè interim gementibus 2, 24,1. A.1.498.

Accuſationes publicæ minuendæ ſunt in politia, 2,8,19.

Tireſias apud Euripidem in Phœniſſis:

Πικρόν τι τοῖσι τὴν τύχην κεκτημένοις,
Πόλει προσέχειν φάρμακον σωτηρίας.
Acerbum eſt hanc fortunam habentibus,
Urbi exhibere pharmacum ſalutis.

XII. Ante omnia cauſæ bellorum civilium removendæ, exemplo Agricolæ, qui parum profici armis, ſi injuriæ ſequerentur, cauſas bellorum civilium ſtatuit exſcindere, apud Tacitum *in ejus vit. c. 19.*

* Joſephus apud H. Grotium in Sophompanea:
Sed non medenti ſufficit, quali lues
Flammetur æſtu, noſſe quam partem premat,
Quibusque ſeſe ſuſcitet ſtimulis dolor.
Noſcenda morbi cauſa.

XIII. Igitur cum à rebellibus petitur naturâ non iniquum, aut improbum (v. g. tributorum diminutio aut rapacium miniſtrorum remotio) concedendum eſt, præſertim in graviſſimo motu. Quâ in parte nonnulli ſuadent, ut * tranquillatis rebus, quæ promiſſa ſunt irrita reddantur, vel non præſtentur: aut minuta quædam & tenuia, quaſi larva, obtendantur, decipiendæ illorum expectationi. Videbit tamen ſummus imperans, ne quod concedit, vi aut metu expreſſum videatur. v. Germanici conſilium apud Tacitum *l. Annal. 36. 37.*

* Boxhorn. *l. Inſtit. Pol.* 14. § 19. Sed hoc injuſtitia non ſemper vacat. ut oſtendit H. Grotius 3. *de J. B. & P. c.* 19. §. 6. *& ſequ.* Exemplum Friderici Imperatoris, pacta cum Brugenſibus infringentis, quæ Maximilianus filius iniverat, v. apud Sigiſmundum à Bircken in Oeſtreichiſchen Chron Spiegel *l.* 5. *c.* 38. *ad A.* 1488.

XIV. Deſperatio etiam rebellibus nunquam injicienda. Hæc enim excitat ad audendum, & qui ſalutem deſpondit, exitii ſolatia quærit comitesque morte: è contrariô impunitatis oblatione minus factioſi

factioſi ſe ſubducunt; quoniam complures animi levitate ad ſeditiones & bella excitantur, & plebs, poſtquam belli mala ſenſit, pacis quam vindictæ eſt cupidior: Cicero pro domo ſuâ: *Hoc in imperitâ multitudine eſt vitioſiſſimum, varietas, & inconſtantia, & crebra tanquam tempeſtatum, ſic ſententiarum commutatio.*

* Notus eſt Virgilii verſus: *Una ſalus victis, nullam ſperare ſalutem* Quorum ſalus pro deplorata eſt, iis una ſalus, ſalutis cupidine non teneri, ajunt aliqui apud Procopium *l. IV. Gothicor.* In proverbio eſt: Acerrimos canum morientium eſſe morſus.

XV. Cum verò rebelles ſæpe alium finem præferant, * eumque ſpecioſum & in vulgus gratum, alium occultent, hunc propalari multum intereſt.

* Salluſtius in bello Catilinario: *Uti paucis verum abſolvam, per illa tempora quicunque rempublicam agitavere, v.* Foſtn. *ad XV l. Ann. p.* 386. *honeſtis nominibus, alii ſicuti jura populi defenderent; pars, quò ſenatus auctoritas maxima foret, bonum publicum ſimulantes, pro ſua quisque potentia certabant.* Apud eundem Lepidus: *Dicta alia, ſed utrinque certatum de dominatione.* De Pompejo & Julio Cæſare Cicero 8. ad Atticum 1. *Dominatio quæſita ab utroque, non autem beata & honeſta civitas ut eſſet.* Idem alibi: *Subinde ſigna turbantur, quibus voluntas à ſimulatione diſtingui poſſit.* Add. Polybium *l. 3. hiſtor. c. 6.* Foſtnet. *ad XV. Annal.* 53.

XVI. Singulatim, in modo componendi bella civilia & ſeditiones, reſpiciendum ad tempus antecedens, intermedium & conſequens. Ad tempus antecedens pertinet: (1) Initia motuum interdum eſſe nugatoria, & ut Ariſtoteles loquitur *V. Pol. 4.* ὁ πόλεμος μικρῶν, ἀλλ' ὐκ μικρῶν. Hæc igitur, ceu vilia & modica, ſummus Imperans non parvi pendet. Tacitus notat XIV. Annal. 6. *Modicis remediis primos motus conſediſſe.* E contrario experiundo cognitum eſt, turbarum initia valdè adhuc imbecilla

ita morâ fuiſſe confirmata, ut, quæ prius componendis ſatis fuiſſent, poſt momenti nihil habuerint. Neque in obſcuro cauſa latet; (2) quia plures nondum corripuit contagium; deinde pauci, qui auctores ſunt, timidè adminiſtrant; multi cauſas ignorant & per vecordiam iis ſe adjungunt.

(1) Exemplis, quæ Ariſtoteles *dicto loco* habet, adde illud apud Livium *l.* 4. *c.* 9. de ſeditione Ardentina. Lugduni aliquando ſeditio exorta ob crepitum ventris. v. Meurſium *l.* 1. *Athenæi Batavici c.* 17.

(2) Hæc cauſa eſt, quamobrem Solon illum, in ſeditione qui fuiſſet neutrarum partium, infamia notaverit, ut refert Plutarchus *in Solone* Quanquam idem Plutarchus *libro de ſerâ Numinis vindictâ* eam legem vocat φιλοπόλιον. Add, idem *præceptis reip. gerendæ* & Gellius *l.* 12. *Noctium Attic.* 12.

XVII. Solent præterea virulenti ſermones, famoſi libelli, rhythmi, carmina ſpargi, quæ Tacitus *tentamenta vulgi* vocat, quæ nonnulli edictis coërcenda exiſtimant. Verum idem Tacitus III. hiſtor. 53. obſervavit; *ſermones populi coërcitos præcipuum famæ alimentum fuiſſe.* Heinſius l. 2. hiſtor. Belgic. *ad ea*, inquit, *conniveri ferè jam receptum eſſe; ſive quod immodicâ in vulgo, melius ſatietate, ac ſi diſſimules, mutatis animis, quam metu obſoleſcunt: ſive quod auctoritas cum levioribus commiſſa ad majora vim amittit, vetita & impunita commendantur.* Conf. Bacon. Verulam. *ſerm. fidel.* 15.

XIIX. Tempus intermedium quod attinet: cum motus ardere incipiunt, violentis remediis abſtinendum. Moderatione plura quam vi componenda, v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p.* 74. Oreſtes apud Euripidem *in ejus nominis tragœdiâ:*

Ὅταν γὰρ ἡβᾷ δήμος, εἰς ὀργὴν πεσών,
Ὅμοιος ὥστε πῦρ καλαισβέσαι λάβρον,
Εἰ δ' ἡσύχως τις αὐτῷ ἐπείκοντι μολὼν,
Χαλῶν ἐπείκοι, καιρὸν ἐυλαβέμενος,

Ἴσως

Ἴσως ἂν ἐκπνεύσειεν· ὅταν δ' ἀνῇ πνοὰς,
Τύχοις ἂν αὐτὸ ῥᾳδίως ὅσον θέλεις.
Quando enim turget populus, incidens in iram,
Perinde non poteſt extingui, ut vehemens ignis:
Si autem molliter aliquis ei incenſo
Laxans cedit, obſervans tempus,
Fortaſſis exhalet: tum quando remiſerit ſpiritum,
Poſſis eo uti quantum voles.

v. omnino H. Grot. *l. 2. Annal. p. 38.* Addit:

Ἔνεστι δ' οἰκτῷ, ἔνι δὲ καὶ θυμὸς μέγας,
Καιροδοκοῦντι κῆμα πιμπάτου.
Eſt enim in eo miſeratio, eſt & magna iracundia,
Optima res obſervanti tempora.

Sophocles in Antigone:

Nec turpe quamvis maximè ſapias tamen
Didici ſe plura, nec nimis prætendere.
Vides ut arbor amnis adverſus impetum
Cedendo vincat & ſuam ſervet domum
At interit de ſtirpe ſi qua obnititur.

Grot. ad III. Reg. XII, 11.

XIX. Si tamen bellum jam ſuſceptum eſt, an feſtinare, an bellum ducere ſit ſatius, pro ratione circumſtantiarum ſtatuendum. V. Conſultatio inter Duces Othonianos apud Tacitum *II. hiſtor. 31. ſequ.* Add. *I. hiſtor. 32. ſequ.* ubi præclara Vinii eſt ſententia ad Galbam: *daret malorum pœnitentiæ; daret bonorum conſenſui ſpatium, ſcelera impetu, bona conſilia morâ valeſcere.* v. Lipſii conſilium apud Grot. *l. 17. Hiſt. Belgic. p. 545.* Davidi, à filio Abſolone impugnato, nihil magis proderat, quàm mora. v. *II. Samuel. XVII.*

XX. Præcipuè autem convertendi oculi ad Duces & capita rebellium, (1) ceu qui ſolent rem ad abrupta perducere, nullamque ſanationem recipientia. v. omnino Grot. *l. 3. Annal. p. 66. ſequ.* Ubi certum

eſt, ſæpe unius hominis ſanguine bellum civile transactum eſſe. Ita Scribonianus ſub Claudio, Seba ſub Davide interfecti bello finem impoſuere. v. *2. Samuel. XX, 22.* Piſone occiſo levata Othoni omni ſolicitudine mens, apud Tacitum *I. hiſtor. 44. n. 1.* Quanquam ubi integræ provinciæ nutaverunt, ſupplicio auctorum aliquando magis aſperatum malum, quàm repreſſum fuiſſe, exemplis doceat Forſtner. *ad XI. Annal. Taciti 19.* Si plures ſunt duces (2) connitendum ſedulo, ut vel multitudini ſuſpecti reddantur, vel ſpecioſis nominibus diſparentur, quantum poſſunt: nonnullis ſpes, præmia aut honores oſtentanda; v. Forſtner. *ad XIV. Ann. p. 40.* aliis, qui ſuperſunt, metus intendendus.

(1) Sic Achitophiles Abſoloni auctor fuit, ut thorum patris violaret, quo nullam illi receptus ad gratiam patris ſpem relinqueret. *II. Samuel. XVI, 21.* Aliud exemplum eſt apud A. epitom. rer. Germanic. *ad A. 1618. de Comite Turriano*, Alexander Farneſius ajebat: *qui gladium contra Principem ſtringit, ei vaginam eſſe abjiciendam*, apud Davilam *l. 9. hiſtor. bellor. civil.*

(2) *Periculoſiſſima ſunt ſeditiones, ubi omnibus idem velle & idem nolle*, ait Tacitus *II. Annal. 32.*

XXI. Ad conſequentia ſpectat, primò, *civiles victorias maturatâ pace finire, ne latius ſerpant diſcordiæ. V. Thuan. *l. 63. hiſtor. ad A. 1584.* ubi Chriſtophori Thuani conſilium. Monitum hocce neglectum fato ſuo impegit Carolum I. Angliæ Regem. Conf. epitomen *Rer. German. ad A. 1631.*

* Cicero IV. ep. 7. ait: *Sapientem & bonum civem initia belli civilis invitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi.*

XXII. Deinde victoriâ moderatè utendum. Hinc Romani Imperatores, ex civilibus bellis victoriam reportantes, triumphum agere non ſolebant. v. Valer. Maximum *II. Varior. 8, in fine.* Quo reſpexit Lucanus;

Bella

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Julius Cæsar civilium bellorum stragem non prodidit, ut nos docet Plinius *l. VII. histor. natur. 25.* Ejusdem Cæsaris in Pharsalicâ pugna vox fuit: *Parce civibus.* Brutus apud Ciceronem in ep. ad Brutum. II. dixit: *bella civilia acrius esse prohibenda, quàm in superatos iracundiam exercendam.* Claudianus:

Cautius ingentes morbos & proxima cordi
Viscera Paoniæ tractat sollertia curæ,
Parcendoque secat, ferro ne longius acto
Irrevocandus eat sectis virtutibus error.

XXIII. Amnestia denique, hoc est, abolitio omnium ante actorum, sancienda & jurisjurando confirmanda, cùm ut offensæ, dissidia, inimicitiæ earumque nomina pariter ac opera auferantur; tum ut benevolentia, amicitia, concordia concilietur. Exemplo in republicâ Athenienſium præivit Thrasybulus apud Cornelium Nepotem *in Thrasybuli vitâ cap. 3.* quod alii populi secuti sunt, v. elegans commentatio Bœcleri *de Amnestiâ.*

XXIV. Ad summum imperantem pertinet primùm, ut secum habeat viros auctoritate & gratiâ valentes, (1) quorum interventu, ubi videbitur, animos oratione demulceat. Non rarò enim vicit Rhetorice, quos Bellona subigere haut valuisset. Eteocles apud Euripidem in Phœnissis:

Πᾶν γὰρ ἐξαίρει λόγος,
Οὐ μὴ σίδηρος πολεμίων δέξοιτ' ἄν.
Blanda sæpe oratio.
Plus impetrabit, quàm truces belli minæ.

(2) Optima verò persuasio est, quæ à rebus cœlestibus, prodigiis aut miraculis sumitur (exemplo Drusi apud Tacitum *I. Annal. 28.*) vel ab inimicorum gaudio. Nullo quippe argumento, ex Aristotelis sen-

tentiâ, nobis aliquid efficacius diſſuadetur, quàm ſi oſtendatur, voluptatem inde capturos inimicos noſtros, citato hanc in rem Homerico verſu, cui ſuppar Virgilii;

Hoc Priamus velit, & magno mercentur Atridæ.

Nonnunquam & fabularum uſus profuit. v. de Menenio Agrippâ Livius *II. hiſtor. 32.*

(1) Elegantiſſimè Virgilius:

Magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat;
Tum pietate gravem ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus adſtant:
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

(2) V. oratio Germanici apud Tacitum *I. Annal.* 42. Eſcovedi ad Hiſpanos, ſeditionem in Belgio molientes, apud Stradam *Decad. I. l.* 9. Julii Cæſaris apud Lucanum *lib.* 5. *Pharſalia.*

XXV. Deinde milites in promtu habeat, ſi non ad uſum, ſaltem ad ſecuritatem ſuam, & ad metum ſeditioſis incutiendum.

XXVI. Emiſſariorum quoque & exploratorum magnus eſt uſus. Hoc uno Achitophelis conſilia evertit David, de quo (1) *II. Samuel. XV, 34. & ſequ. XVI, 18. & XVII, 16.* Henricus VII, Angliæ Rex callidiſſimus, fidem emiſſariis conciliabat per juramenta, per execrationes, per anathemata, contra illos tanquam hoſtes à concionatoribus fulminata. Ita verò ſecretiſſima quæque expiſcabatur, & poſt comperto delatores fuiſſe, qui integerrimi omnium credebantur, velut ſuſpectâ cujusque conſcientiâ, nemo curas ſuas profiteri, nemo alteri fidere audebat. Sed rectè addit Verulamius, qui in vita illius hoc pluribus memoravit: *Sacra iſta veſtimenta larvis non convenire.* (2) Adde conſimile exemplum Callicratis, ſed infelix exitu, apud Nepotem *in Dione c. 8.* felicius apud eundem *in Datame c. 10.*

(1) Ubi

(1) Ubo Grotius notat: *Non deserebant Davidem in tantis malis sua artes: sed ubi lupina non proderat, assumit vulpinam, verè ἀγχίνους* (perspicax) *& quæ ex usu erant reperire solers.*

(2) Apud Tacitum II. histor. 18. *Spurinna sit temeritatis aliena comes, primò coactus, mox velle simulans, quò plus auctoritatis inesset consiliis, si seditio mitesceret.*

XXVII. Si Rex vel Princeps sit, aliquando utile erit, ut præsentiam suam motibus impendat. v. Tacitus *II. historiar. 33. & IV. histor. 85.* At Tiberio apud eundem Tacitum I. Annal. 46. & sequ. *fixum erat, neque se neque rempublicam in casum dare.* Quod exemplum in Belgio parum feliciter imitatus est Philippus II, Rex Hispaniæ: manente quippe periculo ferme consentiebatur, vultum numenque Principis ad comprimendas partes immane quantum valitura fuisse. v. ex Stradâ & aliis Belgicis scriptoribus Bœcler. *in Dissert. de sedition. militar. c. 3. & ad II. histor. Taciti 33.* Zeveçotius *in observat. ad Sueton. Jul. Cæsar.* Adde exemplum Davidis *II. Samuel. XIIX, 3.*

XXIIX. Summus quoque imperans urbem, unde in omnia regimen, non temerè deserat. Lucanus de Senatoribus Romam deserentibus:

Urbem, populis victisque frequentem
Gentibus, & generis, coëat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Cæsare prædam
Ignavæ liquere manus.

conf. Ciceronem *16. ep. II.* & Bœcler. *ad 2. Vellej. Paterc. 49.* Christiernus II. magno suo malo Haffniam liquet, de quo dignus est qui inspiciatur locus Meursii historiâ Danicâ ad A. 1523. & patrum memoriâ Carolus I. Angliæ Rex Londinum.

XXIX. In universum à summo imperante absit ingenii vanitas, è contrariô ei adsit animi robur & constantia. * Chorus apud Eurripidem in Jone;

Ὅτῳ

INDEX

Rerum & Verborum memorabilium, quæ in hoc opere continentur.

Quem circa monendum, quod numerus *prior* Partem, *alter* Sectionem, *tertius* Paragraphum, & *quartus* denique paginam, itemque *Litera A.* & *Asteriscus* Annotationes designent.

A.

ABdicatio Regni Regi abdicanti admodum inutilis 2,4,43,358.

Aborigines sine lege, sine imperio fuere, 1,1,1.p.45.

Abortum Aristoteles suasit 2,2,16,304. sed non sine impietate, *ibid.* A. 1.

Abrahamus fuit paterfamilias cum imperio civili, 1,1,11,57.

Academia 1,5,16,107. unde dicta, *ibid.* A.4.

Accidentale, uno respectu quod est, altero solet esse essentiale, 1,10,4,186.

Accidentia personarum summæ potestatis non alterat Reipubl. formam 2,6,4,114. *

Acciſmi usus multus profuit 2,24,13,505.

Acclamationes etiam ob oppressis fiunt, tacitè interim gementibus 2,24,1. A.1.498.

Accusationes publicæ minuendæ sunt in politia, 2,8,19.

Achæi totius ſocietatis principem habuerunt 2,18, 6. cooptatio ſocii conſenſu omnium fieri debebat, §. 7.
Achæorum fædus ſpecioſis artibus à Romanis diſſolutum, 2,10,21,436.
Achæorum reſpublicæ an ſyſtema fuerint? 1,12,7. 242. & A. 1.
Achaicæ civitates, 1, 12, 8, 245. earum mala & remedia. 2,18, 1. ſeqq. 470. ſeqq.
Achitophelis conſilium Abſoloni datum quo ſpectarit? 2,25,20. A. 1.
Acquirendi modi quo pertineant? 2,2,55, 322. *
Actiones hominis de Ingenio ſuo teſtantur. Pæd. §. 23. p. 38. *
Actor quis in criminalibus? 2,7,21. 161. ſequ.
Adlzreitteri *Annal. Bojici* 2,35,6. A. 3, 512.
Admiralius unde dicatur, 2,3, 17, 337. *
Admiralitatis collegia inſtituenda ſunt, ibid.
Adoptione prudenter liberorum defectus à principe ſuppletur, 2,4,43, 357, ſequ. A. 1,
Advocati. 1,7, 21, 169.
Adulatores perpetuum regni malum ſunt, 2,4, 11. 342. ſeqq. & A. 1. omnia laudant, *ibid.* ſunt maximè noxii. A. 2. non ſunt unius generis, *ibid.* remedia ſunt, §. 41, 355. ſeqq.
Adulterium non eſt permittendum, 2,2,12, 301. ejus pœnæ ap. vârias gentes, *ibid.* A. 3. & varia incommoda. *ibid.*
Adulteriis Princeps abſtineat, 2,4,39. 354. & A. 2.
Adulteræ facinus ſuum, opinione Platonis de uxorum communione defendere aliquando conatæ ſunt, 2,2,12,301. A. 1.
Ædificia ſplendida ſint in civitatibus, quæ divitias appetunt, 2,11, 5,447.

Ædui duos ejusdem gentis in Senatu esse prohibuerunt, 2, 7, 23, 401.
Ægyptus in plures provincias ab Alexandro M. partita, 2, 16, 9. A. 6, 464.
- olim in 12. reges sub lege amicitiæ distincta fuit, 2, 18, 3. A. 2, 472.
Ægyptii Principes vita exibant Rege suo mortuo, 2, 4, 1, A. 2. 340.
Ægyptiii Reges malè regnarunt, 2, 4, 9. A. 3. 342.
Ægyptii se omnes nobiles esse dixerunt 2, 2, 7, 299.
* Post Ptol. Everget. omnes Luxu perditi. 1, 2, 4. A. 3, 225.
Ægypti Soldanus ex numero Mamluchorum electus fuit 1, 10, 9. 206.
Æmulatio regnantium erga consanguineos sanguinolentum Regni succeſſ. malum est. 2, 5, 7, 370, remedia §. 13. 373.
Æemulatione honoris nihil perniciosius est Politiæ. 2, 8, 22, 419.
Æmulatio optimatum Aristocratiæ nocet 2, 6, 16, 386. & 27, 5, 394.
Æneæ laudes cur Julia domus cani voluerit 2, 24, 9. *
Ærarium 1, 5, 23, 122. sequ.
Ærarii patrocinium suscipere magnum favorem populi comparat 2, 24, 8. A. 2, 503.
Ejus necessitas 1, 9, 18, 190.
Eo carere damnosum est reipubl. 2. 1, 28. 282.
utile contra illud habere & curare §. 61. 291.
Ærumnarum tolerantes sint cives reipubl. optimæ 2, 22, 25. & *
Æschylus docet metum impellere ad justitiam servandam 1, 3, 3, 77. A. 2.
Ejus divinus versus Præd. §. 6. p. 10.
Ætas regis vel immatura vel profecta nimis regno damno-

damnosa est, 2, 4, 14. 344. exemplum est A. 1. remedia sunt §. 43. 357. sequ.

Æthiopes quem Regem sumserint olim? 1, 10, 9. 205. sequ.

Ætolorum corpus Prætorem annuum habuit 2, 18, 6, 473.

Eorum 3. civilia corpora systema fueruut 1, 12, 7. quid Romanis in fœdere promiserint clientelaria cum facta essent? §. 10, 251.

Affinitate Rex Exteros magis quam subditos jungi sibi patiatur 2, 5, 13. 374.

Affinitatibus imperia proferre usitatum est hodie 2. 10, 33, 441. intendit hoc Rex Hisp. Philippus. *ibid.*

Africa & Asia ferè universa regibus parent 1, 10, 5, 197.

Agamemnon Rex quanti fidelem consiliarium æstimaverit 2, 4, 53, 361.

Agathonis insignis sententia Pæd. §. 6. p. 10.

Aggeres oris maritimis utiles 2, 3, 14, 333. in ruptores eorum pœnæ statuendæ *ibid.* de eorum jure scripsit Hackmannus A. 1.

Agnati æqualiter succedant 2, 2, 55, 322.

Agnati regum quomodo habendi? 2, 4, 47, 361.

Agricolæ bellis utiles 2, 2, 30, 309.*. an è numero civium Reipubl. optimæ excludendi, *ibid.*

Agriculturæ laudes, *remissivè.* 2, 2, 30, 310.

ejus studium quæ leges excitent? 2, 2, 52.*

Aizma hist. pacis, 1, 9, 11, 186.

Alanos bella juvârunt 1, 11, 2, 220.

Albania homogeneo modo accessit Romæ, i. e. unam civitatem cum ea constituit, 1, 12, 5, 239.

Album Patritiorum est habendum 2, 7, 6, 395.

Alcibiades cur strenui canis sui caudam abscindi jusserit, 2, 24, 10, A, 1.

Alexandri M. inſtitutum erga devictas gentes laudatur, 2, 10, 20, A. 1. 436.
Algirienſium Respublica qualis? 1, 10, 5, 197. Apud eos Baſſa quisnam? *ibid.*
Aliena appetere civitatibus exitioſum, 2, 2, 6, 298. A. 2. ſub exemplo Spartanorum.
Alienatio regni ad certum tempus periculoſa eſt, 2, 15, 3, 457.
Alternativa regni adminiſtratiõ non caret periculo, 2, 5, 10. exemplum eſt A. 2.
Amazones fœminæ peculiarem conſtituerunt Rempubl. 1, 5, 11, 105.
Ambaſſadores inter & Envoyé nulla apud Siamenſes Differentia. 1, 9, 7, 185.
Ambitus familiare ariſtocratiæ electitiæ malum, 2, 7, 11, 306. remedium §. 13.
Politiæ magno malo eſt, 2, 8, 11, 413. exempla ſunt in * remedia, §. 22.* & ſeqq.
Amelotto del governo de Venetia, 2, 6, 22, 388.*
Americani cujusnam indolis ſint ac ingenii in perferendo Regimine 2, 12, 3, 450.
Amici ab adulatoribus quomodo diſcernendi? *remiſſivè*, 2, 4, 41, 355.
Amicitia civitates continet 2, 1, 36, 285.
Amicitiis cives devincieudi in politiis, 2, 8. 18, 417.
Amneſtia poſt bella civilia ſanciri debet, 2, 25, 23.
Amphyctionum corpus Ducem habuit, 2, 18, 6. 472. eorum civitates ſyſtema conſtituerunt, 1, 12, 7, 242.
Amplificatio civitatum ſæpè à providentia divina, 1, 9, 1. & A. 1. 177. ſeqq.
Anarchia 1, 12, 23, 263. ejus exempla *ibid.* & A. 1. per eam civitas in ſtatum naturalem relabitur, *ibid.* & A. 2.

Angeli ſingulis civitatibus ex Daniele olim attribu-
1, 9, 1, 178.
Angli Scotis naturâ exoſi. 2, 1, 17. A. 3, 279.
quem dicant apud ſe naturalizatum? 1. 5. 4, 96.
Angli cur pharos extruxerint, 2, 3, 15, A. 1, 335.
cum Hiſpanis convenere de diuturnitate moræ
bellic. Navium in alterius Portubus. *ib.* 334.
Poſt Caroli I. necem non potuerunt partam liber-
tatem conſervare, 2, 21, 4, 484. *
Anglia ſitu tuta eſt. 2, 3, 2. A. 1, 327. Comitem
Palatinum olim habuit. 1. 12, 9, 250. Terræ moti-
bus raro obnoxia. 2, 2, 46. * 316.
Angliæ & Scotiæ poſt conjunctionem uno nomine
Britanniæ M. veniunt, 2, 16, 4.
Angliæ regnum ſub Henrico VII. populariter tem-
peratum fuit, 1, 10, 12. A. 2, 210. ad diſſimilaris
interjectam ſpeciem anonymam, olim relata. 1,
12, 9, 249.
Annales leges Venetiis vigent, 2, 6, 29, 390.
Annonæ quomodo in politiis proſpiciendum? 2, 8,
17. * 416.
Annulus Signatorius Regi in primis curæ ſit. neceſſe
eſt. 2, 4, 56, 364.
Anonymæ Respubl. factionibus diſtrahuntur, 2, 19,
2, 478.
Antiani Luccenſium quid? 2, 7, 28, * 403. unde
dicantur? *ibid.*
Antidota Princeps ſæpius bibat, 2, 4, 45, 359. A. 3.
360.
Antifanatica Respubl. a Glamuillio excogitata. 2, 2,
5, 296.
Antoninus Imp. mundum unam cenſet civitatem, 1,
2, 2, 64.
Απαιδευσία quid: *Ped.* §. 1. p. 2.
Apalchitæ in commune laborant, exque eo frumen-
ta

ta pro cujuslibet indigentiâ ſingulis menſibus diſtribuunt, 2, 2, 48.* 317.
Apanagium fiduciario jure poſſidendum tribui debet, 2, 5, 10; 371.
Apum Respublica a Loccenio adſtructa. Pæd, §. 16, p. 27.*. Formam fere Regni habet: *ibid.*
Appellatio fit vel verbis vel factis, 1, 7, 24. *. 169.
Appellatio ad populum in criminalibus prohibita, 2, 8, 20; 418. & *
Appianus Alexandrinus Rom. hiſt. 1, 6, 13; 141. Triumphi apud eos Scriptor. 2; 10; 34; 442.
Approbatio actus regalis ab alio facienda, ſæpè eſt arcanum politicum 1, 6, 19, A. 4, 152. ſequ.
Aquam nonnulli biberunt veneni metu 2, 4, 5. A. 2. 359.
Aquarum eluviones periculorum præmonitores ſunt 1, 9; 1, 178. & A. 7, 180.
Aquilæ boni ominis in bello aves creditæ. 1, 9, 1, A. 11, 182.
Arabiæ deſertæ Seſſores miſerias pro ſcopo felicitatis habent 1, 11, 4, 224.
Arbitrum eligere periculo non vacat 2, 18, 8. A. 2, 473. exempla ſunt *ibid.*
Arbitriorum duo ſunt genera 1, 7, 25, & A. 2. 170.
Arcana Dominat. Rom. Impp. circa augendam Majeſtatem. 2, 4, 34. A. 2. 351.
Arces Oligarchiæ & monarchiæ conveniunt 2, 1, 35, 284. eas occupare tyrannidis ſignum *ibid.* A. 2.
Architecti reipublicæ dicuntur, qui Politicam docent. Pæd. §. 22. p. 36.
Archiva ſunt publicæ res 1, 5, 23, 124.
Areopagi Athenienſium magna utilitas fuit 2, 9, 4. * 423.
Ariſtocratiæ definitio 1, 10, 13, 210. Diviſio 1.) *à modo conſtituendi* in electivas §. 14, 211. easque

voti vel liberi vel restricti §. 15. *ibid.* & successivas §. 16, 212. 2.) *à modo administrandi* in puras & temperatas §. 17, 214. 3.) in urbicas & per civitatis regionem universam sparsas §. 18. 215.

Aristocratiam num Optimates a populo electi constituant, de eo controversia 1, 10, 14, 211. Cum regno magnam affinitatem habet 2, 6, 1, 382. in nonnullis regno præferenda §. 2. *ibid.* varia ejus sunt mala, quæ recenset §. 3. *ibid.* & sqq. quibus remedia propinat §. 19. sqq. 386.

Aristocratia *successiva* est plerumque optima 2, 7, 1, 393. ejus mala sunt §. 2. seqq. *ibid.* remedia §. 6. sqq. 391. *Electitia* mala sunt §. 10. sp. 396. remedia §. 12. sq. *Censum respicientis* malum §. 14, 379. remedium §. 15. *ibid.* *Regiè temperata* est optimum institutum §. 16. *ibid.* malum ejus est §. 17, 398. remedium §. 18. *ibid.* *aristocraticè temperata* laudanda est §. 19, 400. ejus mala sunt §. 20. *ibid.* sequ. remedia §. 22. sq. *populariter temperata* usus insignis est §. 24, 401. malum est §. 25. *ibid.* remedia §. 26. sq. *urbica*, & præsertim uni inclusa urbi, præfertur. alii §. 28.

Aristocratiæ præsunt, qui eam ignorant §. 27.

Aristippi character Pæd. §. 4. p. 6.

Aristoteles parcissimè de regnis egit 2, 4, 2, 340. de eo ratio Septalii *ibid.* & in *

Diligens fuit in explicandis Aristocratiæ malis & remediis 2, 6, 4, 383.

Ejus *de Republicâ* libri loco moti sunt 2, 2, 5, 296.

Arma provincialibus adimenda 2, 16, 11, 466. exemplum est A. 1.

Arminianismum quomodo Barneveldius exterminandum suaserit 2, 25, 3.* 512.

Armistitia 1, 8, 10, 175.

Arnisæi consideratio civitatis 1, 2, 2, 65. in * juris & im-

& imperii mentionem in finienda civitate plane omittit *ibid.* p. 65.

Arianus mundum universum civitatem vocat 1, 2, 2, 64.

Ars dotes ingenii perficit. Pæd. §. 19. p. 31.

Artes diversæ possunt idem objectum habere sub diverso considerandi modo Pæd. §. 7. p. 12. §. 13. p. 21.

Miſſi Regii Francorum erant exploratores Magiſtratuum 2, 16, 8, 461.
Miteſcunt populi variis incantamentis 2, 21, 3, 483.
Mixtæ Respublicæ 1, 11, 8.* 232. ſeqq. a multis negantur *ibid.* malè cum temperatis confunduntur *d. l.* & 1, 6, 19, 152. exempla ſunt Suecia *ib.* Anglia, Polonia, Germania in rep. maiori ſpectata. *d. l.* Roma, poſtquam plebs ſeceſſit in montem ſacrum *ibid.* & A. 4. an & Hebræorum Respubl. *ibid.*
Mixtæ respubl. non niſi ex hypotheſi optimæ ſunt, 2, 14, 1, 453. quænam ex iis (Cicerone Autore) optima? *ibid.* non ſunt diuturnæ, *ibid.* malum eſt §. 2. remedium §. 3.
Mobiles res 1, 5, 26, 124.
Moderatione rigoris regna optimè conſervantur 2, 4, 33, 350.
Modeſtia cives aſſuefaciendi, 2, 2, 28, 309.
Modeſtiæ aſſuefacienda nobilitas 2, 7, 8, 395.
Mogolis regimen eſt Tyrannicum 1, 11, 5, 227. de ejus imperio egit J. de Laet. *ib.* cujus ætatis perſonæ matrimonium conficere ibi poſſint? 2, 2, 9. A. 3, 300.
Molesworthus Angl. quidnam pro cauſa mutatæ Daniæ prætendat 2, 141, 453.
Molles & effæminati redduntur populi per voluptates, ejusque inſtrumenta 2, 10, 19. A 2, 436.

Molochi nova quaſi ſpecies 1, 9, 1. A. 3, 179.
Monæ regnum 1, 5, 17. A. 2, 116.
Moneta Lacedæmoniorum ex Corio facta 1, 5, 19, 120. *
Monarchia & libera civitas bona fide non coaleſcunt 2, 1, 17. A. 3, 278, ſequ. optima reſp. debet Monarchia eſſe 2, 2, 57, 323.
Monarchiæ aſſuetus populus libertatem ferre nequit, 2, 21, 4, 484.
Μοναρχίας vox ad bonam, æque ac malam unius gubernationem pertinet, 1, 10, 6, 200.
Monaſteria 1, 5, 16, 114.
Μονογαμία Japonis in uſu eſt 2, 2, 12. A. 3, 303.
Monopolii inſtitutio eſt modus augendi ærarii 2, 1, 61, 291.
Eſt peſtis commerciorum 2, 11, 3, 444. remedia ſunt §. 5, 446
Μονοφαγία regum iis malo eſt 2, 4, 10. A.
Montecatinus malè carpit Ulpianum pollicitationem à pactis ſeparantem 1, 5, 28. *
Montium pietatis ſcopus 2, 6, 22. * 342.
Moralis diſciplina & Stoicorum doctrina comprehendit prudentiam civilem *Pæd.* 2. p. 8. in erudienda Juventute Politicam præcedere debet. *Pæd.* §. 21. p. 35. A. 4.
Mores divitum, pauperum &c. 1, 5, 13, 109.
Mores publicos magnos dicendi genus imitatur, 1, 11, 5. A. 3, 228. *in fin.*
Mores juſtiſſimi adſunt iis qui mediocres divitias habent, 2, 2, 39. * 313.
Mores Philippi II. Hiſp. Regis Hiſpanicis ſimiles 2, 4, 11, 342.
Mortem ſuam cur Iſmaël R. Perſ. finxerit? 2, 23, 12, A. 2, 492.
Mocum cura in Ariſtocratiâ habenda, 2, 6, 27, 389.

Morus (Thomas) *de Utopia*, 2, 2. de hoc Exempla *ibid.*
Moſcoviæ Czaari Samojutæ Tributarii ſunt 1, 12, 12. A. 2, 253. qua ratione Uxorem eligat ejusque fœcunditatem exploret? 2, 4, 48.* 361.
Moſcovici provinciarum præfecti quovis triennio mutantur 2, 16, 9. A. 6. fin.
Moſcovitarum homagia præſtandi modus 1, 6, 24, 155.
Moſcovitæ in lectis non cubant 2, 10, 18. A. 2, 434. Scripta ad Ducem ſuum directa, diminutiva nominis ſui appellatione ſubſcribunt 1. 6. 27. * Sunt ſervilis ingenii 2, 12, 3.*
Moſis νομοθεσίαν Plato imitatus eſt 2. 2. 5. 295.
Moſqueas ingredi Fœminis Maroccanis non licet 1. 5. 11, 105.
Moſſynæci reges ſuos pravè imperitantes inedia unius diei punire ſolebant 1. 10. 6.* 200.
Mulieres Sunt avariſſimæ 2. 16. 10, 465. Earum imperia domeſtica tyrannidi conveniunt, 2. 2. 10. 201. earum communio in turpiſſimis habenda §. 12. multas conjurationes prodiderunt 2, 25, 6. A. 3. 313.
Mulierum nimia licentia reip. nociva 2, 1, 4. & A. 2. 271. ejus rei exempla *ibid.* earum educatio ap. Japonios & Sinenſes §. 32.* 283.
Mulleri *deſcriptio Fetu* 1, 5, 19, 120.
Multitudinis character 2, 25, 14, 517.
Munificentiæ regiæ tabulæ utiliter ad collegium rationalium referuntur, irritæ futuræ, niſi ab illo confirmentur, 2, 4, 52, 363.
Muniendi accurata ratio hodierna difficiles reddit gentium ſubactiones 2, 10, 35, 442.
Munimentis Respubl. ſine damno carere nequit, 2, 1, 10, 274. §. 35. & A. 1. 284.

Muſelmannorum apud Turcas inſtitutum quo pertineat? 2, 10, 18. A. 2.
Muſices utilitas 2, 2, 35. & A. 2. 311.
Mutanda Conſilia quando? *Ped.* §. 20. p. 33.
Mutatio legum ſeverè prohibeatur 2, 1, 49, 288. ſeq. exempla *ibid.** remedium contra eam eſt prælectio publica legum *ibid.*
Mutationibus civitas quoque ſubjacet 1, 12, 1, 238. quæ ab ipſa rerum humanarum inconſtantia pendent, *d. l.* §. 2. cauſæ mutationum aliæ internæ, aliæ externæ *ibid.* ſcil. Judicia civil. Controverſiarum male facta. 2, 1, 16, 277. præcipuè pacta afficiunt, quibus civitas conflatur, §. 3, 239. & quoties in illis fit mutatio, toties diverſæ mutationum figuræ exiſtunt *ibid.* Species ejus ſunt *ibid.* unde totidem diverſa genera civitatum enaſcuntur, regulares aliæ, aliæ irregulares. §. 4.
Mutatio omnis, etiam levium rerum, civitati periculoſa eſt, 2, 2, 58. * 325.
Mutationis Rerumpub. Daniæ & Sueciæ in Monarchiam cauſa, Nobilium aſperitas fuit. 2, 14, 1, 453.
Mutiani character *Ped.* §. 4. p. 5.
Mutuo pecuniam accipiunt ſæpè Principes ad devinciendum ſibi creditorem 2, 10, 32, 441. Exemplo ſit Carolus V. *ibid.*

N.

NAbataeorum reſp. principatus fuit. 1, 10, 6. * 200.
Nani *Hiſtoria Veneta*, 2, 7, 18. A. 3, 400.
Nativitatis vitia educatione corrigenda ſunt, 2, 5, 11. & A. 1, 372.
Naturalis ſtatus omnium miſeriarum ſentina eſt, 1, 1, 10, 57. ſeqq. nunquam planè & perfecte extitit. *ibid.* §. 1. p. 46. nec ſine lege divina fuit. p. 47. ſeqq.
Naturalem ſtatum comitantia mala in univerſum etiam civitatibus inimica ſunt. 2, 1, 2, 269. De

De naturali jure egregia habet Ariſtoteles, 1, 7, 8. A. 2, 164.
Naturaliſati in Gallia & Anglia adſcripti ſunt cives, 1, 5, 4, 95.
Naturalizatus apud Anglos quis dicatur? 1, 5, 4, 96.
Naves ſunt domicilia maritima 1, 10 3. earum diviſio, *ibid.* dicuntur muri lignei 2, 3, 2, A. 2, 328. civitates ſæpe tuentur *ibid.*
Naves militares perpetuæ cur alendæ? 2, 3, 15, 334. quamdiu in ſuis Portabus debeant commorari Angli cum Hiſpanis conveniunt. *ibid.*
Navium magnarum multitudine Regio Batava aliis longe inſtructior eſt. 2, 3, 15, 334.
Naufragia reipubl. maritimæ magno malo ſunt 2, 3, 7, 330. exempla ſunt A. 1. remedia §. 15. ſeq. 334. aliquot tamen maria iis non ſunt infamia *ibid.* & A. 2.
Navigandi artis ſpecies, 2, 3, 4, 329. nautas ejus imperitos eſſe civitati maritimæ officit, *ibid.* remedia §. 13. & * 332.
Navigationibus tempus præfiniendum olim erat 2, 3, 16, 336. ſed hodiè rarius fit. *ibid.* publicata tamen adhuc proſtant de eo nonnullorum Statuta. 2, 3, 16, 336.
Nautarum diverſa ſunt miniſteria, *remiſſivè*, 1, 10, 3, 193.
Nautarum turba maritimæ civitatis malum eſt, 2, 3, 3, 328. remedium eſt. §. 12, 331.
Nepotiſmus Romanus. 2, 5, 17. * 376. ſeqq. v. §. 20. *ibid.*
Nervii olim nullam mercaturam negotiatoriam exercuerunt, 2, 2, 32. A. 1, 310.
Neutralitas 1, 8, 8, 174. ejus exemplum, *d. l.* *
Neutratum in ſeditione partium cur infamia à Solone notatus ſit, 2, 25, 16. A. 2, 518.

Nigritarum Regis Imperium herile eſt 1, 11, 5, 228.
Ninus in Vitæ ſuæ exitium Semiramidi Regimen cedit. 1, 6, 8, 137.
Noachus cum Baccho idem eſt. 1, 3, 6, 81. quomodo dicatur bis natus? *ibid.*
Nobiles dicuntur Parlamenti Pariſ. primarii Præſides 1, 5, 12, 108. A. 4. apud Friſios Locupletiores *ibid.* apud Islandos Bonden.
Nobiles in ochlocratia perſequuntur, 2, 23, 22, * 446.
Nobilis in univerſum valente definitione definiri nequit, 1, 5, 12, 106. ſeqq. nam diverſa ſunt circa eos gentium inſtituta. *ibid.*
Nobilitas eſt, l. Philoſophica, l. civilis, 1, 5, 12, 106. ſequ. illa à Græcis magni facta, hæc à Barbaris, *ibid.* A. 1, 108. nobilitatis IV. ſpecies tradit Plato *ibid.* A. 2 ejus quoque à Siamenſibus participes judicantur, qui magiſtratibus funguntur A. 3. *ibid.* Europæis quæ nobilitas? *ibid.* eſt l. nova l. hæreditaria *d. l.* non eſt inſtitutum barbarum. *ibid.* eſt l. ſimplex l. titulata *ibid.*
Nobilitas Hiſpanica eſt quidem ſplendida at miſera. 2, 4, 30, 349. cauſa hujus duplex *ibid.*
Nobilitatis Definitio Gallica. 1, 6, 10. A. 4.
Nobilitatem mentiri aliquem acriter caveatur in Ariſtocratia ſucceſſiva 2, 7, 6. exempla ſunt in *
Nobilitatis gradus utiles ſunt, 2, 4, 30, 348. nova præjudicio eſt veteri. A. 1.
Nobilium peculiares morbi, ſunt ſuperbia & tyrannis 2, 7, 4, 394. & * eorum filii molles, §. 3. inprimis apud Venetos *ibid.* & * novi antiquis inviſi. §. 5. *ibid.* & §. 9, 396. eorum matrimonia cum civibus reliquis non prohibenda, §. 8, 395. Eorum apud Danos Sueconque aſperitas Regna illa in Monarchias mutavit. 2, 14, 1, 453.
Nocendi facultatem tyrannus ſubditis adimat, 2, 2, 3, 7, 489.

Νόθοι Athenienſibus dicti ex peregrina & cive nati, 1, 5, 4. A. 2, 96.
Nomen mutare devictos Principes Victores cogunt 2, 16, 11. A. 4, 466. ſequ.
Nomina factionum obliteranda ſunt, 2, 2, 5, 5, 512.
Nomine uno ſub uno capite junctas civitates inſignire proficuum eſt, 2, 17, 8, 469.
Nominibus inviſis abſtinendum, 2, 24, 7, 501. exempla ſunt, A. 1. *ibid.*
Νόμισμα vocatur ἀπὸ τῦ νόμυ 1, 5, 19, 119.
Nomothetice apud Græcos denotavit olim pr. civilem, *Pad.* §. 2, p. 3.
Non optima Respubl. eſt, ubi quælibet una etiam cauſa deficit, 1, 10, 2, 193.
Norimberga ocellus Rerumpubl. Germaniæ, 1, 10, 16, 213. eſt ariſtocratia populariter temperata *ibid.* §. 17. A. 1, 214.
Norimbergæ nullæ ſunt ſodalites, 2, 6, 20. * 387. das Leyhauß / § 22. * 388.
Norimbergenſes non niſi duobus ejusdem gentis Senatum inire permittunt, 2, 7, 23, 401. eſt ariſtocratia populariter temperata. §. 26, 402.
Normanni Prædones maritimi. 2, 3, 6, 330.
Notitiam ſubditorum inter ſe impediat Tyrannus, 2, 23, 11, 491.
Novæ Reſpubl. quæ? 1, 12, 12, 254. earum multæ ſunt differentiæ *ibid.*
Novarum civitatum malum eſt ipſa novitas, 2, 21, 1, 482. remedia ſunt, §. 2. ſeq 483.
Novitas regis damnoſa eſt, 2. 4, 16, 344. exemplum eſt in * remedium eſt, §. 47, 360.
Novitas regis electitii ejusmodi regni malum eſt, 2, 5, 16, 375. remedium eſt §. 21, 378.
Novus Rex, novus miniſter, 2, 4, 25, 347. cauſa eſt, *ibid.*

Novus Rex insignium regni se compotem reddat, 2, 4, 31. A. 2, 350.
Nuces odoratæ ubinam proveniant? 1, 105, 197.
Numeris nonnulli vim adscripserunt, 1, 9, 1, & 178. sequ. * 11. Sed falsò *ibid* A. 11. in fin. 181. seqq.
Numidæ unde dicti? 1, 5, 18, 116, fin.
Nummus quid? 1, 5, 19, 119. de ejus natura & origine, *ibid.* de quo notabilis est l. 1. Digest. de contrah. emt. de materia non solum aurum, argentum & cuprum sed & conchæ, ac necessitatis tempore corium, charta &c. fuit, 1, 5, 19. & in * 120. Eorum Depravatores in Rebusp. Herilibus non tolerantur. 2, 12, 1, 450.
Nuptiæ omnium in Republica Societatum primam faciunt. 1, 5, 5, 97.
Nuptialium convivarum numerus olim definitus fuit, 1, 7, 11. A. 2, 166.
Nuptias regum maturare, facit ad impedienda interregna in regnis successivis, 2, 22, 3, 486.
Nuptiis nobilium in Hispania, Anglia, Gallia & Japonia Rex consensum impertiendi jus habet, 1, 6, 17. A. 2, 149.

O.

OBrechtus Dictaturam vocat potestatem fiduciariam. 1, 6, 8, 135.
Ὀχλοκρατία, 1, 12, 15, 256. Aristoteles eam δημοκρατίαν stricte sc. dictam vocavit *ibid.* docuitque non esse Rempubl. *d. l.* Talis olim Veneta Respublica fuit. 1, 12, 16, 258.
Tyrannidi respondet, 2, 23, 20. & * 495. ejus instituta sunt, §. 21. seqq. *ibid.*
Occultatâ personâ suâ Rex facilè aliorum de se opiniones expiscatur, 2, 4, 41. * 356.
Oculis civium Rex serviat, 2, 4, 50, 362.
Odia in Magistratus quomodo dividenda? 2, 8, 23. & in *.

Odia diverſarum civitatum poſt conjunctionem earum paulatim exoleſcere poſſunt, 2, 17, 1, 468.
Odioſis negotiis populi conſenſus adhibeatur 2, 1, 41, 286. ſed cum magis cautela *ibid.* *
Odium Regis nocet regno, 2, 4, 22, 346. remedium §. 51. ſeqq. 361. Tyrannos comitatur, 2, 23, 3, 488. compeſcitur metu. §. 9, 491.
Odium Anglos inter & Scotos naturale. 2, 1, 17. A. 3, 279.
Oeconomica differt à prudentia civili, *Ped.* §. 13. p. 21. ejus inſtituta, ſæpè differunt ab inſtitutis politicis. *d.* §. p. 21. ſeqq. Num ars tantum experimentalis? *Ped.* §. 19. p. 31. ſeqq.
Officia ne ſint venalia, 2, 1, 24, 280. perpetua policratiæ damnoſa ſunt, *ibid.* non autem regnis. §. 25, 281. *.
Ολιγαρχία, 1, 11, 5, 226. fin.
Variè accipitur, 1, 6, 15. * 144. quomodo ab Ariſtocratia ex Ariſtotelis doctrina differat, 2, 6, 4, 383. & *
Oligarchia titulo iisdem artibus, quibus & tyrannis titulo conſervatur, 2, 24, 19, 508.
Oligarchis quæ utilia. 2, 12, 6, 451.
Omeiſius quo titulo Rempubl. ex Voto opt. deſcribat? 2, 2, 5, 297.
Omina Conſtantinopolitanis Excidium denuntiant. 1, 9, 1. A. 5, 179. prædicunt ſæpè pericula, *ibid.* & A. 8. non temerè tamen captanda. *ibid.*
Ominis in bello felicis aves ſunt Aquilæ. *ibid.* A. 11, 182.
Opifices omnis generis civitati ineſſe debent, 1, 5, 9, 101.
Opifices eſſe cives Reipubl. optimæ vetat Ariſtoteles, 2, 2, 30, 309. contradicit autor in * è numero civium à Phalea malè excluduntur. *ibid.*

Opificium addiſcere principi conducit ad varia, 2, 4, 39, 354. exempla ſunt A. 3.
Opificum penuria nocet Reipubl. quæ divitias in infinitum appetit, 2, 11, 3, 444.
Opinationum diverſitas non minima malorum inter homines cauſa eſt, 1, 1, 10. add. 6, 53.
Oppidum 1, 5, 18, 118. Chriſtiana conſuetudine dicitur Epiſcopum proprium habens, *ibid.*
Oppignorare agrum pecuniâ ap. nonnullos prohibitum, 2, 2, 52. * 319.
Oppignoratio territorii periculum amittendi continet, 2, 15, 3, 457. cautela eſt. §. 5. *ibid.*
Optima Reſpubl. omnium cauſarum conſpirationem requirit, 1, 10, 2, 192. alia eſt ex voto *d l.* alia plerumque *ibid.* alia pro conditione ſtatus præſentis, quæ ab hoc loco eſt aliena *ibid.* quem in finem delineetur? 2, 2, 2, 293. ſequ.
Optimæ Reipubl. ſumma poteſtas penes quem eſſe debeat, inquiritur 2, 2, 57, 323. ubi variæ recenſentur opiniones, & tandem pro Monarcha concluditur.
Optimates à populo non eligantur, 2, 7, 10, 396. add. §. 12. *ibid.* eorum erga populum mens, 2, 6, 7, 384. & *
Optimates injuriâ plebem ſi afficiant, Reipubl. malum eſt. 2, 6, 8. *ibid.* eorum flagitia multa §. 12, 385. huic modeſtia medetur, §. 22, 387. add. 23. 389.
Optimatum uxores in luxu vivunt 2, 6, 14. * 385. unius magnitudo nocet §. 16, 386.
Orationis in republ. vis 1, 12, 14. A. 3, 258.
Oratores Civitatum Turbatores 2, 8, 7. A. 2, 410. e.gr. *ibid.*
Orbis univerſus ſi in civitatem unam concederet, inutile putatur 2, 2, 40. * *falsò* 313.

Orcadum Inſul. Deſcriptio Jac. Wallace 2, 2, 26. * 308.
Orcadum vulgus parabili victu hodienum utitur 2, 2, 26. * 308.
Oriens regibus ſuetus 1, 10, 5, 196. imperiis herilibus ſubfuit. 1, 11, 5, 226. habuit tamen & habet etiamnum ariſtocratias d. l.
Ornare civitates ædificiis tyranno utile eſt 2, 24, 8, 503. exemplum eſt A. 4. *ibid.*
Oſculum nulli mortalium ferebant Numidiæ reges 2, 4, 34. A. 2, 351.
Oſtraciſmus *quid?* 2, 1, 33, 283.
Ejus etymologia *ibid.*
Otio prohibendi ſunt Tyrannidis ſubditi 2, 23, 14, 493. * ubi & varia exempla.
Otium civium nocet reipubl. 2, 2, 25. *
Negari debet Ariſtocratiæ ſubditis 2, 6, 19, 386. fin.
Ova ſorbilia ab omni metu veneni haud immunia 2, 4, 45, 360. A. 2. init.

P.

PAcem ſimulaſſe ſæpius profuit 2, 10, 29, 440. * de pace ſermonem facere vix primo ictu illato, hodie ſolenne eſt *ibid.*
Pacifici naſcuntur in regione felici 1, 5, 10, 103, ſequ.
Pacis definitio 1, 8, 2, 171. ejusque explicatio *ibid.*
per pactum definiri nequit *ibid.*
Pacis in Republica Fructus quinam? 1, 1, 11, 62.
Pacis inſtituta 2, 2, 59, 325.
Pacis artes bellicis jungendæ ſunt 2, 10, 16, 431. ſequ.
Pacta quibus civitates conſtituuntur, ſunt duo: *primum* ſingulorum cum ſingulis 1, 3, 7, 83. *alterum* de transferenda ſumma poteſtate *ibid.* §. 8. ex quorum junctura demum reſultat civitas *ibid.* §. 9. 84. cur hujus pacti mentio ab hiſtoricis plurimum omittatur? 1, 3, 8. A. 2. *l. c.* remiſſivè nonnulli pactum ſecundum *ibid.*

Pacta naturaliter actiones producunt 1.5.28, 125. eorum à contractibus differentia rectè ab objecto petitur *ibid.* 126.

Pacta Conventa Regem inter & ordines apud Polonos quænam sint? 2, 14.3. A. 8, 456.

Pacti singularis acceptio 1, 12, 11. A. 2, 253.

Pactum quid? 1, 5, 28, 125. sequ.

Pactum secundum est principium unde summa potestas præcipuè æstimanda 1, 6, 13, 128. sequ.

Pædiæ Prudentiæ civilis necessitas. *Pæd.* §. 1. p. 1. Eam excoluerunt H. Conringius duobus libris, Bœclerus, Bosius, Alii *Pæd.* d. l.

Pœnæ *definitio* 1, 9, 13, 189. ejus *fines* §. 14. *ibid. Objectum* est delictum §. 15. *Forma* est malum passionis § 16. *divisio* ibid.

Ni opportuno tempore sumantur, damnosum est 2, 1, 27, 281.

Ejus remissio populo adempta sit 2, 8, 20, 418.

Pagi vox quid Latinis denotet? 1, 5, 16, 112.

Palatinus Comes in Anglia 1, 12, 9, 250.

Palæologorum posteri mutato nomine, Constantinopoli obscure agunt 2, 16, 11. A. 3, 467.

Palemagnesii cum Smirnæis mixti civitatem homogeneo modo coalitam effecerunt 1, 12, 5, 239.

Palmyra est libera civitas 1, 5, 17, 116.

παμβασιλεία à despotico imperio diversa est 1, 11, 5, 214. In eam regna pleraque degenerant. 1, 11, 8, 233. quanam de causa? *ibid.*

παμβασιλείας vox ad bonum æque ac malum singulare imperium porrigitur 1, 10, 6, 200.

Pancunius (Onufrius) Autor Chronici Romanor. Pontific. 2, 5, 14. A 1, 375.

Papa non nisi è Cardinalibus eligitur 1, 10, 9, 206.

Papam arbitrum controversiæ constituere num tutum sit? 2, 18, 8. A. 2. 473.

Papa Urbanus IV. ex Omine Cometæ moritur. 1, 9, 1. A. 5. 180.
Papa cautus eſt in reprobanda altera ordinum diſſentientium ſententia 2, 25, 3. * 511. ſequ.
Papa cautus eſt in ſententiis contra potentiores ferendis 1, 12, 8, 249.
Papæ aſſeclæ unam rempubl. Chriſtianam faciunt, & ipſum ejus Principem, omnes ipſi reges ſubjicientes 1, 12, 8. A. 2, 250.
Papalis ſedes quando & quamdiu vacarit? 2, 5, 14. A. 1. 375.
Parlamenta ſingulis provinciis Galli imponunt, 2, 16, 8, 461,
Parlamenti Pariſienſis primarii Præſides, Nobiles vocantur 1, 5, 12, 108. A. 4.
Parta Imperia bene conſtituere operæ majoris eſt, quam parare 2, 10, 16. exemplum eſt in *
Paſchalius de coronis & diadematis Regum 1, 6, 20. A. 1, 154.
Paſtores ad bellum habiles 2, 2, 30. * 309. *fin.* paſtionis laudes *ibid. remiſſ.*
Paſtorii *hiſtoria Polonia plenior* 1, 3, 4. A. 1, 79. ejus *florus Polonicus* 1, 8, 8. * 174.
Pater filio ſucceſſori monita vivendi & regendi præſcribat 2, 5, 11, 372. exempla ſunt A. 2.
Paterna ſocietas quid? 1, 5, 6, 98.
Patres familias inter ſe olim in ſtatu naturali vixere 1, 1, 1. p. 46. domui ſuæ regio modo præfuêre *ibid.*
Patres familias frequenter ſe vocant Tyranni. 1, 6, 13, 142.
Patres Chriſtiani cum Stoicis fortunæ bona negant. 1, 5, 9, 100. (2, 2, 62, 326.
Patriæ cauſa in bello occiſorũ liberi publicè alantur
Patrimoniales respubl. ad irregularia regna pertinent. 1, 10, 8, 201. ſubditis magno incommodo

ſæpè ſunt 2, 15, 1, 456. mala ſunt §. 2. ſeqq. 457. remedia §. 3. ſeqq. *ibid.*

Patrimonium vendere in nonnullis populis interdictum 2, 2, 51, 318.

Patritii ſi irrepant, qui tales non ſunt, Ariſtocratiæ ſucceſſivæ malum eſt 2, 7, 2, 393. remedium §. 6. 395. *ibid.* malum eſt, ſi molles ſint eorum filii §. 3. 393. & * remed. eſt §. 7. 395. *it.* ſi ſuperbi §. 4. 394. remedium eſt §. 8. aut ſi æmulatio ſit inter novos & antiquos §. 5. remedium eſt §. 9, 396. honorum titulis non diſtinguantur *ibid.*

Patritii Venetorum in factiones duas in vicem ſumme adverſarias partiti. *ibid.* §. 4. * 394. Eorum Familiæ plus XX. nimium ſuperbæ *ibid.*

Patronus quis ap. Romanos fuerit? 1, 5, 7, 99.

Pauci vel omnes an etiam capaces ſint Majeſt.? 1, 6, 16, 145.

Paucorum tyrannis iisdem artibus ac unius conſervatur 2, 24, 19, 508.

Pauperes ſubditos Tyrannus efficiat 2, 23, 14, 492. ſequ.

Paupertas civium ſeditiones excitat 2, 1, 9. & A. 2. 273.

Pauperum character *ibid.* A. 1. media paupertatis §. 34. & * 284.

Pauperum mores 1, 5, 13, 109. Bella cum Ditioribus perpetua. 1, 1, 10, 58.

Pax quomodo definiatur? 1, 8, 2, 171.

Pax diuturna bellicoſæ civitati periculoſa eſt, 2, 10. 13, * 431.

Peccata regũ occulta minus nocent 2, 4, 39, 353. fin.

Pecuniæ materia frequenter eſt Corium, Charta, Lignum. 1, 5, 19, 120. * raro conchæ, *ibid.*

Pecunias regias tractantes regi ſæpè periculoſi extiterunt 2, 4, 27, 348.

Pedites Equitibus apud Romanos præstant, 1, 9, 12, *188.
Pensiones exterorum ministris constituere conducit 2, 10, 31, 440. hodie id valde receptum A. 1.
Peregrini cur jus civitatis Romæ adepti? *remiss.* 1, 5, 1. 91.
Peregrini in rempubl recepti variis eam modis affligere possunt 2, 1, 5. & *271. sequ.
Peregrini Tyranno semper præsto sint 2, 23, 12, 491, *fin.* iis magis fidat quam civibus §. 18, 494.
Peregrinorum privilegia apud diversas gentes 2, 2, 29. *309.
Periçula non infrequenter prædicta insigni divinæ providentiæ argumento 1, 9, 1, 178.
Periculorum in plures distributio navigationi utilis 2, 3, 16, 336. *init.*
Perpetuus legatus ante duo secula incognitus fuit 1, 9, 7. A 3. 185. est utilis *ibid.*
Persæ appellaturi accedunt veste papiracea induti 1, 7, 24. *169. *fin.*
Persæ dominabantur 1, 11, 5, 228. olim tamen adstrictius ac hodie *d. l.*
Persarum reges quomodo filios educari jusserint? 2, 5, 11. A. 1, 372. hodie in Gynecæa mittunt. *ibid.* §. 13, 373.
Persia hodie est regnum ex successivo & electitio mixtum 1, 10, 9, 205. de ea scribit Autor *de l Estat present du Royaume de Perse ibid.*
Persis lex est, quâ singuli coguntur ap. magistratum profiteri nomen & vitæ genus 2, 2, 25. *307. licitum iis est facere divortia. §. 11. 301.
Rege mortuo cur ap. eos, ex lege ἀνομία per quinque dies fuerit 1, 1, 1. A. 3. 47.
Peruani, antequam Mangocopac eorum imperium conderet, instar bestiarum vixerunt 1, 1, 1. p. 46. *init.* sores suas uxores ducunt. 1, 6, 18, 149. A. 3.

Perylli quam pro aliis atrocem pœnarum parat Machinam ipſe prius ſentit. 1, 9, 1. A. 3, 179.
Petaliſmus Syracuſanorum in civilem potentiam accedendi modus fuit 2, 1, 33. A. 2, 28.
Phalariſmus Species Tyrannidis eſt. 1, 12, 17, 259.
Phari ad avertenda naufragia extruendi ſunt 2, 3, 15, 334.
Philippi II. H. R. quoad Mores ſuas deſcriptio. 2, 4, 11, 342. Imprudentia in Regni Succeſſione filio adhuc infanti deſtinata. *ibid.* §. 43, 357. peccatum politicum motuum Belgicorum tempore 2, 25, 27, 524.
Philiſtinorum respubl. oligarchia fuit 1, 10, 5, 196.
Philoſophia ipſa poteſt ſordida fieri 2, 4, 13, 343.
Piccarti *obſervationes politicæ* 2, 1, 25. * 281.
Pietas in Deum, præcipua virtus 2, 2, 6, 297. adde §. 23. 307.
Pietati Dii favent. *Pæd.* §. 14. p. 24, A. 2. per eam Romani crevere. *ibid.*
Pighii Hercules prodicius 2, 6, 20, * 387.
Piloten qui? 2, 3, 16, 335.
Pindarus Corinthum deſcribit ad genium reip. ex voto optimæ 1, 10, 2, 192.
Piraticam exercere civitates quæ ſibi laudi duxere irregulares fuerunt 1, 11, 2. A. 1, 223.
Piratica reip. maritimæ multum nocet 2, 3, 6, 330.
Piſcibus Philippus II. H. R. ob veneni metum abſtinuit 2, 4, 45. A. 2, 359.
πειρατισμὸς Autoribus Cicerone & Meurſio quid? 1, 12, 17, 259.
Piſiſtratus ex Codri genere natum ſe ferebat 2, 24, 9. * 504.
Platonis resp. quid? *Pæd.* §. 11. p. 15, 17. & 1, 10, 2. pulcra ſententia. *ibid.*
Platonis Leges apud Græcos vili ac Proverbii loco? *Pæd.* §. 11. p. 19. A. 1.

Plato quod remp. ex votô optimam deſcripſerit reprehenditur à quibusdam. *Pæd.* §. 11. p. 17, 18. ſed malè *d. l.*

Plato conceſſit virtutum Rectoribus falſum dicere *Pæd.* §. 14. p. 23.

Plato reprehendit ſui temporis armorum magiſtros *Pæd.* §. 24. p. 42.

Plato legem dividit in ſcriptam & non ſcriptam 1, 7, 9, 164. νομοθεσίαν Moſis imitatur. 2, 2, 5, 295.

Plato legem reginam hominum vocat 1, 7, 11, 165. judicia in civitate ſummè neceſſaria putat *ibid.* §. 19. * 168.

Neque forte uxorem communionem ſuaſit 2, 2, 12. & A. 1. 301.

Plato, ſtatuens Athenis ariſtocratiam fuiſſe, explicatur, 1, 10, 19, 216. fin.

Ejus de hominibus judicium 1, 1, 5, 51. ejusdem venationis partitio 1, 5, 9, 102. ejus de republ. Lacedæmoniorum ſententia 1, 6, 13, 139.

Plauſtra Sauromatis Sarmatisque ædium vice fuerunt, 1, 5, 15, 117.

Plebis ad magiſtratus admotio reipubl. nocet 2, 1, 23, 280. ejus character 2, 8, 3, 405.

Plebis favor magnum tyrannis præſidium 2, 24, 11, 504. exempla ſunt *.

Plebis favore multi fiunt tyranni 2, 24, 2, 499. add. §. 11. artes ſunt §. 12. ſeq. 505.

Plebis urbanæ character 2, 8, 4, & * 407. malè libertatem definit, maleque educatur §. 5. *ibid.* plerique ſunt pauperes §. 6. *l. c.* quas ob cauſas committuntur ſæpè cũ divitibus §. 8, 410. ejus in republ. auctoritas officit §. 10, 412. exempla ſunt A. 1. plebem in claſſes &c. diſtribui utile eſt §. 15, 415. benè informanda §. 16. *ibid.* occaſio parandi vitæ neceſſaria ei facienda §. 17. *d. l.*

Plebs acris depeculatorum obſervatrix eſt 2, 24, 8. A. 2, 503.
Plenipotentia ſ. gallicè pouvoir 1, 9, 11, 187.
Plenipotentiarius eſt nomen poteſtatis *ibid.* §. 7.
Plinius ſolus tradit Romanis Porſennam in fœdere impoſuiſſe, ne ferro, niſi in agricultura uterentur 1, 12, 9.* 252.
Plutarcho quis civis 1, 5, 3, 94. eſt ejus liber de *ſuperſtitione* 1, 5, 9, 100.
De ſera numinis vindicta 2, 25, 16. A. 2, 518. *de præceptis reip. gerendæ ibid.*
De pœnis inſtituta reipubl. optimæ refer. 2, 1, 27, 28.
Pœnarum atrocium inventa inventoribus ipſis ſæpe atrocia. 1, 9, 1. A. 3, 179.
Poëtæ Civitati perinutiles. 2, 2, 37. * 312. Inde Republ. ex Voto opt. expellendi. *ibid.*
Poëtis rex faveat 2, 4, 42. & A. 2, 357.
Policratici imperii civitates latam dominationem pro fine primario habentes, hodie nullæ ſunt 1, 11, 2, 221. & quare? *ibid.* ubi & incidenter de earum naturâ.
Politiæ definitio 1, 10, 19, 215. *diviſio* (1.) in puram & temperatam *d. l.* (2.) quæ tribus habent, & quæ iis carent §. 20, 218. (3.) in urbicas & vicanas §. 21. *ibid.* facile in tyrannidem & alias Rerump. ſpecies degenerat 2, 8, 2, 404.
Optima datur & ex Voto, & ex Hypotheſi 2, 8, 1, 404. ejus *Mala* ſunt plurima §. 2. ſeqq. imprimis Æmulatio ex ambitu honorum: mater factionum. §. 22, 419. *Remedia* vero §. 13. ſeqq. 414. *Regiè temperatarum* magna eſt utilitas 2, 9, 1, 421. earum mala & remedia §. 2. ſeqq. 422. *ariſtocraticè temperatarum* non minor utilitas §. 4, 423. mala ſunt §. 5. ſeqq. *ibid.* remedia §. 7. ſeqq. 424. *cenſum reſpicientis* mala & remedia §. 9. *vicana* melior

melior eſt urbicâ §. 10. *ibid.* malum eſt §. 11. 425. remedium §. 12. *ibid. urbica* malum eſt §. 13. *l. c.* remedium §. 14. 426. multitudo politiæ arma tractet ſect. 8. §. 26. * 420.

Politiam regentes quomodo coercendi? 2, 8, 14, 414. ſeqq.

Politica apud Græcos interdum denotavit reip. ſingularis notitiam *Ped.* §. 2. p. 3. poſt Ethicam Juvenibus inſtillanda *Ped.* §. 21. p. 35, A. 4. Complexa apud eoſdem diſciplinas omnes activas *Ped.* §. 3. p. 5. Hinc Straboni Politicus eſt, qui enclyclopædiam liberalium artium tenet *Ped.* d. l. Apud Græcos poſteriores meretricem per urbem quæſtum facientem, notavit, *Ped.* §. 5. p. 7.

Politica ut ſyſtema, conſtat pædia & tractatu ipſo, qui abſolvitur parte Architectonica p. 43. ſqq. & Rectoria.

Politicæ prudentiæ magna pars in notitia animorum continetur 1. 1, 8, 58. ſequ.

Politici dicuntur Prudentes ſeu providentes *Ped.* §. 20. p. 33. Item Athei *Ped.* d. l. p. 6. hæreticorum genus quondam & factionis in Gallia *Ped.* d. l. pag. 6. item inſignes potatores *Ped.* d. l. A. 2. pag. 7.

Politici officium 2, 1, 30, 282. ad quid reſpiciendum ſit civitatem conditurо? 2, 2, 3, 294.

Politico futuro ab univerſalibus ad ſingularia progrediendum *Ped.* p. 41. ſequ.

Policratiæ ad conſilia capienda non æque aptæ ac regnum 2, 4, 1. A. 1. 239.

Policraticis civitatibus damnoſum, ſi magiſtratus nonniſi cum vita deponantur 2, 1, 25, 280. aut voluntate ſola *ibid.* §. 26.

Polonia regnum electitium fuit, etſi Jagellonis & Piaſti

Piasti posteros etiam in fœminis respexerint 1, 10, 9, 204.
Ejus novus rex ante coronationem regias functiones exercere nequit 2, 4, 32.* 350.
Poloniæ regi concilium ex delectis nobilium est circumpositum, absque quo in præcipuis negotiis nihil potest 2, 3, 3. A. 4. tenetur vacantes dignitates ante comitia conferre *ibid.* A. 6.
Poloniæ regnum Germaniæ non dissimile est 1, 12, 9, 247.
Luxum appetit 1, 11, 2. & 4, 222. seqq. male confertur cum Veneta rep. *ibid.* §. 8. A. 2, 235. coalitis cum Ukraina 1, 12, 5, 240. Consultatione admodum tardas exercet 2, 19, 2, 477.
Interregni tempore habet interregem Archiepiscopum Gnesnensem, cui adjunguntur Deputati provinciarum 2, 21, 2. A. 1. ejus Rex non potest se regno abdicare *ibid.* A. 2.
Poloni ex una familia Reges suos eligere nolunt 2, 5, 18, 376.
Nobilitatem mentientem acriter puniunt 2, 7, 9, 396.* eorum reip. quid Fredro commendet §. 9. A, 2. *ibid.*
Polonorum Rex jurat se nulla ratione regnum hereditarium facturum esse 2, 5, 20. & * aliæ sunt leges fundamentales §. 22.
Polygamiæ Privilegio in Japonia Dux solummodo gaudet 2, 2, 12. A. 3. 303.
Pontani est liber *de immanitate* 1, 1, 5, 51. *de reb. & urb. Amstelod.* 1, 10. 5. A. 199.
Pontificis Romani electores conclavi includuntur 2, 5, 19.
Ejus in terris Italiæ imperium quale sit? 1, 11. 8. A. 1, 234.
Pontificis electionem quod juramentum præcedat? 2, 13, 3. A. 7.

Pontificii Sacerdotes Pontifici religioſe obſtricti 1, 6, 31.* 391.

Populares respubl. oligarchiis quidem diuturniores, malis tamen variis vexantur 2, 8, 2, 404. facilè mutantur in oligarchiam §. 2. & A. 1. *ibid.* in ochlocratiam *ibid.* exemplum eſt A. 2, 405. in tyrannidem & A. 3. *ibid.* quilibet in iis vivit, ut vult §. 5. 407. character conſultationum eſt §. 10. A. 3. 412.

Populari Regimini Cohors formicarum accedit. *Præd.* §. 16. p. 27.*

Populari ſtatu lex civilis etiam latores ſui obligat 1, 6, 19. A 2, 151 quam & totus populus iterum mutare poteſt, *ibid.*

Popularitas regis nimia ei damno eſt 2, 4, 10, 342.

Populariter temperatæ ariſtocratiæ magna eſt utilitas 2, 7, 24, 401. mala & remedia ſunt §. 25. ſeq.

Populi aſſentatores, v. Dæmagogi; populi character 2, 8, 3, 405.

Populi genius in forma & modo reipubl. reſpici debet 2, 1, 9, 285. *fin.*

Populi meliores cooptandi in ordinem optimatum 2, 6, 9. & 10, 3[illegible] ſeq.

Populorum reges ſuos amantium exempla 2, 4, 1. A. 2, 340.

Populus interdum civitatem denotavit, interdum plebem tantùm 1, 2, 3, 67. ſequ.

Populus ex naturæ inſtituto Subjectum eſt ſummæ poteſtatis 1. 6, 16. & * 145. ſequ.

Populus in ſplendorem reſpicit 2, 4, 34, 351.

Portenta ominoſa dicuntur eſſe Cometæ 1, 9, 1. A. 5. 179. ſequ.

Portugallia ſeptendecim tantùm civitates numerat 1, 5, 18. A. 5, 119.

Portus eſt vel artificialis vel naturalis 1, 10, 3, 194. hujus elegans deſcriptio eſt ap. Virgilium *d. l.*

Portus utiles ſunt 2, 3, 15. 329. arte extruendi, ubi naturales deficiunt *ibid.* ſi bona ſunt, quales illorum notæ? *ibid.* illis peculiarem Roma ni præfecere Magiſtratum. *ibid.*

Poſſidere, & in poſſeſſione eſſe, quomodo differant? 1, 6, 13. A. 2. 142.

Potentia civis alicujus nimia reipubl. nocet 2, 1, 8. 273. media ſunt §. 33. & A. 1. & 2, 283. ſequ.

Potentiæ invida plebs 2, 8, 8, 410.

Potentia vicinæ civitatis obeſt reipubl. 2, 1, 17, 277. & A. 2, 278.

Poteſtas legatorum, aliàs quidem ejusdem ordinis, non eſt unius gradus, 1, 9, 11, * 187.

Poteſtates in Italicis civitatibus Dictatoribus ſimiles fuere 1, 6, 8.

Poteſtatis Italorum poſt Imperatorum tempora quod officium? 2, 9, 3, 135. erat alienigena *ibid.* exemplum eſt in *

Poteſtatis ſummæ *Synonymia* 1, 6, 2, 129. *Definitio* ejus *Ariſtotelea* contra alios defenſa *ibid.* §. 3, 131. Auctoris *ibid.* *Diviſio*, qua eſt vel regularis vel irregularis §. 4. 132. non autem perſonalis & realis §. 5, eſt ordinaria & extraordinaria §. 6. 133. eſt uſufructuaria & patrimonialis §. 7. 134. in regnis frequens eſt; rara in policraticis civitatibus *ibid.* eſt temporalis & perpetua §. 8. illius ſpecies ſunt Dictatura, Poteſtates urbium Italicarum ſequiori tempore, & Tutores regni, qui populo non ſubſunt *ibid.* Accuratior hujus rei tractatio ad jus publicum univerſale pertinet *ibid.* §. 9. 157. Summam poteſtatem dari nemo negat §. 10. *ibid.* *Origo* eadem eſt quæ civitatis §. 11. 138. *Occaſio* non una fuit §. 12. *ibid.* fit per pactum ſecundum §. 13.

§. 13. l. c unde etiam præcipuè æſtimanda *ibid.* non vero (1) ab adminiſtratione in oculos incurrente, nec (2) ex legibus, nec (3) à vocabulis & inſignibus *ibid.* ejus *Finis* §. 14. 143. *Subjectum* ſunt Perſonæ veræ & morales §. 15. *ibid.* ex naturæ inſtituto ſumma poteſtas eſt penes populum §. 16. 145. & * pauci & omnes eam habere poſſunt *d. l.* etiam infideles & hæretici *ibid.* 146. *Objectum* ſunt negotia §. 17. 147. *Forma* ejus eſſentialis eſt Summitas §. 19. 151. unde ſequitur eam debere (1) Liberam eſſe ab externis (2) Inviolabilem (3) Solutam legibus (4) Indiviſam, imò indiviſibilem, d. §. 19. ſi ſc. majeſtas regularis ſit. Ejus *Forma accidentalis* conſiſtit in titulis, inſignibus, exiſtimatione apud externos &c. .. 20. 153. *Cauſa Efficiens particularis* ſunt cives §. 21. 154. & Deus, *univerſalis ibid.* ejus *Relatum* eſt Subjectio d. l. §. 22.

Polyarchicum Imperium latæ dominationi non admodum aptum eſt 2, 10, 9, 430. exempla tamen ſunt in contrarium *ibid.*

Polybii de hominum natura judicium 1, 1, 5, 81. Tyrannos regni nomine abuti dicit 2, 6, 13, 140. *de excerpt. legat.* 2, 1.

Polypolium peſtis commerciorum eſt 2, 11, 3, 444, remedia ſunt ib. 5, 445. ſequ.

Præcepta eadem non ſemper valent *Pæd.* §. 20. p. 33.

Præcipua reipubl. negotia tyrannus titulo ad ſe trahat 2, 24, 3, 499.

Prædandi poteſtas utiliter ſæpè privatis conceditur 2, 3, 15, 334. ſequ.

Prædeliberatio 1, 7, 2. A. 2. 160. ejus exempla d. l.

Præfecti provinciarum apud Romanos non poterant uxores ſecum ducere 2, 16, 10, 465. vel tamen A. 1. nec in iis emere vel quocunque modo negotiari *ibid.*

Iis adhuc viventibus ſucceſſores deſignandi ſunt in literis clauſis 2, 16, 22. 467. exempla ſunt *
Prægnantis officia 2, 2, 14, 303.
Præmia & pœnæ fatum ſæpè oſtendunt 1, 9, 1, 178. ſequ. & A. 3.
Præmia rex ipſe conferat 2, 4, 52, 363.
Præmia varia conſtituuntur ab appetentibus latam dominationem, ſcil. iis, qui plures maſculos procreant 2, 10, 20, 435. iisque qui virtutem militarem exacuant §. 34. 441. ſequ. exempla ſunt *ibid.* & in *
de Præmiis inſtituta reip. optimæ refer 2, 2, 62, 326.
Præmiorum diviſio 1, 9, 17, 190. exempla *d. l.*
Præſcriptioni locus non ſit in optima rep. 2, 2, 55. * 322.
Præſentia Principis ſæpè motus compeſcuit 2, 25, 27, 524.
Præſides provinciarum ſæpe reges ex miniſtris facti ſunt 2, 16, 4, 459. exempla ſunt in * vel deprædantur ſubditos §. 5. exempla ſunt §. 5, 460. non ſint ex eadem provincia §. 9. 463. nec uxorem ex illa ducant. *ibid.* liberi eorum in aula habeantur *ibid.* non ſint perpetui *ibid.* alia ſunt *ibid.* & in A. * Præſides Romanorum ignoſcendi libertate carent 2, 16, 16, 465.
Præſtantia ſola in virtutibus, divitiis vel numero non eſt titulus ad imperium ſibi vindicandum 1, 6, 16, 145.
Praſchius *in Aſſertione reip. Achaic. ejusdemque cum Germanica comparatione*, vult Achaicum corpus unam rempubl. fuiſſe 1. 12, 6. A. 1. 244.
Prætenſionibus utantur variis Civit. appetentes latam Dominat. 2, 10, 24, 437. Exemplo eſt Gallia *ibid.*
Preces tyrannorum neceſſitate permixtæ ſunt 2, 24, 6. * 500.

Primogenito bona omnia non ſine reipubl. malo aſſignantur 2, 2, 5. & *
Primogenituræ jus utiliter in regnis ſucceſſivis introducitur 2, 5, 10, 371. exempla ſunt A. 1. *ibid.*
Princeps quo cavere factiones poſſit, liberos ſuos in officio detineat 2, 5, 13, 374.
Princeps ſe factioni alicui ſubditorum ſe non adjungat 2, 25, 2. * 511.
Principatus 1, 10, 6. 200. exempla ejus plurima ſunt *ibid.*
Principatus nudi interdum regna ſunt appellata 1, 6, 13. & A. 3. 141. ſequ.
Principes populi è medio tollat Tyrannus 2, 23, 8, 489. hujus conſilii exempla A. 3. 5. lit. (e) 490.
Principum dolo Hiſpanica Nobilitas opes ſuas ſenſim imminuit? 2, 4, 30, 349. hujus ratio politica. *ib.*
Privati cura optimates magis ſtimulat quàm publ. 2, 6, 11, 385.
Privilegium quid? 1, 7, 10, 165. unde dictum? *ibid.* ejus *Diviſiones* à *Fine*, *Subjecto*, *Forma*, & *Adjuncto* d. l.
Probi Commoda plura per Pietatem, quam improbi per molimina aſſequuntur *Ped.* §. 14. p. 24. A. 2.
Probis perpetuum bellum Tyrannus faciat 2, 23, 9, 490.
Προβουλία futuræ deliberationi viam pandit 1, 7, 2, 160.
Proceres regni ſine conſenſu regis matrimonia contrahere non poſſe utiliſſimum eſt 2, 4, 30, 349.
Proceſſus inter gentes eſt diverſus 1, 7, 23, 169.
Procopius *Vandalicor.* 1. dicit vocum ſenſus indies mutari 1, 6, 13, 142.
Proculus per Jocum factus Imperator 2, 5, 14, 374.
Prodigalitas ſubditorum reipubl. divitias appetenti malo eſt 2, 11, 3, 445.

Prodigia Conſtantinopolitanis excidium prænunciarunt 1, 9, 1. A. 5. 179.
Prolicidium quâ de cauſa Abipones exerceant? 2, 2, 16, 304.
Promptiſſimum civitatis è medio tollere per bella quàm vi aperta conſultius Tyranno eſt 2, 23, 15. * 493.
Promulgatio legis quare fiebat? 1, 7, 15, 177. & quomodo? *ibid.*
Propinqui acrius inter ſe diſſident 2, 5, 4 & A. 2. 369.
Propolium peſtis commerciorum eſt 2, 11, 3, 444. remedia §. 5, 445. ſequ.
Proprietas 1, 5, 26, 124. eam præcedit poſſeſſio *ib.* minuitur variis modis *ibid.* * acquiritur vel originariè, vel derivativè, traditione & uſucapione *ibid.* §. 27. 125.
Proprietas magnæ voluptati eſt 2, 2, 48, 317. ſit reſtricta §. 50. ſeq. 315. alias lites ſeruntur *ibid.*
Proſelyti Judæorum adſcripti cives fuerunt 1, 5, 4, 95.
Proteſtantium principum de Germanicæ reip. forma regiminis judicium 1, 12, 9, 248.
Proverbium *Faber eſt quiſque fortunæ ſuæ Ped.* §. 6. p. 9.
Proverbii vice leges Platonis apud Græcos uſitatæ. *Ped.* §. 11. p. 19. A. 1.
Providentia Dei civitatis Effectrix univerſalis eſt. 1, 9, 1, 177. Pios Reges excitat *ibid.* 178.
Provinciæ à civitate in quâ fons imperii, disjunctæ non ſint 2, 16, 3, 459. ſenatus imponatur ſingulis §. 8, 461. ad impediendos præſides eas vel proprias ſibi facere §. 4. vel depilare §. 5. 460. validiores in plures dividantur §. 9. 462.
Provinciæ ſunt in civitatibus coalitis 1, 12, 4, 239.

eas conſtituendi ſingularis Romanorum mos 2, 10, 27.* 439.
Provinciales ægrè jugum ferentes variis artibus retineri ſolent 2, 16, 11, 466. & in lit. (a) (b) &c.
Provincialium ſtatuum conventus cur inſtituantur? 1, 6, 19. A. 4. 152. & * 153.
Prudentes ac Providentes idem ſunt *Ped.* §. 20. p. 33.
Tales dicuntur Politici. *ibid.* Quia Tyrannidem præſagiunt *ibid.* Quia Politicam docent, Architecti Reipublicæ ædif. audiunt,. *Ped.* §. 22. p. 36.
Prudentia civilis à multis perperam eſt tradita & culturam deſiderat. *Ped.* §. 10. p. 2. & 3. & 4.
Prudentiæ civilis Doctores Architectis aſſimilantur. *Ped.* §. 22. p. 36.
Ejus *Synonymia Ped.* §. 2. p. 3. & 4.
Definitio Ped. §. 5. p. 7.
An ea detur? *Ped.* §. 6. p. 8. & ſequ.
An ſit comprehenſa ſub Rhetorica? *Ped.* §. 7. p. 12. ſeqq.
An ſub jurisprudentia? *Ped* §. 7. p. 13. ſeq.
An *pars* ejus Ethica, Oeconomica, diſciplina militaris? *Ped.* §. 13. p. 21. 22.
Finis, Ped. §. 8. p. 15. unde infertur, eam eſſe partem Philoſophiæ *Ped. d. l.*
Objectum, civitas in genere, & quæ civitati primò & per ſe inſunt, quatenus quid bono, quid malo ei ſit, quæritur. *Ped.* §. 9. p. 15. non civitas ſingularis *Ped.* §. 10. p. 16. utique verò civitas ex Voto optima, non tamen ſola *Ped.* §. 11. p. 16. ſequ. etiam aberrantes & vitioſæ reſpublicæ, *Ped.* §. 12. p. 19 & ſeq.
Prudentiæ Civilis eſt, hominum malitiam cautelæ ac Eluſionis ergo addiſcere. *Ped.* §. 12. p. 21.
Forma. conſiſtit in inductione ex rebus ſingularibus, *Ped.* §. 15. p. 25. ſeq. demonſtratione, *Ped.*

§. 16. p. 27. methodo, *Ped.* §. 17. p. 28. uſu *Ped.* §. 18. p. 29.
Efficiens, is qui ſibi comparat prudent. civilem *Ped.* §. 21. p. 34. ſequ. quid in eo requiratur? *Ped. d. l.* an juvenis eam addiſcere queat? *Ped. d. l.* Magiſtri *Ped.* §. 22. p. 36. ſeq.
Libri politici, quorum inſignis eſt diverſitas *Ped.* §. 23. p. 37. Libri hiſtorici, quorum multiplex eſt diverſitas *Ped.* §. 24. p. 39 ſeq.
Prudentia civilis non eſt empirica ſive merè experimentalis *Ped.* §. 19. p. 30. ſeq.
eſt certa, & quatenus? *Ped* §. 20. p. 33. 34.
an ab ea an verò à lectione hiſtoriarum initium facere debeamus? *Ped.* §. 24. p. 39. 40.
Prudentia quid? *Ped.* §. 5. p. 7. prudentiæ laudes *Ped.* §. 6. p. 9. in ſcientia rerum bonarum & malarum conſiſtit. *Ped.* §. 12. p. 20. in ſuis rebus *domeſtica*, in publicis *Civilis* dicitur *Ped.* §. 13. p. 22.
Pruſſia Poloniæ heterogeneo modo unita 1, 12, 5, 240.
Pſeudo-regum exempla 1, 12, 17, 260.
Publicè venditarum rerum poſſeſſio ſtabilis ſit 2, 11, 5, 447.
Puellæ ſolummodo grandiores ex inſtituto Lycurgi Thori ſunt capaces 2, 2, 9, 300.
Pueri actu primo cives ſunt 1, 5, 11. & A. 1. 105.
Pueri faſciis involvendi 2, 2, 18, 305. ad frigus & duritiem paulatim aſſuefaciendi §. 19. *ibid.* in luſibus nonnullis exercendi §. 20, 306. fabulis amor diſcendi iis ingenerandus § 21. *ibid.* ab omni malorum conſortio prohibendi §. 22. in Turcia deliguntur optimi, 2, 10, 18. A. 1. 434. omnesque militiæ artes ipſis inſtillantur *ibid.*
Pufendorfii definitio legis 1. 7, 7, 163.
Pufendorfius civitates regulares *primi*, irregulares vero *ſecundi* ordinis vocat 1, 2, 5, 71.

In Tr. *de Syſtemata civitat.* Ætolos unam civitatem popularem, non vero ſyſtema conſtituiſſe exiſtimat 1, 12, 7. A. 244.
ejus de interregno cogitata 1, 12, 14, 225.
Pulvis Pyrius ad inſtrumenta Militum pertinet 1, 9, 12, 188. Ejus Deſcriptio Grotiana *ibid.*
Pulveris pyrii inventum univerſum militiæ genus immutavit 2, 10, 35, 442.
Pupillorum nobilium bona quæ non impenduntur in eorum educationem, uſque ad annum XXI. fiſco regio vindicantur in Hiſpania & Anglia 1, 6, 17. A. 2, 149.
Puras respubl. hodie dari malè negatur 1, 11, 8, 233.
Pylagoræ amphyctionum 2, 18, 9. A. 3, 476. quomodo jurarint? *ibid.*
Pyræum habitantes populariores ſunt Athenienſibus 2, 9, 13. 425.
Pyramidum faciendarum cauſa Regibus Ægypti quæ fuerit? 2, 23, 14.* 493.
Pythagoras animos ferocientes muſicâ mollivit 2, 2, 35. A. 2, 311.

Q.

QUæſtores regii ſæpè damna procurarunt regibus 2, 4, 27, 348.
Quæſtui ſi respubl. à magiſtratibus habeatur damnoſum eſt 2, 1, 24, 280. add. 2, 8, 12, 414. §. 2, 1, 58. 290.
eum ex Republ. facere Ariſtocratiæ damnoſum 2, 6, 18, 377. remedium eſt §. 32, 391.

R.

RAguſa terræ motu conquaſſata fuit 2, 2, 46.* 316.
Raguſianorum Rector menſtruus eſt 2, 7, 18. & A. 2. ſequ. 399. Ejus Auctoritas *ibid.* Vicarius, Senator princeps *ibid.*

Raguſina Respubl. eſt ariſtocratia ſucceſſiva 1, 10, 16, 213.
Ratio ſtatus denotat (1) idem quod prudentia civilis (2) dominium civitatis eminens. (3) flagiria dominationis, (4) modum quo finis Reipubl. obtinetur. *Ped.* §. 2. p. 2. 3. 4.
Ratio Status apud Principes ſumma. *Ped.* §. 14. p. 23. A. 2. In quonam conſpiciatur? *ibid.*
Regalia 1, 6, 17, 147. hæc vox valde contorquetur ab interpretibus *ibid.* multi de iis ſcripsêre *ib.* ſunt vel majora vel minora, 148. l. c.
Regalia circa matrimonium in inſ. Fortun. ſingularia 1, 6, 17, 149. A. 2. in Ceylon circa ædium ſtructuras *ibid.*
Reges ad Syſtema conſtituendum inepti 2, 18, 3, 472. & A. 2. l. c.
Reges electivi habent ſummam poteſtatem 1, 6, 8, 136. & ſucceſſivi ea carere poſſunt *ibid.* (282.
Reges juſtitiæ tuendæ cauſa conſtituti 2, 1. 31.*
Reges nituntur leges, quæ vim potentiæ infringunt, ſubvertere 2, 13, 2. 452.
Reges obligantur ratione actuum, quos ut privati celebrarunt 1, 6, 19. A. 2. 151. *fin.*
Regiam gubernandi rationem reddere Tyranno utile eſt 2, 24, 7, 501. aut minimum eam imitari §. 8. 502.
Regi apud Latinos & Lacedæmonios bona aſſignabantur 1, 5, 23. A. 2. 123.
Regiè temperata Ariſtocratia optima eſt 2, 7, 16, 397. exemplum eſt in * ejus malum eſt §. 17. remedium §. 18, 398.
Regii ſanguinis Principes variis remediis coërceri ſolent, ne turbas dent, 2, 5, 13, 373.
Reginæ libris in vita relictis,, matres ejus in imperio admodum moleſta 2, 5, 27, 379.

Regio civitatis optimæ sit ferax omnium, & nullius rei indigens 2, 2, 44, 315. non tamen nimium *ib.*

Regio quo referanda in civitatis consideratione 1, 5, 17, 115. ejus genio multæ debentur, & virtutes & vitia §. 10, 103.

Regis unica & propria scientia quænam? 2, 4, 42, 356. Literatis faveat, maximè historicis *ibid.* & A. 1, 357.

Regium nomen, non semper regiæ Majestatis indicium est 1, 6, 13, 141.

Regni *Definitio* Aristot. 1, 10, 4. *Antiquitas* §. 5. 195. *Homonymia*, §. 6. 199. definitio Auctoris *ibid.* *ibid.* ejus *Divisio* Aristotelea, quæ rejicitur §. 7. Auctoris (1) in successivum, §. 8. quod vel sanguinis jure, vel alia ratione sine facto subditorum transfertur *ibid.* & electivum §. 9, 203. seqq. (quale non fit cum ex necessitate ad electionem descenditur, *ib.* aut *inaugurationes* solennes fiunt, *d. l.*) cujus *differentiæ* sunt ratione (1) *eligendorum*, unde purum, temperatum vel etiam mixtum ex successivo & electivo *ibid.* (2) *eligentium*, vel à populo universo, vel ejus parte, vel senatu. §. 10. (2) *à modo administrandi* in tutoria, aut à potissimo aulæ administrata, §. 11. 207. in regiè item, aristocraticè aut populariter temperata, §. 12.

Regna cur plerumque latam dominationem appetant 1, 11. 2, 302. & luxum §. 4. 224. seqq.

Regna in παμβασιλείαν dominatus & tyrannides, facilè degenerant 1, 11, 8, 233. sect. 2, 4, 7.* 341. remedium est §. 33, 250 Magna cum imperantium damno abdicantur. *ibid.* §. 4. 3. 358.

Regna & Principatus, præsertim absolutiores aliquid ex Tyrannide trahunt, 1, 12, 14, 257.

quod assertum hic admittendum, in jure publico tamen periculo non vacaret, *ibid.*

Regna successiva pro electitiis nec vice versa habenda 1, 10, 9, 204. seqq. quare notandum (1) successivum regnum haud desinere, cum post extinctum regium genus ex necessitate ad electionem descenditur. (2) cavendum esse, ne quem decipiant species aut simulacra regni electivi vel successivi *ibid.*

Regna successiva plerumque sunt optima 2, 5, 1, 366. ejus mala sunt §. 2 seqq. 367. remedia vero §. 8. seqq.

Regni electitii mala sunt 2, 5, 14. seqq. remedia §. 18. seqq 370.

Regni & Regis vox non denotat semper potestatem summam 1, 6, 13, 141. & A. 3, 142. seqq. ejus magnus est abusus & A. 4 *ibid.*

Regni sanguine regnum subigere solenne est 2, 10, 18, 433. & A. 3, 434.

Regni sociis nulla fides 1, 11 6. 229. seqq.

Regni formam apibus natura dedit. P*ad.* §. 16. p 27.*

